NOVA
EXPLANATIO
TOPICORVM
ARISTOTELIS.



IN ACADEMIA VENETA,
M D LIX.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. OTHONI TRVCHSES, AVGVSTAE CARDINALI, PRINCIPI SACRI IMPERII,

PROPRIVM est hoc Academiæ Venetæ, cuius ad ueram laudem omnia studia referuntur, ut, quemadmodum in uirtute colenda diligenter inuigilat, sic eos, qui uirtute ipsa excellunt, studiosissime obseruet. quo nomine tibi præter ceteros, Cardinalis amplissime, plane dedita, tuam admiratur, ac prædicat assidue bonitatem, nullis tectam simulationum inuolucris, coniunctam summa cum humanitate, atque doctrina, prudentiam uero quantam rerum magnitudo, temporumq; ratio postulauit. itaque tibi bonos omnes, multos Principes, plurimas ciuitates, ob egregias actiones tuas ad communem concordiam directas, mirifica beneuolentia constat esse deuinctas. quòd si, ut à mente rectissima semper id, quod agis, emanat, sic æquissimis animis, optimeq; intelligentibus acciperetur; mira fuisset, atque esset in uniuerso imperio concordia, & ex concordia uires tantæ, ac tanta cum reliquis Christianis Principibus coniunctio, nihil ut neque publicis, neque priuatis fortunis metuendum uideretur; & ea iam, quæ à communi nostræ religionis hoste exitiosa tempestas impendet, prorsus euanuisset; contraq;, ea, quæ nos timemus, mala in eos ipsos, à quibus timemus, grauissima recidissent: tu autem floreres æterna gloria, optimorum consiliorum auctor, sicuti florebis tamen, ac flores etiam nunc maxime in opinionibus & iudiciis hominum recte sentientium: qui, etiam si res non, ut ipse sperabas, successerit, quid tu tamen uolueris, quid studueris, atque elaboraueris, intelligunt. Est autem ab eo, cuius in manu cuncta sunt, non modo precibus exposcendum, uerum etiam, pro incredibili eius clementia, expectandum, ut, quemadmodum præclare cognita nobis est animi tui ad publicam quietem mirifica propensio, item iis perspicua sit, qui debent pariter, ac possunt, tua consilia secuti, utiles esse rebus suis, utiles orbi Christiano, seq; gratos Deo, qui tanta in eos beneficia contulit, ostendere. ita summa felicitas consequeretur: qua fruerentur æque non ii tantum, quorum probitas dilucide

patet, aut ii, quorum ſenſus in communi ſalute paulo ſunt obſcuriores, uerum etiam qui uel opinionibus decepti, uel uoluntate improbi quaſi de uia deflexerunt, ueræq; ac ſalutiferæ pietatis inſtituta neglexerunt. ſemper enim tuæ cogitationes, non plane, à quibus debebant, perceptæ, nec in quam debebant partem acceptæ, huc ſpectarunt, bonis uiris ut bene eſſet, improbis autem ut culpæ condonarentur, & ut, depoſita iniquitate, redeundi ad ſanitatem facultas daretur, exemplo uidelicet Creatoris noſtri: cuius immenſa benignitas, etſi, beneficiis in humanum genus conferendis, maxime declaratur, delictis etiam ignoſcendis, ac remittendis agnoſcitur: modo ne ingrate nimis, ſcelera complexi, diuina clementia indulgentiaq; abutamur. Is igitur, bonorum auctor omnium, à quo tu iſtam mentem accepiſti, exoptatum à te tuis conſiliis exitum largiatur, id eſt pacem, tranquillitatem, concordiamq; Chriſtianis Regibus reſtituat: nobis autē, qui te incredibili quodam obſeruantiæ genere proſequimur, tribuat facultatem uoluntati parem, ut ſcriptis aliquando publice editis extollamus uirtutes tuas, quarum fama perſonant omnibus horis aures noſtræ, multis prædicantibus, maxime uero, ſummo uiro, Federico Baduario, Academiæ noſtræ conditore, & præſide: qui, cum in Germania pro Veneta rep. apud inuictum Carolum V. Imperatorem, et Ferdinandum Regem, eius fratrem, ipſum quoque nunc imperatoria dignitate inſignem, legationis munere fungeretur, maximis in negociis tuam ſe ſingularem prudentiam, eximiam bonitatem, incredibilem pietatem agnouiſſe, admiratumq; eſſe confirmat. dum igitur illa à nobis apparantur præſtantiora, in quibus imaginem animi tui, uirtutumq; tuarum, eloquentiæ coloribus expreſſam, poſteritas intuebitur; accipe interim à nobis, ſtudii noſtri, atque obſeruantiæ ſignum, hanc topicæ Ariſtotelis doctrinæ explanationem, quæ facile, ſine uiua magiſtri uoce, quemlibet poſſit erudire. Atque hoc tuæ potius perſonæ munus deberi, quàm cuiquam ex iis, quos nobis colendos delegimus, ideo ſumus arbitrati, quia nemo eſt, cui ſit liberalium ſcientiarum tractatio iucundior, nemo, qui ſuam auctoritatem, ſuas opes ad excitanda bonarum artium ſtudia conferat libentius.

Logicæ doctrinæ profeſſores
in Academia Veneta.

NOVA
EXPOSITIO
LIBRI I. TOPICORVM
ARISTOTELIS.

Ex decem illis capitibus, quæ præmittenda esse alias diximus, cetera, ut minus necessaria huic tractationi, prætermittentes, hæc potissimũ attingemus, quodnam sit philosophi propositum in his libris Topicorum, quæ sit huius partis utilitas, quæ inscriptio, qui ordo, & quæ operis diuisio: quibus absolutis, ad textus expositionem accedemus. Propositum igitur in his libris est, dialecticam methodum tradere. quare, ut, quid hoc propositum nobis polliceatur, intelligamus, cognoscendum est quid sit dialectica. & quoniam tunc rem unamquanque optime cognoscimus, si ipsam à sui similibus sciamus distinguere; dialectica autem maxime similis esse uidetur rhetoricæ; ideo uidebimus, quo modo conueniant, differantq; inter se dialectica, & rhetorica.

Quæ præmittenda sunt ante expositionem Topicorum.

quod sit philosophi propositum in libris Topicorum.

DIALECTICAM Stoici definiunt scientiam bene dicendi. bene dicere autem esse uolunt uera dicere, ac rei consentanea. cum autem solus philosophus hoc efficiat, ipsi ad philosophiam solum dialecticæ nomen referunt, ac solus philosophus, ex eorum sententia, dialecticus est.

quid sit dialectica ex Stoicorum sententia.

PLATO uero, ut Alexander refert, dialecticam esse existimauit diuisiuam methodum: cuius opus est, & ex uno plura facere, & plura in unum componere. hanc enim in Phædro dialecticã appellat, ubi eã summis laudibus extollit.

quid iterũ sit dialectica ex Platonis sententia.

VERVM alia forte est Platonis sententia: uult enim ipse, ut patet in dialogo de iusto, dialecticam esse facultatem, quæ conatur ordine certo, circa unumquodque, quid ipsum sit, inuenire. cum autem hæc facultas dupliciter considerari possit, primo ut eius regulæ, ac præcepta seorsum considerantur; secũdo, ut hæ regulæ rebus ipsis applicantur; dialecticam Plato à rebus non seiunxit, ideo dialecticum metaphysicum appellauit, qui rationem capit cuiuslibet essentiæ, & non solum regulas, & præceptiones callet, quibus interrogandum respondendum ue sit, sed & interrogare sic, & respondere, quod est dialectici proprium. cum autem huius sit uel præcipuum instrumentum diuisio, ideo eam in Phædro tantopere commendauit.

alia, & uera, Platonis sententia de dialectica, quid sit.

ARISTOTELES autem dialecticam posuit syllogisticã methodum ex probabilibus agentem de quacunque re proposita. methodum appellat syllogisticam ex probabilibus, quoniam multipliciter syllogismi differunt, uel scilicet secundum propositionis species, uel secundum modos, & figuras, uel secundum materiam, in qua sunt. secundum quidem propositionum species alii sunt categorici, alii hypothetici. secundum modos, & figuras, alii sunt perfecti, alii imperfecti, alii in aliis figura, & modo. secundum autem materiam differunt, quoniam alii sunt ex ueris, & propriis, qui demonstratiui dicuntur; atque ars, quæ huiusmodi syllogismos docet construere, appellatur methodus demonstratiua. Alexander eam dicit appellari demonstrationem. alii autem syllogismi ex probabilibus probant, qui dialectici appellantur; atque ars, quæ huiusmodi syllogismos docet construere, dialectica methodus

Aristotelis sẽtentia de dialectica, quid sit.

quomodo secundum modos & figuras differant syllogismi, et quomodo secundum materiam.

eſt peripateticis, de qua philoſopho propoſitum eſt agere in his topicorum libris. at uero ſyllogiſmi, qui ex apponentibus probabilibus procedunt, ſophiſtici ſunt, ac ſophiſtica ars eſt, quæ de ipſis agit. horum autem differentia hinc perſpici poteſt. ſi enim dicamus, nullum bonum eſt imperfectum, uoluptas eſt quid imperfectum, ergo uoluptas non eſt bona, hic eſt demonſtratiuus ſyllogiſmus, qui ex uoluptatis diffinitione procedit. at ſi dicamus, omne bonum bonos efficit poſsidentes, ſed uoluptas bonos non efficit, ergo uoluptas non eſt bona: hic erit dialecticus ſyllogiſmus. quod enim bonum bonos efficiat, eſt quidem probabile, non tamen neceſſario uerum. ſcientia enim bona eſt, quæ tamen bonos poſsidentes non efficit. at ſi quis dicat, quod eſt bonum, eſt appetibile, ſed uoluptas eſt appetibilis, ergo uoluptas eſt bona: eſt ſyllogiſmus ſophiſticus, qui ex apparentibus probabilibus procedit: fallit autem ex loco à conſequenti. quòd ſi quis cauſam quærat, cur dialectica ex probabilibus tantũ procedat, hæc nimirum eſſe uidetur, quòd, cum dialectica interrogare doceat, ac reſpondere, (id quod uerbum διάλεγεσαι, à quo dialectica dicta eſt, nobis indicat) oportet, ut dialectica de rebus omnibus diſſerat, cum res omnes interrogando, & reſpondendo tractari poſsint. ſi igitur dialecticus de quacunque re propoſita agit, neceſſe eſt, de rebus etiam falſis quandoque diſſerat. quod ſi ita ſit, impoſsibile eſt, ut ex rebus ueris ſemper probet: neque enim ex ueris falſum colligi aliquo modo poteſt. ad probabilia igitur dialecticus conuertitur, quæ elicit à reſpondente, ex illisq; propoſitum concludit: neque enim probabilia omnino uera ſunt. ita igitur patet, quid peripateticis dialectica ſit.

exemplis antedicta declarat.

quare dialectica ex probabilibus, & de quacũque re propoſita agat.

quare dialectica ſit à philoſopho appellata ἀντίστροφος rhetoricæ, & quot modis inter ſe conueniãt dialectica & rhetorica.

Quæ cum ita ſint, recte dictum eſt à philoſopho, dialecticã eſſe ἀντίστροφον rhetoricæ. tribus enim modis potiſsimum conueniunt rhetorica, & dialectica: primo quidem, quia definitum genus non habent circa quod uerſentur, ſicut aliæ omnes diſciplinæ. nam & medicina, & mathematica, & naturalis philoſophia, & ciuilis ſcientia, & artes omnes ſubiectum quoddam agnoſcunt, intra cuius ambitum continentur. nihil enim, quod ad humanum corpus non pertineat, medicina conſiderat: neque arithmetica, quod ad numerum. at dialectica de quacunque re propoſita poteſt agere. eodem modo & rhetorica proprium ſubiecti genus, circa quod uerſetur, non habet. ſecũdo, conueniunt dialectica, & rhetorica, quia utraque non ex propriis rerum principiis, ſed ex rebus communibus probat. aliter enim de re medica agit dialecticus, quàm medicus. hic ex propriis eius artis principiis diſſerit: dialecticus uero ex communibus: eodẽ modo & orator. Tertio conueniunt, quia circa oppoſita æque uerſantur, id eſt, utranque partem contradictionis tuentur. ſimiliter enim dialecticus tuebitur uoluptatem eſſe bonam, & non bonam, animam eſſe mortalem, & immortalem: & orator, aliquid eſſe iuſtum, & non iuſtum, utile & non utile, laudabile, & uituperabile, eodem modo defendet. aliæ autem omnes artes, etſi utrunque oppoſitorum cognoſcant, non tamen utrunque eorum efficiunt, ſed, quod melius eſt, ſemper ſibi proponunt. medicus, exempli cauſa, quæ ſanitatem efficiunt, ſimul & quæ morbum, perſpecta habet, non tamen ſanitatem, & morbum indifferenter efficit, ſed ſanitatem ſibi ſemper proponit. eodem modo & alii omnes artifices. ſola dialectica, ac oratoria ars circa utrunque oppoſitæ indifferenter uerſantur. atque hinc eſt, quòd hæ duæ artes à philoſophis poteſtates ſolent appellari. poteſtas enim proprie oppoſitorum eſt: hæ autem artes non unum magis oppoſitorum, quàm alterum tuentur, licet alii iccirco ipſas appellari poteſtates dicant, quoniam potentes reddunt eos, qui ipſis inſtructi ſunt. quid enim

quare dialectica & rhetorica à philoſophis ſint appellatę poteſtates, idq;

enim non potest, qui hominibus probare, ac persuadere, quod libeat, possit? alii uero iccirco eas potestates appellari dicunt, quoniã ad bonũ æque ad malũ usum his uti possumus: atque hinc est, quòd nescias, boni ne an mali plus hominibus hæ artes attulerint: sicut enim, si ad honestas rationes deducantur, ut ueritatis inuentionem, iustitiæ defensionem, ac commoda patriæ maxime prosunt, ita si ad opposita trahantur, maxime obesse solent. his igitur tribus cõueniunt dialectica, & rhetorica, quòd definitum genus subiectum non habent, quod non ex propriis, sed ex communibus probant, & quòd utrunque oppositorum æque tuentur.

tribus rationibus confirmatur.

TOTIDEM etiã modis inter se differũt. primo enim dialectica circa quamcunque materiam uersatur. rhetorica autem ciuilem materiam quodammodo sibi appropriat. secundo dialectica interrogando, & respondendo de rebus agit, ac prolixitatem uerborum fugiens quambreuissime disserit. rhetorica uero continuata, ac diffusa oratione utitur, quod considerans Zeno recte admodum rhetoricam manui expansæ, dialecticam uero eidem in pugnum contractæ comparauit. tertio differunt, quia dialectica circa θέσιν, rhetorica uero circa ὑπόθεσιν uersatur. est autem θέσις quæstio nullis certis finibus temporum locorum, personarum conclusa. ὑπόθεσις uero quæ definita est uel omnibus, uel pluribus horum, ut si quæramus, an philosophiæ opera sit danda, θέσις est, si quæramus, an nobis hoc tempore philosophiæ sit uacandum, ὑπόθεσις est.

quot modis inter se differat rhetorica, & dialectica.

quid sit θέσις, & quid ὑπόθεσις.

ITA igitur patet, quod sit philosophi propositum in his Topicorum libris agere, scilicet de dialectica methodo, uidimusq;, quid esset dialectica, & quid cum rhetorica conueniat, quid ue ad ipsa differat.

ALTERVM, quod discutiendum proposuimus, est, quænam sit huius operis utilitas. est autem eius utilitas ad quatuor præcipue. primo ad disputationes, secundo ad oratoriam facultatem, tertio ad ueritatis inuentionem, ultimo ad scientiarum principia probanda. si quis ea demoliri tentet, ad disputationes quidem utilis est dialectica, quoniam loca nobis subministrat, unde eruantur argumenta ad quodlibet problema construendum, uel destruẽdum. præterea docet quomodo interrogare, ac respondere debeamus. quare si alios interrogabimus, quodlibet probare poterimus: si autem interroganti respondebimus, sententiam nostram egregie sustinebimus, atque ad inconueniens non deducemur. quàm autem ad rhetoricam conferat, hinc patet, quòd omnes fere, qui de rhetorica conscripserunt, non aliunde, quàm ex locis, qui hic traduntur, probationes suas, quæ sunt quasi orationis cor, desumi tradunt, neque tamen eo minor est hæc utilitas, quòd plerique rhetores ex his Aristotelis libris, quod ad rem suam faceret, iamdudum mutuati sunt. magni enim interest, si quis aquam ex riuulis hauriat potius quàm ex fonte. id autem uel hinc patere potest, quòd, cum apud Aristotelem traditi sint tercentum, atque eò amplius loci, ita distincte secundum quæstionum differentias, ut nihil magis rhetores eos omnes ad uiginti fere deduxerunt, quàm ampla facultas in quantas coacta angustias. Ad ueritatis autem inuentionem dialectica confert, quoniã cum in unaquaque re possimus ad utranque partem disputare ex probabilibus. probabilia autem non sint ex omni parte falsa, ideo ex ipsis aliquid ueri colligere poterimus, quod Aristotelis testimonio confirmatur, qui plerunque in rebus difficillimis dialecticos syllogismos pro utraque parte præmittit. deinde sententiam ferens solet ostendere quoquo modo rem ita se habere, & quoquomodo non. Confert demum dialectica ad scientiarum principia defendenda: nulla enim sciẽtia pro-

dialecticæ utilitas, & ad quot res cõferat potissimũ. quid conferat dialectica ad disputationes.

quàm conferat ad oratoriam facultatem.

quàm conferat ad ueritatis inuentionem.

quàm conferat ad scien-

tiarum prima principia probanda.

pria principia potest probare, sed ea pro ueris assumens, alia omnia ex illis probat: at si huiusmodi principia negentur, nullus præter dialecticum, & metaphysicum poterit ipsa probare. maxima igitur, ut patet, est dialecticæ utilitas, atque ideo immerito quidam ipsam damnarunt, & sustulerunt. si enim dialectici quidam perniciosas opiniones intulerunt, ut Protagoras, qui cum in dialecticis excelleret, Deos in dubium reuocauit, unde decreto publico Athenienses eius libros arserunt, ipsumq; Athenis ablegarunt, tanquam hominem reipublicæ, ac philosophicæ ueritati perniciosum, id non dialecticæ contigit uitio, sed eorum potius, qui dialecticam à rerum cognitione separarunt, quod profecto aliud non est, quàm si quis corpus ab anima separet, aut oculum à uisiua facultate: unde mirum non est, si postea dialectica ad deteriorem partem abusi fuerint.

quòd quidã dialecticã immerito damnarint, idq; Protagoræ exemplo.

Sequitur, ut inquiramus, quæ sit huius operis inscriptio, et inscriptionis causa. inscribuntur autem hi libri τοπικὰ, græco nomine, à uerbo τόπος, quod locum nobis significat. est autem locus, ut Rodulphus definit, communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile sit, potest inueniri, atq; hinc libri, qui de huiusmodi locis agũt, Topica appellati. Iam illud uidendum est, qui sit horum librorum ordo ad alios libros logicæ facultatis. primoq; inquirendum est, an libri Topici sequi debeant libros posteriorum resolutoriorum: deinde an etiam sequi debeant libros priorũ. Primo quidem, quòd posteriorum libri, qui de demonstratione agunt, Topica consequi debeant, ex eo probatur, quoniam demonstratio est finis totius logicæ tractationis, ut Græci attestantur. de ea igitur ultimo loco agendum est. præterea cum probabilia uiam nobis aperiant ad ipsam demonstrationem, sintq; inuentu, ac cognitu faciliora, de his igitur priori loco agendum est. his itaque rationibus Topica præcedere Posteriora statuamus. an uero præcedant, an sequantur Priora, non minor est difficultas. Marcus Cicero, cuius sententiam sequitur Boetius, logicam facultatem, quam diligentem rationem differendi appellat, in duas partes dicit esse diductam, unam inueniendi, alteram iudicandi: inueniendi artem ordine naturæ priorem dicit. si hæc ita sunt, cum inueniendi ars in Topicis libris tradatur, iudicandi uero in Prioribus, ergo Topica procedũt Priora. quæ enim priora sunt in doctrina ordinata, prius etiam tradi debent. uerum quoniam plerique nesciunt qua ratione pars illa appelletur iudicatiua, ideo hoc ipsum nunc ostendamus. Appellatur hæc pars inuentiua eo quòd locos, ut diximus, continet, ex quibus probabilia eruuntur. pars uero altera iudicatiua dicitur, quoniam docet, quo pacto probabilia illa, quæ inuenimus, sint connectenda, qua scilicet figura, & quomodo, ut aliquid concludamus, non solum materia opus est, qua id efficiamus, sed etiam recto, & artificioso connexu, non aliter, quàm qui cereas, aut æreas imagines fundunt, non solum materia indigent, sed etiam typis quibusdam, per quos fusa materia debitam formam suscipiat. pars igitur illa, quæ de locis agit, inuentiua, quæ uero de modis, ac figuris syllogismorum, atque insuper de cautionibus captiosarum argumentationum, iudicatiua est appellata. sed, ut ad rem propositam redeamus, concludebat prior ratio Topica debere præcedere libros priorum, sed huic sententia opponitur efficax ratio. in Prioribus enim agitur de syllogismo in communi, in Topicis autem de syllogismo dialectico. cum autem communiora semper præcedere debeant, ergo priorum libri præcedent Topica, hancq; sententiam peripatetici omnes, Græci, Latini, & Arabes concordes consequuntur. Si cui tamen prior sententia magis arrideat, quòd scilicet

quæ sit huius operis inscriptio, & inscriptionis.

qui sit ordo huius libri. et primo an Topica præcedere debeant libros Posteriorum.

huius rationis confirmatio. an Topica præcedere debeat libros Priorum, idq; ex sententia Ciceronis, & Boetii.

qua ratione partes logicæ altera inuentiua, altera uero iudicatiua appellentur.

opinionis superioris efficax oppositio.

cui tamẽ opi

To-

Topica præcedant, non concedet, quod opposita ratio assumit, quòd scilicet in Topicis de dialectico syllogismo agatur, sed dicet ibi agi de materia dialectici syllogismi, quæ sunt ipsa probabilia. hæc postea quomodo syllogismo, aut alia argumentationis specie connecti debeant, in prioribus traditur. quòd si philosophus Topicorũ initio dicit se in proposita tractatione dialecticum syllogismum quærere, hoc propterea dicit, quoniam hæc omnia gratia dialectici syllogismi tractantur. quid enim conferent probabilia, nisi ipsi recte componere, ac connectere sciamus? non tamen supponunt doctrinam de syllogismo, quæ in prioribus traditur. Id neque ex eo ostendi potest, hanc tractationem eam supponere, quæ est de syllogismo, quoniam philosophus initio primi Topicorum de syllogismo, atque eius speciebus agit: non enim ob aliud de his agit, nisi ut dialectici syllogismi materiam inueniat, de qua hoc loco non diffiniret, eiusq; species, cum de his in resolutoriis abunde egisset. ita igitur Topica librum de interpretatione consequentur, Priorum autem, ac Posteriorum libros præcedent.

nioni magis sit innitendũ, & eius rationis confirmatio.

huic opinioni obiectio.

huius obiectionis dissolutio.

alia huius rationis obiectio.

huius obiectionis dissolutio alia.

conclusio.

Illvd demũ uidendum superest, quæ sit huius operis diuisio. diuiditur autem in tres partes. in primo enim libro ostendit partes, ex quibus componuntur orationes dialecticæ, & partium partes, usque ad simplicissimas. in secunda parte ostendit loca, ex quibus sumantur argumenta ad construendum, & destruendum omne genus quæsiti, quod fit in sex sequentibus libris. in tertia autem parte, uidelicet in octauo libro interrogantem instruit, quomodo debeat interrogare, ac respondentem, quomodo debeat respõdere.

quæ sit huius operis diuisio.

In hoc primo capite proponit philosophus propositum suum in his Topicis libris. & quoniam hæc omnia, quæ in hoc uolumine tractantur, gratia dialectici syllogismi tractantur, ideo præmittit, quid sit syllogismus, & quæ sint eius differentiæ. primo igitur definit syllogismum, deinde definit syllogismum demonstratiuum: & quoniam demonstratio constat ex primis, & ueris, ostendit, quænam sint hæc prima, & uera. definit etiam dialecticum syllogismum. & quoniam constat ex probabilibus, ostendit quænam sint probabilia. definit deinde litigiosum syllogismum, postremo definit paralogismum, qui in scientiis fit, ac concludens dicit se summatim de his egisse, admonetq; se non esse de rebus his exactam doctrinam traditurum, sed qualis propositæ methodo conuenit.

quid in hoc primo capite agendum proponat philosophus.

Propositum) Duæ sunt apud philosophos uoces cognatæ, propositum, & subiectum. subiectum est circa quod unaquæque disciplina uersatur: propositum uerò est id, quod artifex sibi proponit, & quo effecto cessat ab opere. exempli causa, subiectum in medicina est humanum corpus, propositum uero est sanitatem efficere in humano corpore, & semper propositum comprehendit etiam subiectum, quare Græci interpretes, cum semper expositum quærant, de subiecto nunquam fere uerba faciunt. notandum autem est, quòd in hoc differre uidentur artes factiuæ à disciplinis contemplatiuis, quòd in proposito artium factiuarum tria complectuntur, effectio primum, quæ est cuiuslibet artis finis, deinde forma, quæ ab artifice introducitur, quæ & ipsa subiectum artis propinquum appellatur, sicut est in medicina sanitas: præterea ipsum subiectum, atque hæc tria in proposito artis explicantur, nisi contingat formæ illi, & subiecto unum esse nomen impositum. in proposito autem contemplatiuarum disciplinarum comprehenditur cognitio, quæ est cuiuslibet scientiæ contemplatiuæ finis, & ipsum subiectum. licet si quis in his etiam diligentius inspiciat, uidebit formam quandam latere naturalis philosophi. propositum est res naturales cognoscere, sed forma latet mo-

quid inter se differant propositum, & subiectum.

quomodo factiuæ artes à cõteplatiuis differant.

dus

dus, scilicet & character quo illas cognoscit, nempe physice eodem modo, & arithmetici propositum est numeros cognoscere, sed latet illud mathematice, quod est quasi forma eius cognitionis. notandum etiam est aliud esse propositum eius, qui scientiam aliquam tradit, & ipsius scientiæ, exempli causa, philosophi propositum est in hoc uolumine de dialectica agere, ipsius uero dialecticæ propositum est probabiliter disputare de quacunque proposito problemate. utrunque autem propositum indicant uerba philosophi.

propositũ scriptoris differre à proposito scientiæ, quã ipse scriptor tradit.

Methodum. ut cognoscamus quid methodus sit, quæ res, sicuti non facilis est, ita dignissima est cognitione, notandum est, quòd methodus, sicut nomen indicat, est uia quædam, qua unum post aliud certo quodam ordine positum est, quare disciplinæ omnes, quæ certum quendam ordinem obseruant, methodi appellantur: sed inter ipsas disciplinas aliæ sunt, quæ ipsis disciplinis tradendis deseruiunt, & iccirco disciplinarum instrumenta dici possunt, cuiusmodi sunt definiendi ars, & diuidendi, & aliæ quædam. aliæ uero sunt disciplinæ, quibus illæ deseruiunt, proprie quidem methodi nomen disciplinis deseruientibus conuenit, quæ omnes ad logicam tractationem pertinent, quæ etiam in causa sunt, cum aliis disciplinis applicantur, ut methodi nomẽ accipiant: unde & medendi methodus, & physica methodus dicitur, cum scilicet hæ disciplinæ certo quodam ordine traduntur, quod non aliunde habent, quàm ex illis logicis methodis.

quid sit methodus.

quæ sint proprie methodi.

Inuenire. dixit hoc philosophus, quoniam ante ipsum hæc ars nondum erat constituta: etsi multa apud Platonem, & alios ueteres philosophos reperirentur, illa tamen erant præcepta quædam sparsa, & disiecta, neque collecta in artem. primus omnium Aristoteles hæc diligenter persecutus artem hanc instituit, simul & perfecit.

quod hæc ars nondum inuẽta erat, sed ipse primus eã inuenit, & ꝑfecit.

A qua poterimus etc. cum dialectica interrogando, & respondendo consistat, ostendit philosophus, quidnam ipsa conferat tum interroganti, tum respondenti. confert enim interroganti, quòniam docet ipsum differere de quacunque re, quæ à respondente proponi possit: confert respondenti, quoniã instruit ipsum, ne ab interrogante deducatur ad inconueniens: sed sententiam suam egregie sustineat.

quid dialectica cõferat interroganti, & respondenti.

De omni. hoc dicens philosophus quodam modo dialecticam à rhetorica separauit. etsi neutra earum habeat subiectum limitatum, non æque tamen rhetorica de omni quæstione disputat, sicut dialectica. circa ciuilia enim negocia magis uersatur.

Proposito problemate. Quid sit problema inferius ostendet philosophus. disputat dialecticus de rebus ciuilibus, de rebus naturalibus, de rebus medicis, aliisq;, in his tamen quædam sunt, quæ non sunt dialectica problemata, neque enim disputabit de his, quæ indigent sensu, aut pœna, ut quòd ignis sit callidus, neque de his, quæ propinquam habent demonstrationem, sed de his, quæ dubitationem aliquam habent.

quod quædã non sunt dialectica problemata.

Ex probabilibus. quare dialecticus ex probabilibus differat, superius diximus.

Primum igitur. particula igitur coniungit hanc partem cum eo, quod dixit syllogizare. si enim docet hæc ars syllogizare ex probabilibus, ergo opportet, ut cognoscamus, quid sit syllogismus; præterea debemus uidere, quæ sint syllogismorum differentiæ, ut manifestum fiat, quòd sit hic syllogismus ex probabilibus, quo dialectica methodus utitur.

quid philosophus coniungat illa particula, Primum igitur.

Hunc enim quærimus. dubitant quidam, cum dialecticus syllogismus sit huius operis subiectum, quomodo dicat philosophus, hunc enim quærimus, quoniam subiectum debet præcognosci in qualibet scientia, cuius est subiectum: quod

dubitatio an huius uoluminis subiectũ sit dialecticus

quod autem est præcognitum, non potest esse quæsitum: sed dicendum est, quòd in hoc uolumine subiectum est non dialecticus syllogismus, sed dialectica methodus, cuius tamen præcipuum opus est syllogismus dialecticus. sed si etiam supponamus subiectum esse syllogismum dialecticum, nõ tamen est inconueniens, quòd quæratur, quoniam subiectum in sciẽtia supponitur, quod sit, & quid significet. sed potest postea quæri, quid sit, quæ sint eius partes, passiones, & proprietates. non igitur idem erit suppositum, & quæsitum.

syllogismus, an dialectica methodus. solutio superioris dubitationis. alia etiam solutio.

Est itaque syllogismus. syllogismum interpretatus est Cicero ratiocinationem, in eius definitione orationem posuit philosophus loco generis (cum enim λόγος duo significet, græci omnes accipiunt hoc loco pro oratione) non solũ enim syllogismum, sed & alia plura oratio comprehendit. quæ omnia à syllogismo separauit philosophus quatuor adiectis differentiis: eam enim orationem, in qua positis quibusdam, aliud quid necessario accidit, propter posita syllogismum appellat.

quid nobis significet syllogismus. quare in eius definitione assumat philosophus orationem.

Quibusdam positis. per hoc syllogismum separauit ab his orationibus, in quibus nihil ponitur, qualis est enarratiua oratio. positis autem significat sumptis, & concessis: oportet enim, ut quæ ad syllogizandum sumuntur, etiam concedantur, uel scilicet ab alio, si cum alio quis ratiocinetur, uel saltem à se ipso, si secum ratiocinetur, uel ab audiente non expetit responsionem. præterea illud, positis, comprehendit non solum affirmatiuas propositiones, uerum & negatiuas. nam & negatiuæ nihilo secius ad syllogizandum sumuntur, quàm affirmatiuæ. præterea illud, positis, proprie respicit categoricas propositiones. hypotheticæ enim non ponuntur, sed supponuntur, unde categorici syllogismi simpliciter, ac proprie syllogismi dicuntur. hypothetici non simpliciter dicuntur syllogismi, sed hoc totum syllogismi hypothetici. dixit præterea positis, & non posito, quoniam ex uno posito nihil potest syllogistice concludi, sed ut minimum ex duobus. argumenta enim illa, quæ ex uno posito aliquid concludunt, uti sunt enthymemata, & quæ Antipatri sectatores μονολήμματα appellarunt, defectuosa sunt, quod deprehenditur, quia si id, quod prætereunt, suppleamus, nihil est in argnmentatione superuacaneum, quod profecto fieret, si huiusmodi argumentationes non essent deficientes, ut in syllogismis uidere est. fiunt autem enthymemata, ubi propositio aliqua præteriri potest, quoniam euidens est, & manifesta, ut respirat, ergo uiuit: at si huiusmodi propositio latens sit, tunc nõ possunt effici enthymemata, ut si dicamus, motus est, ergo uacuum non est, sed hæ appellantur illationes, & consequentiæ, non etiam enthymemata.

quid separet hac particula quibusdã positis. utrũ illud, positis, comprehendat & affirmatiuas, & negatiuas propositiones. utrũ illud positis comprehẽdat categoricas, an etiã hypoteticas. quomodo cognoscatur quãdo sunt argumenta defectuosa. quando possint fieri enthymemata. quando non possint fieri enthymemata.

Aliud quid à positis. ostendit his uerbis philosophus syllogismi utilitatem. nullum enim est aptius instrumentum ad cognoscendum, quàm syllogismus: cũ enim nos simus cognitionis participes, non tamen sine discursu res cognoscamus, sicuti beatæ mẽtes, quæ intuitiue cognoscunt, ideo ab uno ad aliud procedimus. cum autem hoc quadrupliciter fieri possit, uel à noto ad notũ, uel ab ignoto ad ignotum, uel ab ignoto ad notum, uel à noto ad ignotum; tres primi modi nihil ad cognitionem conferunt, sed solus quartus, quo procedimus à noto ad ignotum, hoc autem fit per syllogismum: quare cum impossibile sit, ut idem sit notum, & ignotum, ideo oportet, ut in syllogismo aliud concludatur ab his, quæ posita sunt: quia si aliquid concludatur nõ aliud à positis, ea oratio non erit syllogismus, quia syllogismi uim nõ habet, sicut oculum non dicimus, qui uidendi usu caret, ut est pictus, aut lapideus. merito igitur à syllogismi definitione excluduntur, qui syllogismi διαφορούμενοι à stoicis appellantur, in quibus aliud à positis non concluditur, ut uel dies est,

syllogismi utilitas. quotupliciter ab uno ad aliud procedatur. quinam syllogismi à stoicis sint appellari διαφορούμενοι.

obiectio. est, uel nox est, sed dies est, ergo dies est. Sed obiiciet quis, si syllogismi sunt, qui hoc modo ex diuisione procedunt, uel dies est, uel nox est, sed dies est, non ergo nox est: quare non etiam priores illi syllogismi erunt. uidetur enim quòd idem sit, nox non est, & dies est, etsi in uerbis sit differentia. uerborum enim differentia, si idem sit significatum, nihil omnino facit. dicendum est, quòd illatum illud nox non est, significat quidem diem esse, non tamen primario, sed secundario. primo enim significat noctis negationem, secundario autem significat diei præsentiam, eo quòd non existente nocte necessario dies est: quemadmodum & nox est, primo significat nocti præsentiam, secundario uero diei priuationem. cum igitur aliqua sit inter hæc differentia, quoniam non eandem rem primario significat, ideo hi syllogismi sunt. illi uero, in quibus nulla prorsus est differentia, inter assumptum, et illatum non merentur dici syllogismi, eadem ratione & syllogismi illi sunt, qui ex contradictione fiunt, ut uel dies est, uel dies non est, sed dies est, non ergo non est. assumptum enim illud primario ponit diem esse, secundario autem negat diem non esse.

solutio obiectionis.

quòd syllogismi, qui fiunt ex contradictione, uel nō merentur dici syllogismi.

Ex necessitate accidit. declarat hac uoce philosophus habitudinem, quæ est inter conclusionem, & præmissas, quas appellauit posita. oportet enim quòd conclusio à positis necessario inferatur. notandum autem est, aliud esse conclusionem necessariam, quàm quæ ex necessitate accidit. conclusio enim est necessaria, quæ est in necessaria materia, ut homo est mortalis: conclusio uero ex necessitate est, quæ à positis necessario dependet, quod non minus uerum est in materia necessaria, quàm in contingenti. separauit autem hoc dicens philosophus, syllogismum ab inductione, in qua, quoniam non omnia singularia inducuntur, & si inducantur, non tamen oportet, quòd eodem modo se habeat uniuersale, sicut unumquodque sumptorum, ideo conclusio in ea non accidit ex necessitate. si igitur conclusio non accidit ex necessitate, non erit syllogismus: atque hinc merito litigiosus syllogismus in forma peccans non meretur dici syllogismus.

quænā sit habitudo inter præmissas, & conclusionē. quid differat inter conclusionē necessariā, & de necessitate accidentem, & de necessario, q̃ scilicet ē hæc conclusio in modo necessario.

Propter posita. quatuor de causis hoc adiecit Philosophus, primo ut deficientes syllogismos separaret, in quibus deficit altera propositio ad syllogisticā illationem, ut lac habet, ergo peperit. secūdo, ut separaret syllogismos superuacaneos, in quibus assumitur propositio aliqua ad conclusionem non necessaria, ut si dicamus, omne iustum est honestum, omne honestum est bonum, omne bonum est eligibile, ergo omne honestum est eligibile. tertio, ut separaret orationes, in quibus propria conclusio non infertur, sed aliquid alienum, ut, quod est secundum naturam, est eligibile, uoluptas est secundum naturam, ergo uoluptas bona est. talis est Epicuri ratio, de morte dissolutum non sentit: quod non sentit, nihil ad nos pertinet: mors ergo nihil ad nos pertinet. quarto, ut separaret eas orationes, in quibus non ponitur aliqua propositio uniuersalis, ut si dicamus, linea a est æqualis lineæ b, & linea c est æqualis eidem lineæ b, ergo linea a, & linea c sunt æquales inter se. hæc enim conclusio non sequitur ex positis, sed ex uniuersali prætermissa, quæ dicit, quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se.

quot de causis philosophus posuerit in definitione syllogismi particulā hāc scilicet Propter posita, hoc est quatuor de causis.

Demonstratio igitur est, quando ex ueris, & primis syllogismus est. Aliud est demonstratio, & demonstratiua methodus. est enim demonstratiua methodus ipsa ars, & disciplina, quæ demonstrationes efficit. demonstratio uero est demonstratiuæ methodi opus. cum igitur uelit philosophus syllogismi differentias definire, à demonstratione incipit, quæ est omnibus aliis nobilissima. dicit autem ipsam esse syllogismum, qui constat ex primis, & ueris, uel

quid differat inter demonstrationem et demonstratiuam methodum.

ex

ex his, quæ pro aliqua prima, & uera suæ cognitionis principium sumpserunt. oportet igitur, si definitionem aliquam cognoscere debemus, scire quænam sint prima, & uera, quod ipse paulo post ostendit, quòd scilicet sunt scientifica principia disciplinarum, quæ non ex aliis, sed ex seipsis fidem habent. hæc enim quoniam sunt principia, non possunt ex aliis demonstrari, quia non amplius essent principia, si ex aliis possent demonstrari. & cum ex ipsis alia demonstrentur, opus est, quòd ex seipsis fidem habeant, alioqui omnia demonstrata essent incerta. sunt igitur ipsa principia scientiarum certa, & euidentia: ex his autem quædam sunt nobiscum innata, & quæ à præceptore non discuntur, ac proinde appellantur communes animi conceptiones, dignitates, & proloquia, seu prosata. alia uero sunt, quæ non possunt quidem demonstrari, nobiscum tamen non sunt insita, sed admonitione quadam, & declaratione indigent. leui enim declaratione ipsis assentimur, & hæc appellantur positiones, quæ duplices sunt, uel enim dicunt aliquid esse, uel non esse, & dicuntur petitiones, uel postulata, uel quid sit res indicant: sed non dicunt aliquid esse, uel non esse, & appellantur definitiones, quæ omnia apud mathematicos manifesta sunt.

quòd scientifica principia ex se, non autem ex aliis fidem habẽt.

quotuplices sint positiones.

QVOD autem dicit philosophus,

Non enim oportet in disciplinalibus principijs inquirere propter quid. Videri posset alicui dubium, cum Themistius primo Posteriorum dicat, prima principia scientiarum habere causam, propter quam illis assentimur lumen, scilicet intellectus agentis: præterea principia cognoscimus per terminos, sed termini sunt causa materialis principiorum, ergo principia habent causam. dicendum est, quòd prima principia habent quidem causam, quæ assentimur ipsis, non tamen habent causam, propter quam possint demonstrari. ad secundum dicendum est, quòd ex terminis quidem cognoscuntur priucipia, non tamen ex illis possunt demonstrari, quoniam termini sunt incomplexi: neque omnis causa dicitur propter quid, sed ea, ex qua possit aliquid demõstrari.

obiectio, ꝙ scilicet prima sciẽtifica principia causam habent, propter quam illis assẽtimur, nõ autem ex se habent causam.

HABEMVS igitur, quæ sint prima, & uera: addit uel ex his, quæ per aliqua prima, & uera, &c. nisi enim hoc esset additum, primæ solum illæ essent demonstrationes, quæ ex principiis demonstrantur, cum non minus etiam demonstrationes sint, quæ demonstrantur ex demonstratis primis, sed quamuis ea, ex quibus fit demonstratio, prima non sint semper, tamen sunt priora conclusione. semper enim debent esse causæ conclusionis, non solum in inferendo, sed etiam in essendo. propterea dubitat Alexander, si quis ab effectu ad causam procedat, utrum debeat dici demonstratio, an dialecticus syllogismus, quia enim procedit ex ueris, non uidetur, quòd sit dialecticus; qui ex probabilibus procedit: & quoniam ex posteriori procedit, non uidetur, quòd sit demonstratio, quæ ex primis procedit. soluit Alexander, quòd utrunque tueri possumus, & quòd sit dialecticus syllogismus, quoniam huiusmodi uera sumuntur pro probabilibus, ut lac habet, ergo peperit. luna deficit, ergo terra inter ipsam, & solem est interposita. possumus etiam dicere, quòd sit demonstratio, sed demonstratio quo ad nos, quia in ea accipimus ea. quæ nobis notiora sunt. est igitur demonstratio imperfecta, & improprie dicta.

quare philosophus in demonstrationis definitione posuerit etiã hæc uerba, uel ex his, quæ per aliqua prima, & uera suæ cognitionis principiũ sumpserunt.

Dialecticus autem syllogismus ex probabilibus syllogizans. Non possumus autem hanc definitionem intelligere, nisi cognoscamus, quæ sint probabilia, ideo subdit philosophus, probabilia sunt, quæ uidentur uel omnibus, uel pluribus, uel sapientibus, & his uel omnibus, uel pluribus, uel maxime cognitis, & probatis, omnibus quidem probabilia sunt, ut sanitatem esse expetendam, ui-

quænam sint probabilia.

quænam sint omnibus probabilia.

tam esse expetendam, scire pulchrum esse, parentes esse honorandos: hæc enim omnibus probantur, quòd si qui aliter affirmant, id aduersus intrinsecã rationem dicunt. plurimis autem probabilia sunt, prudentiam esse diuitiis eligibiliorem, & animam corpore præstantiorem. notatq; hoc loco Alexander, quòd si dialecticus de his solum disputaret, quæ in communi notione uersantur, ea ipsi sufficerent, quæ omnibus, uel pluribus probãtur: sed quoniam plerunque etiam de his, quæ à communi notitia remota sunt, ideo ea etiam probabilia assumit, quæ sapientibus uidentur. omnibus autem sapientibus uidentur, quæ animi bona scientia, scilicet & uirtus sint præstantiora bonis corporis, quòd ex nihilo nihil fiat. plurimis autem sapientibus probabilia sunt uirtutem esse per se expetibilem. & si aliter Epicurus sentiat felicitatem à uirtute fieri, quòd non detur aliquod corpus indiuisibile; & si aliter sentiat Democritus, quòd non sint mundi infiniti; & si contra Anaxagoras opinatus sit; celeberrimis autem probabilia sunt, animam humanam esse immortalẽ, quæ fuit Platonis opinio, uel esse quoddam quintum corpus, quam dicit Alexander fuisse Aristotelis sententiam, quod & M. Tullius eidem attribuit, licet alii omnes aliter sentiant de Aristotelis opinione. sunt autem hæc probabilia, & si uel pauci admodum, uel unus tantum forte ita sit opinatus, quoniam sicut illi probatissimi sunt, ita eorum opiniones maxime probabiles esse uidentur. notandum autem est differre probabile à uero, non eo quòd probabile falsum sit, ut plurimum enim probabile, neque omnino est uerum, neque omnino falsum, sed differunt iudicio. dicitur enim uerum ex ipsa re, quando scilicet cum re consentit. probabile autem dicitur ex audiẽtium opinione: si enim ita audientes opinentur, probabile dicitur. probabilia enim quatenus probabilia sunt, neque uera, neque falsa sunt: quædam enim uera probabilia sunt, ut Deos esse: quædã etiam uera sunt, quæ non sunt probabilia, ut quòd extra cælum nihil sit: quædam etiam sunt falsa, & probabilia, ut quòd Deus omnia possit, neque enim mala potest, sicut & pleraque sunt, & falsa, & non probabilia: sed ex his nulla fit argumentatio. notandum etiam est, pleraque probabilia esse inter se opposita. sæpe enim quod probatur uulgo, non probatur à sapientibus, ut quòd bona animi præstent corporis bonis. M. Tulius primo de inuẽtione probabile dicit esse id, quod fere fieri solet, ut matres diligere filios suos, & id, quod in opinione positũ est, ut impiis apud inferos pœnas esse paratas: & quòd ad hoc habet quandã similitudinem, ut si his, qui imprudenter cesserunt ignosci, conuenit: his, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet. hoc autem probabile in quatuor partes diuiditur, in signum, quod uel negocium præcedit, uel comitatur, uel consequitur. credibile iudicatum, quod est uel religiosum, uel commune, uel approbatum: & comparabile, cuius partes tres sunt, imago, collatio, exemplum.

quænam sint plurimis probabilia.

quænam sint probabilia omnibus sapientibus.

quænam sint probabilia celeberrimis sapientibus.

quòd etiam probabilia sunt ea, quæ uel unus, uel pauci admodum senserint, si illi probabiles fuerint.

quid sit probabile ex M. Tullii opinione.

in quot partes diuidatur probabile.

Litigiosus autem syllogismus. duplicem ostendit philosophus esse syllogismum litigiosum, & qui procedit ex apparenter probabilibus, sed rectam seruat connexionem: & qui connexionem prauam habet, uel sit ex uere probabilibus. statuitq; philosophus eum, qui in connexione syllogistica peccat, non esse dicendum syllogismum, sed hoc totum syllogismum contentiosum, quemadmodum homo mortuus non dicitur homo, sed hoc totum homo mortuus. qui uero syllogisticam connexionem seruat, sed procedit ex apparentibus probabilibus, dici potest syllogismus. ratio autem quare hic sit syllogismus, hic uero non est, quoniam uitiatur syllogistica connexio, perit syllogismi natura non aliter, quàm homo desinit esse, quod est, si anima

quotuplex sit syllogismus litigiosus.

priuetur,

priuetur, quoniam non poterat hæc definitio intelligi, nisi cognosceremus quid essent apparenter probabilia, & quid differrent à uere probabilibus, ideo hoc ipsum declarabit philosophus. dicit enim, quòd nihil eorum, quæ sunt probabilia in superficie idem, sunt apparenter probabilia, habet omnino fantasiam idem, sunt uero probabilia. id autem est apparenter probabile & in superficie, quòd facile redarguitur, quia scilicet promptam habet instantiam, ut si dicamus, quod uidet, oculos habet. si quis enim hoc admittat, fateri cogetur oculum habere oculos, ita si quis fateatur, quæ loqueris, ex ore exeunt, audire poterit, currū loqueris ergo: currus ex ore exit. eodem modo qui oculos habet, uidet, sed dormiens habet oculos, ergo uidet. in his si quis parum inspiciat, mox deprehendet mendacium, quod non habeant ea, quæ uere probabilia dicuntur: neque enim hoc facile quis redarguet, quod maiori bono contrarium est, maius malum est: in multis enim hoc uerum est, falsum tamen quandoque deprehenditur. nam morbus, qui est maius malum, quàm mala habitudo, contrariatur sanitati, quæ est minus bonum, quàm bona habitudo.

quid sint apparentur pbabilia; & quid differant à uere probabilibus.

Principia litigiosarum orationum. per hoc intelligit philosophus propositiones, ex quibus litigiosi syllogismi fiunt, non autem horum argumentorum loca. NOTANDVM autem est differre litigiosum, seu contentiosum syllogismū à sophistico ex utentis instituto. contentiosus enim est, qui uictoriam aspirat: sophisticus autem, qui gloriam. sophistice enim ex fucata sapientia gloriam captat, ut inde pecunias acquirat, ut dicitur, primo Elenchorum capite decimo.

quid differat litigiosus syllogismus à sophistico.

Adhuc autem præter dictos omnes syllogismos. aliam syllogismi differentiam affert philosophus, qui est paralogismus, qui fit in scientiis ex propriis quidē principiis alicuius scientiæ procedens, sed male deductis, atque ideo falsis. appellauit autem philosophis scientiis geometriæ cognatas stereometriam, perspectiuam, astrologiam, arithmeticam, musicam, architecturam, chosmographiam, mechanicen, & alias quasdam. quòd autem huiusmodi syllogismi à superius dictis differant, patet: non enim sunt demonstratiui, quia falsum concludunt. nam etsi propria principia alicuius scientiæ assumant, quæ uera sunt, eo tamen modo intellecta, quo falsus descriptor illis utitur, sunt falsa. neque etiam huiusmodi syllogismi dici possunt dialectici, quoniam ex probabilibus non sunt: neque enim quæ omnibus probantur, neque quæ pluribus assumunt, neque quæ omnibus sapientibus, neque quæ plurimis, neque celeberrimis, sed neque dici possunt hi syllogismi litigiosi, quoniam non assumunt apparenter probabilia. propria enim principia non uulgo, sed his, qui in scientia sunt uersati, cognoscuntur quare probabilia dici non possunt, & cum ad prauum sensum deducuntur, non etiam dici poterunt apparenter probabilia.

quid sit paralogismus.

quænam sint scientiæ geometriæ cognatæ.

Λημμάτων. λήμματα sunt apud Aristotelem propositiones syllogismorū, quas nos præmissas appellamus, & sumpta: unde syllogismi defectuosi, qui ex una tantū propositioni constabāt, ab Antipatro μονολήμματι sunt appellati. notandum est paralogismum, qui in scientiis fit, qui pseudographus appellatur, ita se habere ad demonstrationem, quemadmodum se habet contentiosus ad dialecticum. notandum præterea est paralogismi nomine, comprehēdi utrunque modum syllogismi contentiosi, syllogismum sophisticum pseudographum, & tentatiuum.

λήμματα quæ sint.

quonam modo paralogismus habeat se ad demonstrationem.

Species igitur syllogismorum, ut figura quadam complecti licet. Plures affert rationes Alexander, quare dixerit philosophus, ut figura quadam complecti licet, uel

rationes quare philosophus dixerit,

ut figura quadam complecti licet.

uel quoniam non tradiderit diligentem, & exquisitam horum definitionem. non enim ad hoc institutum pertinebat, uel quia non omnes syllogismorum differentias est persecutus. eas enim prætermisit, quæ sumuntur penes differentias propositionum, & quæ penes earum connexionem, uel quoniam prætermisit enthymema, quòd quamuis non sit simpliciter syllogismus, est tamen syllogismus rhetoricus, uel quoniam prætermisit syllogismum tentatiuum, de quo alibi facta est mentio. est autem syllogismus tentatiuus, qui procedit ex probabilibus, non simpliciter, sed respondenti. est enim tentatiuus syllogismus ad eos refellendos, qui fingunt se aliquid scire, quod nesciunt: sed dubitat Alexander, ac fere affirmat idem esse syllogismum tentatiuum, ac pseudographum. philosophus enim in Elenchorum libro tentatiuum syllogismum definit, quod fit ex his, quæ respondenti probantur: & quæ necessario tenere debet is, qui profitetur se habere scientiam. hoc autem idem est, ac si diceret ex peculiaribus scientiæ principiis. hæc enim tenere debet, qui scientiam habere profitetur. appellatur autem tentatiuus à proposito, & instituto interrogantis, pseudographema autem ab effectu.

quid sit syllogismus tentatiuus.

qua in re tentatiuus syllogismus differat à pseudographo.

Vt autem uniuersaliter dicamus. Admonet philosophus in his, quæ dicta sunt, ac in omnibus, quæ sunt dicenda, non esse expectandam certam, ac demonstratiuam scientiam, quia proposita tractatio id non fert, cum de probabilibus sit, quorum certa, atque exquisita scientia haberi non potest, ut dicebat in secundo metaphysices, certitudo mathematica non est in omnibus expetenda, neque omnium potest haberi demonstratio.

quòd non in omnibus rebus sit quærenda demõstratiua scientia.

QVAERVNT quidam, cum philosophus attulerit duos syllogismos contentiosos, alterum, qui peccat in materia, alterum, qui peccat in forma, cur unum tantum pseudographum, qui in materia peccat, soluunt, quòd peccatum formæ est commune omnibus syllogismis: quoniam igitur ipsum exposuit in syllogismo contentioso: ideo hoc loco ipsum prætermisit, at peccatum materiæ est singulis proprium.

dubitatio q̃re philosophus attulerit duos syllogismos contentiosos, & unum tãtum pseudographum.

CAPVT SECVNDVM.

quid agit Philosophus in hoc capite secondo.

Consequens autem est, ut dicamus. AGIT in hoc capite philosophus de dialecticæ utilitate, ostenditq; ipsam esse utilem ad tria, ad exercitationes, ad colloquia, & ad disciplinas. ac præterea dicit ipsam utilem esse ad confirmanda principia scientiarum, quæ in ipsis scientiis probari non possunt. postremo ostendit, quando perfecte hanc artem nos habere cognoscemus.

Habebimus autem perfecte. Tunc dicit philosophus nos hanc artem habituros, quando ea omnia, quæ apud artem sunt, efficere poterimus, ut finem assequamur, quemadmodum & in aliis plerisque artibus se habet, ut rethorica, medicina, & nauigatoria.

quare dixerit philosophus & ceteris huiusmodi artibus.

Et ceteris huiusmodi facultatibus. Facultates dicit philosophus, quasi artes diceret, eo quòd omnis ars potentem efficiat artificem ad operandum. dixit autem & ceteris huiusmodi, idest in aliis artibus, quæ coniecturales sunt, sicuti enumeratæ. notandum autem est duo esse artium genera: aliæ enim coniecturales sunt, aliæ uero non coniecturales: differuntq; inter se coniecturales ab his, quæ coniecturales non sunt, primo, quòd in his finis semper sequitur ea, quæ finis gratia recte sunt acta, quòd si finis non eueniat ob errorem aliquem contingit eorum, quæ facta sunt, non secundum artem. in coniecturalibus autem non omnino, si ex arte efficiantur, quæ finis gratia fiunt, finis consequetur: quamuis enim medicus rectissime operetur, non tamen semper

quòd duo sũt artium genera coniecturales, scilicet, & non coniecturales.

ſemper ſanat, eodem modo & orator, & dialecticus, & nauta. ſecundo differunt, quòd artium coniecturalium finis poteſt etiam ſine arte caſu fieri, illarũ nequaquam. tertio differũt, quòd in artibus coniecturalibus multa contingunt, quæ finem earum impedire, ac peruertere poſſunt. in aliis autem aut nunquam, aut rariſſime huiuſmodi aliquid euenit, atque hinc fit, ut coniecturales artes non poſſunt per media quædam determinata ſemper procedere; ſed prudentia multa opus ſit, ut quæ contingunt, opus ſuum non impediant. quarto differunt, quòd in coniecturalibus artibus certo perſpectum habere quid ſit agendum, & impoſſibile fere eſt: quoniam, quæ aguntur, non ſemper per omnia ſimiliter admouentur, ſed, rationalibus coniecturis, ad id, quàm proxime fieri poteſt, accedendum eſt. his igitur de cauſis coniecturalium artium opus eſſe uolunt non finem aſſequi, ſed ea agere, quæ ad finem aſſequendum ſint accommodata, cum hoc ſolum non ſufficiat ad finem aſſequendum: ſed & aliis quibuſdam opus ſit, quæ in arte non ſunt: in his enim concurrit fortuna. earum uero artium, quæ coniecturales non ſunt, opus eſt non ſolum actio, quæ ſecundum artem fit, ſed & ipſe finis.

coniecturales artes non poſſunt per media quædam determinata procedere.

quod nam ſit coniecturaliũ artium opus.

quod nam ſit non coniecturalium artiũ opus.

CAPVT TERTIVM.

Primum igitur conſiderandum eſt, etc. ABSOLVTO proemio aggreditur Philoſophus hoc loco tractatum, proponitq; conſiderandum eſſe, ex quibus conſtet propoſita methodus, quod habebimus, ſi ſciamus ad quot, & qualia ſint dialecticæ orationes, id eſt, quot, & quæ ſint problematum genera, de quibus agit dialecticus: & ex quibus propoſitionibus huiuſmodi orationes conſtent. deinde oſtendit æqualia eſſe numero problemata, & propoſitiones, & omnem propoſitionem, omneq; problema conſtare ex genere proprio, aut accidente. differentiam enim ad genus deducit: proprium autem diſtinguit in id, quod explicat, quid eſt eſſe rei, quod eſt definitio: & id, quòd non explicat, quod propriũ appellatur. quare quatuor ſunt termini, genus, definitio, propriũ, & accidens, qui tamen problemata non ſunt, neque propoſitiones, ſed ex ipſis hæc fiunt. ultimo oſtendit, quid differat problema à propoſitione, quòd ſcilicet modo tantum inter ſe differunt.

quid agat philoſophus in hoc tertio capite.

Ex quibus methodus ſit. id eſt, ex quibus dialectica facultas conſtet, ex quo patebit, ex quibusnam poterit aliquis dialecticus effici. qui enim nouerit ex quibus dialectica facultas conſtet, cognoſcet etiam, ex quibus poterit quis effici dialecticus.

Ad quot, & qualia. intelligit philoſophus problemata, quia ſcilicet conſiderare oportet, quot problematum ſint genera, de quibus agit dialecticus, & qualia ſint.

quid intelligat philoſophus, cum dicit ad quot, & qualia.

Et ex quibus. intelligendum eſt ex quot, & qualibus propoſitionibus. non enim omnes propoſitiones dialectico ſunt accommodatæ. notandum autẽ eſt duas eſſe propoſitionum ſpecies, propoſitionem ſcilicet dialecticã, propoſitionem ſyllogiſticam. propoſitio dialectica eſt interrogatio contradictionis, ut nunquid bonum efficit bonos. propoſitio uero ſyllogiſtica eſt, quæ in ſyllogiſmo aſſumitur ad aliquid concludendum. intelligit hoc loco philoſophus de dialectica propoſitione, quoniam ab hac ſyllogiſtica etiam propoſitio aſſumitur. cum enim interrogans reſpondentis habet aſſenſum, tunc propoſitionem, quam interrogauerat, aſſumit ad concludendum.

quid intelligendũ ſit per illud, & ex q-bus.

quòd duæ sũt propoſitionũ ſpecies.

de qua propoſitione intelligat hoc loco Philoſophus.

Orationes. per orationes intelligit Alexander ſyllogiſmos, & inductiones, quorum utrunque ad dialecticũ pertinet: ſed melius forte per orationes intelligere

quid intelligat Alexãder ꝑ orationes.

telligere possumus ipsos dialecticos, congressus, & colloquia, ut idem hoc loco, & paulo inferius intelligamus, ubi dicit, ex quibus orationes, & de quibus syllogismi.

quid intelligat Alexander per illud his, & huius opinionis probatio.

Et quo pacto his abundemus. per illud, his, intelligit Alexander syllogismos, & inductiones, quòd autem hoc intelligendum sit, ex eo probat, quoniam philosophus paulo post dicit, instrumenta autem, per quæ syllogismis abundemus, quatuor sunt, attamē, quoniā de syllogismis hic nulla est mētio, melius est per illud, his, intelligere problemata, & propositiones, cum in abundantia etiam propositionum potissimum consistit dialectici uis.

alia hac melior opinio.

probatio quare propositiões & problemata sint numero æqualia.

Numero æqualia & eadem sunt. cum enim idem significent, ac modo tantū differant propositiones, & problemata, ergo numero sunt æqualia. ut ita deducatur ratio, quæcunque idem significant, & modo tantum differunt, sunt æqualia numero: sed propositiones, & problemata idem significant, & modo tantum differunt, ergo sunt numero æqualia. quòd modo tantum differant, in fine capitis ostendit. quòd autem idem significent, ex eo nunc probat quòd omne problema, & omnis propositio horum aliquod significat genus definitionem proprium, & accidens, quod quidem nunc assumit ex inductione. posterius autem syllogistice probabit, sed potest hoc etiā modo probari in omni problemate, & omni propositione. terminus aliquis, de aliquo prædicatur, uel igitur substantialiter de ipso prædicatur, uel accidentaliter: si substantialiter prædicetur, uel cum ipso conuertitur, uel eo est amplius: si accidentaliter prædicatur, uel soli conuenit, & est conuertibile, uel tale non est. quod igitur substantialiter prædicatur, est quæ conuertibile, definitio est, quòd est amplius, est genus. differentia autem ad genus refertur, quòd prædicatur accidentaliter, & est conuertibile, proprium est, quòd non est conuertibile, est accidens. quare omne problema, ac omnis propositio significat uel genus, uel definitionem, uel propriū, uel accidēs.

quare differētia ad genus sit deducēda.

Differentia enim cum generica sit. Ne quis suspicetur differentiam esse prætermissam; dicit ipsam ad genus esse deducendam. ad genus autem est deducenda, quoniam est in substantia rei, quemadmodum & genus, & eorum utrunque est completiuum suorum subiectorum: præterea & eorum utrunque de pluribus prædicatur, specie differentibus. in eo autem potissimum differunt, quòd genus in quid; differentia in quale prædicatur: quoniā scilicet differentia per se sumpta formam potius declarat, quàm compositum: at genus cōpositum potius declarat.

in quo differat genus à differentia.

dubitatio quare species inter hæc prædicata non enumeretur.

SED dubitaret quis, cur inter hæc prædicata non enumeretur species. soluit Alexander, quòd dialectica problemata de huiusmodi subiectis fiunt, quæ possint definiri. hæc autem species sunt: sola enim species definitur, si autem species prædicaretur, subiectum esset indiuiduum, cuius non est definitio. aliter etiā soluit, quòd si quandoque speciei problema fiat, huiusmodi problema ad problema generis reducemus propter multam similitudinē, quam inter se habent genus, & species.

in quot partes philosophus diuidat proprium.

Quoniam autem proprium. diuidit philosophus proprium in id, quòd explicat quid est esse rei, & id, quod tale non est, illud appellatur. definitio à græcis ὅρος hoc uendicat sibi nomen generis, ac dicitur proprium, quo loco notandum est plerunque contingere, quod species aliqua eo quòd proprio nomine sit destituta, generis nomen sibi assumat, & approprieт.

quòd illi quatuor termini, genus, propriū, definitio, &

Nullus autem existimet. Declarat philosophus, quòd hi termini, genus, definitio, proprium, & accidens non sunt propositiones, aut problemata, sed ex ipsis hæc fiunt, non solum autem problemata, aut propositiones non sunt

hi

hi termini, quando incōplexi sunt, sed etiam quando aliquid de aliquo enunciatur, nisi adiiciantur particulæ illæ, nunquid, & utrum: quare si dicamus, homo est animal, neque erit dialectica propositio, neque problema.

Problema & propositio differunt modo. quid differant problema, & propositio inferius, capite octauo, diligentius explicabit philosophus, ut tamen hoc etiam loco aliquid dicamus. notandum est duplex esse genus interrogationis. alia enim est, quæ πυσματικὴ dicitur, nobis dici potest quæsitiua: alia uero est dialectica. dialectica interrogatio est, ad quam responderi potest, ita, aut non, ut nunquid anima est immortalis: & quando in hac interrogatione altera tantum contradictionis pars exprimitur: reliqua uero subintelligitur quandoque ambæ proponuntur, ut nunquid anima est immortalis, aut non. quæsitiua autem interrogatio est, ad quam hoc modo non potest respondeti affirmando, aut negando; sed alia oratione opus est, ut si dicamus, quare anima est immortalis, aut unde uenisti, atque respondens quæsitiuæ interrogationi, infinita potest respōdere uera scilicet & falsa. respondens uero interrogationi dialecticæ, coactus est alterum membrum contradictionis respōdere: sub hac dialectica interrogatione cōtinentur dialectica propositio, & problema. differt autem à dialectica propositione problema modo tātum prolationis. si enim proponatur adiecta particula ἄραγε, quæ est apud nos, nunquid propositio est: si autem proferatur particula πότερον, problema est. quare si dicamus nunquid anima est immortalis, dialectica est propositio: at si dicamus, utrū anima est immortalis, aut non, problema est. Neque aliam differentiam præter hanc considerauit hoc in loco philosophus, quòd patet cum in fine capitis dicat, ex omni enim propositione problema facies, si modum commutabis. aliam tamen differentiam inter dialecticam propositionem, & problema retulit Alexander. dicit enim, quòd dialectica propositio est petitio responsionis alterius partis contradictionis: problema autem probationem potius quærit alterius partis contradictionis, quare uult dialecticam propositionem sub dialectica interrogatione. problema uero sub quæsitiua interrogatione contineri. uerum hæc opinio non satis tuta esse uidetur, cum ad problema alteram tantum contradictionis partem respondere possimus. alia est opinio ab ipso etiam Alexandro relata, & reiecta, quòd scilicet dialectica propositio alterū tantum membrū contradictionis quærat: problema uero utrunque, cui sententiæ fauent dicta Aristotelis. in exemplo enim problematis dixit, utrum animal pedestre bipes est definitio hominis, uel non: in exemplo autem propositionis dixit, nunquid animal est hominis genus; sed contra hanc sententiam dupliciter Alexander obiicit, primo, quòd non seruat propositionis definitionem à philosopho traditā, quòd est interrogatio contradictionis: præterea quòd propositio, & problema non solum modo differrent, quod dixit philosophus, si problema per contradictionem comprehendit, propositio uero alteram tantum eius partem, án igitur forte hoc modo differunt propositio, & problema, quòd etsi utrunque sub interrogatione dialectica comprehendatur, attamen propositio habet alteram tantum partem contradictionis probabilem, quā ipsi respondenti proponit interrogans, ut nunquid bonum bonos efficit. problema autem utranque partem contradictionis habet probabilem, ut utrum anima est immortalis, ita quidem apud philosophos accipitur problema, sed apud mathematicos alio modo accipitur. omnia enim illa, quæ ab ipsis demonstrantur, propositiones appellantur, antequam scilicet demonstrentur. cum enim demonstrata sunt, non amplius propositiones, sed conclusiones

accidens non sunt neq; propositiones, neque problemata.

duplex est genus interrogationis.

dialectica interrogatio quid sit.

quæsitiua interrogatio quid sit.

quid differat problema à dialectica propositione.

alia differētia ex Alexādri opinione inter problema, & propositionem dialecticam.

duplex cōtra hanc opinionē obiectio.

quomodo accipiantur propositiones apud mathematicos.

clusiones appellantur. harum igitur propositionum quædam sunt theoremata, & quædam problemata: theoremata sunt illa, quæ aliquid considerant,& speculantur proprietatem, scilicet aliquam de aliquo subiecto: problemata autem sunt, quæ docent aliquid efficere, ut figuram aliquam describere. exẽpli causa, hoc est theorema, omnis triangulus habens duo æqualia latera, angulos etiam, qui super basim sunt illis æquis lateribus contentos æquales habet. hoc uero problema est, super datam lineam triangulum æquilaterum constituere, eodem modo omnes aliæ propositiones sunt æstimandæ.

CAPVT QVARTVM.

quid in hoc quarto capite agat philosophus.

Est autem dicendum quid sit definitio etc. CVM proposuerit philosophus quatuor genera problematum, & propositionum, eo quòd prædicata, quæ in ipsis assumuntur, quatuor sunt. nunc quid eorum prædicatorum unumquodque sit, explicat. primumq; explicat, quid sit definitio, quia definitio est aliis præstantior, dicit igitur, quid definitio sit, & quòd non solum aliquid incõplexum potest definiri, sed & aliquid complexum: & quòd definitio non est, quæ non est oratio, ut cum nomen per aliud nomen interpretamur: deinde ostendit, quid sit ὁρικὸν, id est problema, uel propositio definitionis, quòd est, cum dicimus, hoc esse illud, uel utrum sit illud, aut ab illo diuersum: & quòd hæc sint difinitionis problemata, ex eo probat, quoniam si sciamus ostendere aliquid non esse idem cum alio, destruimus definitionem, licet hoc non conuertatur.

metaphora sumpta à terminis agrorũ ad definitionem.

Dicendum autem quid terminus. duo sunt nomina apud græcos ὅρος καὶ ὁρισμὸς, quibus definitionem appellant, quæ sumpta sunt à terminis, qui in agris ponuntur, quemadmodũ illis unusquisque ager circũscribitur, ut nequid unius excludatur, ne quid alterius includatur. eodem modo & definitio ita rem unamquanque circunscribit, ut ne quid eius excludatur, ne quid alieni includatur. ita enim cum re definita conuertitur, nos autem eam appellamus definitionem: uel si magis Ciceronem imitemur, definitionem, nõnunquã etiã interpretes termini nomine utuntur. notandumq; est tripliciter terminum accipi: alius enim est terminus rei, alius terminus essentiæ, alius terminus propositionis. terminus rei est uniuscuiusque rei extremum: terminus essentiæ est ipsa definitio: terminus propositionis est subiectum, & prædicatum.

tripliciter terminus accipitur.

SED dubitare quis possit, quomodo definitio possit definiri. uidetur enim, quòd si definitio definiatur, futurus sit processus in infinitum in definitionibus quærendis. dicendum est ex sententia Alexandri, quòd hoc loco philosophus definit ipsam definitionem in uniuersum, atque ita definit omnes definitiones, quatenus definitiones sunt. unaquaque igitur particularis definitio in eo, quòd definitio est, definitionem habet: at in eo, quòd definitio talis non habet definitionem aliam.

quòd definitio oportet, ut ad minimũ ex duob⁹ uerbis constet.

Est autem definitio oratio. dixit philosophus definitionem esse orationem, quoniam ex uno tantum nomine non constat definitio, sed ut minimum ex duobus. oportet enim in definitione adesse proprium genus, & propriam differentiam, ut cum dicimus, homo est animal ratiocinatiuum, quòd si uel proprium genus, uel propria differentia ignoretur, pluribus etiam nominibus opus est.

quomodo interpretari debeamus particulam illã τὸ,

Τὸ, τὶ ἦν εἶναι. particulam τὸ, interpretari debemus ipsum, non autem quod. est enim articulus, non autem relatiuum. particulam ἦν, notant græci accepisse philosophum pro est, secundum atticæ linguæ consuetudinem, quæ

utitur uerbo præteriti imperfecti temporis loco præsentis. erit igitur hoc τὸ τὶ ἦν εἶναι apud nos ipsum quid est esse, non autem quòd quid erat esse, ut uulgo interpretantur. notat autem Alexander dixisse philosophum definitionẽ explicare ipsum quid est esse, quoniam cum in unaquaque re plura insint: definitio ex his, quæ rei insunt, alia separans hæc sola accipit, quibus res determinatur, & in quibus est ipsius rei esse, & quatenus differt ab aliis hoc, cui esse illud competit.

Et quoniã Anthistenes, & Stoici quidam accusarunt Aristotelem, quòd frustra adiecisset particulam esse, cum satis fuisset dicere definitionem explicare, quid sit res. sed ostendit Alexander non frustra hoc adiecisse philosophum, quoniam, nisi adderetur ea particula, oratio etiam, in qua assumitur genus remotum, simul cum differentia aliqua esset definitio, eo quòd explicat quid sit res: ut si dicamus, homo est corpus uiuens, hæc autem separantur adiecta particula esse. nihil enim est, quòd explicet, quid sit esse rei, nisi definitio. idem igitur potest allata definitio, ac si dixisset, oratio rei substan stantiam significans, & id secundum quod ipsa res habet esse. notandum etiã est, consueuisse Aristotelem, & græcos omnes interpretes, quando significare uolunt esse alicuius rei, quòd in definitione ponitur rem illam ponens in datiuo casu, ut in prædicamentis, cum dixit τί ἐστιν αὐτῶν ἑκατέρῳ τῷ ζῴῳ εἶναι, hoc autem modo dicunt intelligentes, quòd definitio explicet formã, quasi dicant, quid in unoquoque sit, propter quod sit tale, hoc autem est forma. proprie enim ex forma sumitur definitio, quia materia est causa communicationis cum ipsis rebus, forma uero differẽtiæ. per definitionem autem uolumus res inter se separare, ac distinguere.

quòd immerito quidam Aristotelẽ accusarint, ꝙ frustra adiecisset particulam esse.

Assignatur autem aut oratio pro nomine, aut oratio pro oratione. Quomodo afferatur oratio definitiua, scilicet pro nomine palam est, sed affertur etiam pro oratione. hoc autem tripliciter fit, primo, quando definitum non potest uno nomine explicari, ut animal terrestre, quòd si definiamus, dicemus, ipsum esse substantiã animatam, sensitiuam, aptam, natam in terra uersari. secundo, quando oratio, in qua sit proprii assignatio, in definitionem transmutatur, ut si dicamus, animal risibile est animal rationis particeps. tertio, quando ex his, quæ in oratione ponuntur, unum non fit, & uel eorum aliquod, uel unumquodque definitur, ut si definiamus, homo ambulans, quòd sit animal rationale mortale, quòd cruribus per terram defertur.

quòd tripliciter afferatur oratio definitiua.

Quicunque autem quolibet nomine. Quando nomen per aliud nomen explicatur, uel in eadem lingua, uel in alia huiusmodi interpretatio, definitio non est, ad problema tamen definitionis deducitur. problema autem definitionis, quæ ipse dicit, orica sunt, in quibus quæritur, utrum hoc sit idem cum illo, uel sit ab eo diuersum, ut utrum idem sit continentia, & temperantia: & quòd recte dicantur problemata definitionis, ex eo ostendit, quoniam sub eandẽ methodum cadunt cum ipsis definitionibus: hæc autem methodus est esse idem, uel diuersum. si enim probemus non esse idem, definitionem destruimus, licet ratio non conuertatur. ostendit autem Alexander, quomodo hoc non conuertatur, quomodo scilicet non satis sit ostendere aliquid esse idem alicui, ut probetur, quòd sit eius definitio. idem enim sunt color, & per se uisibile, sonus, & per se audibile, sapor, & per se gustabile, non tamen hæc sunt eorum definitiones: neque color, quatenus color, est talis, sed hoc habet ex habitudine quadam, quæ est inter ipsum, & sensum.

quod quãdo nomen per aliud nomẽ explicatur diuersa lingua, non est definitio.

Proprium autem est etc. Cum egerit philosophus de definitione, nunc agit de proprio, quod cum ipsa multam habet similitudinem. primo igitur propriũ definit,

quid sit proprium.

definit, quòd non indicat quid est esse, soli autem inest, & conuersim de re prædicatur, ostenditq́;, quomodo conuersim de re prædicetur, & quòd si quid non insit, soli non erit proprium simpliciter, sed forte aliquando, aut alicuius respectu, & quod hæc, quæ soli non insunt, non prædicãtur cõuersim. Agit postea de genere, ipsumq́; dicit esse id, quod de pluribus prædicatur differentibus specie in quid est, declaratq́; quid sit prædicari in quid, postea declarat, quod sit problema generis, uel genericum, quod est, ubi quæritur, utrum aliqua sint in eodem genere, uel in alio, idq́; probat, quoniam hæc problemata in eandem incidunt methodum cum ipso genere. si enim probemus, quòd anima sit genus hominis, & bouis, utique ostendimus, quòd hæc etiam sub animalis genere reponuntur. si autem ostendamus, quod animal est huius genus, huius uero non est: probamus etiam, quòd hæc sub eodem genere non sunt.

duplex accidentis definitio.

TRANSIT deinde ad accidens, cuius duas affert definitiones. prima est, quòd accidens non est, neque definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei, altera est, quod potest inesse alicui, & non inesse, dicitq́;, quòd hæc posterior definitio melior est, quoniam per se intelligi potest, ut prior autem intelligatur, intellexisse oportet, quid illa omnia sint. deinde ostendit, quæ sint problemata accidentis, quòd scilicet sunt, in quibus continentur comparationes ab aliquo accidente, quomodocunque desumptæ. postremo ostendit, quod accidens potest esse proprium, non quidem simpliciter, sed uel aliquando, uel alicuius respectu.

CAPVT QVINTVM.

quid philosophus egerit in superiori capite. quid nũc deinceps sit acturus.

DIVISIT philosophus problemata in quatuor genera, prout quatuor termini sunt, à quibus sumuntur, ostenditq́;, quod esset eorum unusquisque. nunc admonet, quòd quæ de proprio genere, & accidente dicta sunt, de definitione etiam dici possunt, quòd scilicet quemadmodum accidens infirmamus, genus, & proprium, eodem modo & definitionem infirmamus. quare dicit, quòd aliquo modo omnia problemata dici possent annexa definitioni, attamen dicit, in his omnibus non esse eandem quærendam methodum, quoniam & difficilis esset inuentu, & inutilis. si autem circa unumquodque problematis genus propria afferatur methodus, facile poterimus de singulis differre ex propriis locis, quare uniuersaliter diuidit problemata in quatuor genera, & singulis generibus, quæ propria erunt, adnectet.

quare philosophus dixerit, quod omnia &c.

Quod omnia, quæ ad proprium, & genus, & accidens dicta sunt. Hoc autem est, quòd ex quibus ostendere possumus aliquid non esse accidens, aut genus, aut proprium alicuius, omnia ad definitiones etiam accommodantur, quoniam ex eisdem definitionem infirmamus. hoc autem ita patet. ostendimus aliquid non esse accidens alicui, si ostendamus ipsum non inesse rei: quod enim rei non inest, neque eius est accidens. sed eodem quoque modo definitionem infirmamus. si enim assignata oratio rei non inest, neque erit eius definitio. ostendimus autem aliquid non esse alicuius genus, tum eodem modo, quo accidens. tum uero (quod ei peculiariter conuenit) si ostendamus, quòd non sit de rei substantia: eodem quoque modo definitionem infirmamus. si enim assignata oratio non sit de rei substantia, neque erit eius definitio. ostendimus demum aliquid non esse alicuius proprium, tum eodem modo, quo accidens: tum uero (quod ei est peculiare) si ostendamus, quòd soli & omni nõ conuenit, eodem etiam modo definitionem infirmamus. oportet enim ut

definitio cum suo definito conuertatur, hoc autem fit si soli, & omni insit.

Quare secundum prius assignatam rationem. dictum superius fuit ubi scilicet de definitione agebatur, quòd ea dicebantur problemata definitiua, uel ad definitionem pertinentia, quæcunque sub eandem methodum cadebant cum ipsa definitione. hæc autem methodus erat, utrum aliquid sit idem alicui: per hanc enim definitionem infirmamus ostendentes, quòd assignata oratio non est idem cum re, sed ob eandem rationem: hæc alia problemata ad definitionem pertinebunt, quia quomodo unumquodque aliorum destruimus, definitionem etiam destruimus, ergo hæc omnia problemata ad definitionem quodammodo pertinent. sed dicet quis, si de his omnibus est eadem ratio, quare illa potissimum definitioni anneċtuntur? dicendum est hoc fieri, quoniam problema de eodem maxime proprium definitionis esse uidetur, quoniam definitio est eadem cum suo definito. alia est etiam ratio inferius explicanda, quoniam non semper alia problemata destruentes definitionem etiam destruimus.

quare secundum prius assignatam rationem hæc omnia problemata ad definitionem reduci possint.

Sed non propter hoc una in omnibus. ostendit philosophus hæc omnia problematum genera ad definitionem reduci non debere, quoniam hoc tum difficile est inuenire communes scilicet locos, quibus omnia confirmare, ac infirmare possimus, tum etiam est impossibile, quoniam licet quibus locis alia destruimus, accidens, genus, & proprium, definitionem etiam destruamus, non tamen commeat ratio, quòd quibus locis illa construimus, iisdem definitionem construamus. si quis enim ostendat aliquid alicui inesse, & non inesse, accidens quidem probabit, non autem probabit definitionem, immo ipsam destruet, non enim ita inest rei definitio, ut ab ipsa possit etiam abesse.

quod hæc omnia problemata ad unū genus reduci non possunt.

IMMO notandum est, quòd non solum aliorum constructio definitionem, non construit, sed neque ipsorum destructio definitionem omnino destruit, qui enim probat aliquid alicui ita inesse, ut ab eo abesse non possit, accidens quidem destruit, non tamen destruit definitionem, ita qui probat aliquid inesse alicui in eius substantia, non tamen de pluribus prædicari, destruit quidem genus, non tamen destruit definitionem, ita qui probat, aliquid inesse alicui conuertibiliter, & significare quid sit esse rei, destruit proprium, non autem destruit definitionem, non ergo in his eadem est constituenda methodus.

notādum est, quòd non solum aliorum cōstructio definitionē non construit, sed neque ipsorū destructio definitionem destruit, & mox exēpla subiiciuntur.

Et si inueniatur omnino est immanifesta, & inutilis. si enim eo solo modo, quo definitionem astruimus, uelimus cetera quoque construere, inutiliter omnino probabimus. quomodo poterit quis probare, aut accidens, aut genus, aut proprium ex his locis, quæ ad definitionis problemata accommodātur?

quomodo inutile sit inuenire modum, quo quemadmodum cetera astruimus, uelimus etiā definitionem astruere.

NOTANDVM autem est, quòd quædam, quæ accidens destruunt, definitionem etiam destruunt, ut non inesse rei. qui enim probat aliquid alicui nō inesse, destruit accidens: & eodem modo definitionem, quædam è conuerso cum destruant accidens, construunt definitionem, ut inesse rei, sed non ita, ut abesse possit: quædam uero construunt accidens, & destruunt definitionem, ut inesse rei, ita quidem, ut abesse etiam possit. eadem ratio est de genere. quædam enim sunt, quæ sic ut destruunt genus, ita destruunt definitionem, sicut non esse in rei substantia: quædam uero destruunt genus, & construunt definitionem, ut in substantia rei esse, sed non dici de pluribus: quædam uero construunt genus, & destruunt definitionem, ut in substantia rei esse, & dici de pluribus. eodem modo & de proprio dicendum est, quòd scilicet quædam destruunt proprium, & definitionem, ut non inesse omni, & soli: quædam destruunt proprium, & construūt definitionē, ut inesse omni,

& soli, & explicare quid est esse rei. quædam uero construunt proprium, & destruunt definitionem, ut inesse omni, & soli, & non esse de rei substantia,

CAPVT SEXTVM.

quid in capite superiori egerit philosophus.

Divisit philosophus problemata omnia, & propositiones in quatuor genera, exposuitq; quid esset unumquodque eorum, à quibus ipsa sumuntur: deinde ostendit, quòd aliquo modo hæc omnia problemata definitioni adnecti possunt, non tamen in omnibus est eadẽ methodus quærenda, sed de singulis distincte agendum esse. nunc agere uult de eodem, ac ostendere quotupliciter dicatur. agit autem de eodem ob duas præcipue causas. primo, quoniam superius dixit, definitionis problemata de eodem quærere, ut igitur huiusmodi problemata cognosci posint. de eodem hoc in loco agit, sicut terminos omnes superius definiuit, à quibus problemata sumuntur, ut problematum genera essent manifesta. ita hic de eodẽ agit, ut manifestũ fiat, quæ sint problemata definitiua de eodem quærere. secundo, quoniam utile hoc est ad plurima, quæ in dialectica tractantur. dicit igitur idem tripliciter dici, numero, specie, & genere: ostenditq; quid sit horũ unumquodque: deinde difficultatem quãdam proponit, quòd aquæ partes ab eodem fonte desumptæ non uidentur esse idem aliquo dictorũ modorũ: ac difficultatẽ soluit ostendens, quòd sunt idem specie; postea ostendit, quòd id præcipue idem uulgo dicitur, quod est idem numero; & quid idem numero tripliciter dici solet. primo, quando duo nomina proponuntur, quæ eandem habeant definitionem, uel aliquod nomen, & sua definitio. secũdo, quando subiectum, & eius proprium proponuntur. tertio, quãdo subiectum, & eius accidens proponuntur. probatq; hoc etiam ultimo modo idẽ numero dici.

quid in hoc sit tractaturus.

Vt figura complectamur. id est uel agendo de his uniuersaliter, uel non exquisite. notat autem Alexander philosophum in aliis locis addidisse idem analogia. addunt alii, & idem materia. sunt autem idem analogia, ut definit Alexander, quæ genera differẽtia in ratione habent similitudinem: ut si dicamus, quemadmodum se habet fons ad fluuium, ita unitas ad numerum: & quemadmodum se habet in oculo uisio, ita in anima mens. dicemus igitur, quòd fons, & unitas sunt idem analogia; & uisio, & mens. notandum autem est, quod hic est alius modus anologiæ ab ea, quam uulgo dicuntur analoga. hæc enim uel ab uno, uel ad unũ dicuntur: idem uero materia dicuntur, quæ eãdem habent materiam: hæc uero sunt, quæ inter se mutuo transmutãtur, sicut omnia generabilia, & corruptibilia.

quid Alexander notet.

Exemplum, quo fit approbatio Alexandri notatus.

Idem numero dicit esse philosophus, quorum nomina plura, res uero una. intelligere autem oportet, quòd hæc nomina dicantur de aliquo indiuiduo, & singulari. quoties igitur aliquod singulare duo plura ue habet nomina, illa dicuntur esse idem numero. sed diceret quis, si aliquod singulare habeat unum tantum nomen, nunquid erit idem numero? dicendum est, quòd modo sit una res subiecta singularis, uel habeat unum nomen, uel plura, semper erit eadem numero. si quando pluribus nominibus appellatur, est eadem numero; quanto magis, si unum tantum nomen habet? sed hoc philosophus prætermisit tanquam notum. solent enim sapientes uiri ea, quæ exposita sunt, & facilia, prætermittere: quæ autẽ magis abdita sunt, explicare; quod sæpe notauit Galenus de Hippocrate.

quæ facilia, prætermittenda: quæ uero magis de abdita, explicãda: & est ratio philosophi.

Videtur sane & ab eodem fonte. Non ab re proponit philosophus difficultatem hanc, quomodo diuersæ partes aquæ ex eodem fonte desumptæ dicantur eadem

dem aqua. patet enim, quòd non ſunt eadem aqua numero, quia diſtinctæ ſunt inter ſe: neque uidetur, quòd ſint eadem aqua ſpecie, quoniam eadem aqua ſpecie eſt, quæ etiam ex diuerſis fontibus, aut fluminibus, aut lacubus ſumitur. quæcunque enim aqua cuicunqne aquæ eiuſdem eſt ſpeciei, quare diuerſæ partes aquæ ab eodem fonte deſumptæ habebunt plus aliquid, quàm quòd ſint idem ſpecie. erunt igitur idem alio quodammodo præter enumeratos. ſoluit hanc difficultatem philoſophus, quòd diuerſæ aquæ partes ab eodem fonte deſumptæ ſunt eadem aqua ſpecie. maiorem tamen intenſioremq; habent ſimilitudinem, quàm quæ ab eodem fonte non ſunt deſumptæ: quemadmodum duo homines ualde ſibi ſimiles eſſent, idem homo ſpecie, nō magis tamen, quàm qui ualde ſunt diſſimiles, ſed ab illis differunt, quòd maiorem habent ſimilitudinem. atque hinc eliciendum eſt, quòd magis, & minus non uariant ſpeciem, dummodo ſit eadem forma, licet in accidentibus ſint ualde inter ſe diſſimilia, quæ eam formam habent, non tamen dicentur differre ſpecie: præterea licet ſint ualde inter ſe ſimilia, non tamen erunt magis eadem ſpecie, eo quòd ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus.

ſolutio philoſophi.

exemplum.

Maxime autem conſtat id, quod eſt unum numero etc. Hæc præcipue dicuntur idem, quoniam ſenſui patet, quòd idem ſunt, quæ ſunt idem ſpecie, aut genere, non æque ſunt ſenſui manifeſta, ſed ratione indigent, ut idem eſſe quis ea cognoſcat: neque enim quis facile concedet Platonem, & Socratem eſſe idem, cum manifeſtum ſit eos eſſe diuerſos?

Solet autem & hoc aſſignari multipliciter. Oſtendit philoſophus idem numero tripliciter dici. duo enim nomina, quæ eandem habeant definitionem, idem numero ſignificant, ut enſis, & gladius, item nomen, & eius definitio, ut homo, & animal greſsibile bipes, & hic eſt primus modus. ſecundo modo, ſubiectum, & eius proprium idem numero ſunt, ut homo & riſibile. tertio modo, ſubiectum, & accidens in eo exiſtens, idem numero ſunt.

exemplis probat philoſophus tripliciter idem numero dici.

SED hoc loco eſt difficultas quomodo homo, & animal greſſibile bipes ſint idem numero, quòd dixit Philoſophus, Socrates, & filius Sophroniſci eſt idē numero: at homo, & eius definitio nō uidetur quomodo ſit idē numero.

difficultas.

SOLVIT Alexander, quòd ſpecies, quando ad ſe ipſa comparatur (eodem modo, & genus) idem eſt numero. ſi enim dicas, quòd non ſit idem numero, erit igitur idem ſpecie; atque ſunt idem ſpecie, ſunt numero plura. ipſa igitur ſpecies ad ſe ipſa comparata, non autem ad indiuidua erit plura numero: quæ ſunt plura numero, ſunt inter ſe diſtincta, & unum ab alio ſeparatum. ergo ſpecies erit à ſeipſa diſtincta, & ſeparata præterea, quæ ſunt plura numero, in materia ſunt: differentia enim ſecundum numerum non eſt, niſi propter materiam: ſpecies igitur in eo, quòd ſpecies erit in materia, ſed quod eſt in materia, eſt indiuiduum, & ſingulare, ſpecies igitur non erit ſpecies, ſed indiuiduum, & ſingulare. de genere autem ſi dicamus ipſum non eſſe idem numero, ſed idem genere, hoc etiam maius ſequetur inconueniens, quòd idem à ſeipſo erit ſpecie differens: ea enim, quæ genere ſolum idem ſunt, ſpecie inter ſe differunt. his igitur rationibns probabiliter aſtruit Alexander, quòd ſpecies, & genus ſint idem numero: aliter tamen ſententiam fert. dicit enim, quòd ſi ſpecies, & genus eſſent aliquid per ſe, recte conclu derent priores rationes. hoc enim ſupponunt, ſed hoc ſuppoſitum eſt falſum, ſpecies, & genus in aliis habent eſſe, quare ſicuti ea, in quibus habent eſſe, ſunt idem inter ſe eodem modo, ſpecies, & genus erunt idem ſicuti, ſcilicet particulares homines ſunt idem inter ſe: ita & hominis ſpecies, quæ in ipſis eſſe habet, idem erit. quare ſpecies erit idem ſpecie, & genus idem genere,

ſolutio Alexandri.

quæ ſunt plura numero.

quid de genere.

difficultas.

nere, quomodo igitur soluenda est proposita difficultas? quomodo dicat philosophus, quòd homo, & animal gressibile bipes sunt idem numero. dcit Alexander, quod species, etiã sua definitio sunt idem numero, non quòd species sit idem numero secundum se, sed quoniam utrunque species, scilicet & definitio de eodem indiuiduo, & singulari sub ipsa specie contento uerificatur, non autem eorum alterum de uno: alterum uero de alio. si enim de Socarte loquamur, possumus dicere, Socrates est homo, & Socrates est animal gressibile bipes.

alia difficultas.

Est alia difficultas, cum idem tripliciter dicatur: est enim idem definitum, & definitio est idem subiectum, & proprium, & est idem subiectum, & accidens. quare philosophus problemata de eodem ad definitionem retulit potius quàm ad proprium, aut ad accidens. hanc difficultatem soluit ipsemet philosophus, cum dicit, quòd propriissime, & primo nomine, & definitione idem significatur. definitio enim uere idem est cum suo definito.

solutio difficultatis.

Notandum autem est, quòd cum oppositorum sit eadem disciplina, quot modis idem dicitur, totidem modis dicitur diuersum; uel enim aliqua diuersa sunt numero, ut Socrates, & Plato; uel specie, ut Socrates, & Bucephalus; uel genere, ut Socrates, & ulmus: quæ autem sunt idem numero, sunt etiã idem specie, & idem genere: quæ uero sunt diuersa genere, sunt diuersa specie, & numero: quæ autem sunt idem specie, sunt etiam idem genere; non est autem necesse, quòd sint idem numero. contra. quæ sunt diuersa specie, sunt etiam diuersa numero, non est autem necesse, quòd sint diuersa genere: quæ sunt idem genere, non est necesse, quòd sint idem specie, & idem numero: quæ uero sunt diuersa numero, non est necesse, quòd sint diuersa specie, aut genere.

quæ sunt idẽ numero, sunt idem specie.

CAPVT SEPTIMVM.

recenset obiter, quid in superiori capite egerit, & ostendit, quid in hoc sit tractaturus.

Quod autem ex prius dictis, etc. Cvm dixerit philosophus quatuor esse genera problematum: nunc ostendit, quòd plura esse non possunt, neque pauciora. primo quidem per inductionem ostendit ab his quatuor sumi omnia problemata, & omnes propositiones: deinde probat per syllogismum, quòd neque plura possunt esse, neque pauciora, quoniam omne, quod de aliquo prædicatur, uel de eo conuersim prædicatur, uel non si conuersim prædicatur, uel significat, quid est esse, & est definitio, uel non significat, quid est esse, & est proprium. si autem non prædicatur conuersim, uel assumitur in definitione subiecti, uel non si assumatur in definitione subiecti, uel est genus, uel differentia, si non assumitur in definitione subiecti, est accidens.

Postea philosophus, quoniam huiusmodi problematum genera, in quibusdam generibus rerum sunt, ostendit, quænam sint huiusmodi genera. sunt autem ipsa prædicamenta numero decem. semper enim accidens proprium genus, & definitio in aliquo horum decem generum reperiuntur. postremo ostendit, quòd ipsum quid est, non solum in substantia reperitur, sed in aliis etiam omnibus. concludit demum, quòd cum proposuerit ostendere ad quod, & quæ, & ex quibus constent orationes dialecticæ, quòd hoc hactenus ostensum est, superestq;, quod reliquum fuit propositum ostendere, quomodo, scilicet his possimus abundare. itaque ex Alexandri sententia huius libri primo secto finis imponitur.

prædicamenta decem numero.

Orationes sint. Ex hoc patet philosophum superius intellexisse, per orationes dialecticos congressus, sicut & hoc loco intelligit.

quid uidetur intellexisse philosophum per oratiões.

Et

Et per hæc, & ad hæc. Per illud, per hæc, intelligit propositiones: per illud ad hæc, intelligit problemata. ex propositionibus enim sunt orationes: & ad problemata uel construenda, uel destruenda diriguntur orationes, & hæc utraque in his quatuor generibus sunt. hoc autem probat philosophus, & per inductionem, & per syllogismum. primo, quia hæ argumentationis species in primis efficaces sunt: aliæ uero ad has reducuntur, ut imperfectum ad perfectum exemplum, scilicet ad inductionem, enthymema autem ad syllogismum: unde recte dicit Alexander, quòd utrunque horum & exemplum, & enthymema eò est priuatum, ut perfectum sit, & illud simpliciter, in quod est natura: & exemplum est inductio imperfecta, & enthymema imperfectus syllogismus propter contractionem in minus. enthymema enim syllogismum contrahit alteram ex præmissis ei auferendo: exemplum uero contrahit inductionem ex uno singulari colligens. secundo, utitur philosophus inductione, & syllogismo, quoniam hæ sunt argumentationes propriæ dialectici, ut oratoris exemplum, & enthymema.

quid intelligat per istas dictiones, per hæc, & ad hæc.

cur philosophus utatur inductione, & syllogismo.

PROBATUR autem per inductionem, quòd omne problema, & omnis propositio in his quatuor generibus est, quoniam si singula quæque problemata, & propositiones spectemus, ita esse uidebimus. hoc enim problema, utrum tempus est motus cæli, an non, est problema definitionis. quærimus enim utrum assignata oratio sit temporis definitio: hoc autem utrum bonum sit in substantia, est problema generis. quærimus enim utrum substantia sit genus boni, hoc uero utrum motus sursum soli igni naturaliter competat, est problema proprii. quærimus enim utrum huiusmodi motus sit igni proprius, hoc demum problema, utrum ignis sursum moueatur, est problema accidentis. quærimus enim utrum igni insit motus sursum eadem non est de propositionibus.

quid per inductionem probetur.

SED dubitatur ad quod genus huiuscemodi problemata reducantur. quare magnes attrahit ferrum, & quod est natura, aut motus. non enim uidetur, quòd ad aliquod dictorum generum reduci possint. dicendum est, quòd hæc non sunt dialectica problemata. dialectica enim problemata, sicut & dialecticæ propositiones sub interrogatione dialectica comprehenduntur, quæ alteram partem contradictionis præerit, sed huiusmodi problemata physica sunt. si autem ita proponantur, ut ad ipsa altera pars contradictionis possit responderi, fiunt dialectica problemata de rebus physicis, sicuti & de rebus moralibus, & aliis.

dubitatio. magnetem attrahere ferrũ.

NOTANDUMQUE est omnia dialectica problemata aut inquirere, si quid est, aut quod est: nunquam autem quid est, aut propter quid est. de his autem quatuor quæsitis agit philosophus initio secundi Posteriorum.

quid notãdũ.

PER syllogismum autem tot esse problematum genera probatur, quoniam in omni propositione, & problemate aliquid de aliquo prædicatur. à prædicatis autem sumuntur propositionum differentiæ, uel igitur hoc prædicatum conuersim dicitur, uel non conuersim: si conuersim dicitur est definitio, aut proprium: si non dicitur conuersim est genus, aut accidens. hic quærendum est, quomodo hæc Aristotelis ratio syllogistica sit. Alexander eam reducit ad primum modum primæ figuræ hoc pacto, quodcunque de aliquo prædicatur, uel æqualiter de eo prædicatur, uel non æqualiter. hæc est minor. omne quod æqualiter, uel non æqualiter prædicatur, uel ut definitio, uel ut genus, uel ut proprium, uel ut accidens prædicatur. hæc est maior. quodcunque igitur de aliquo prædicatur, uel ut definitio, uel ut proprium, uel ut accidens prædicatur.

quid sit prædicatum conuersim dici, uel non conuersim.

Quæ-

queſitum ſimplex.

QVAERENDVM etiam hoc eſſet, ad quod genus reduci debeat, quæſitum ſimplex, quo quæritur an aliquid ſit, ut an uacuum ſit, an infinitum ſit, an ſint dii: ſed hoc quæſitum ad caput de accidente pertinet, ubi & Alexander, & Auerroes, & alii interpretes huius difficultatis meminerunt.

dialectica problemata ĩ uariis generibus rerũ eſſe: neque dialecticum unũ determinatũ genus habere.

Poſthæc igitur oportet determinare genera prædicamentorum. quoniam dialectica problemata in uariis generibus rerum ſunt: neque enim dialecticus unum determinatum genus habet, ſed neque ipſa rerum genera ſunt infinita, ideo explicat philoſophus ipſa decem prædicamenta, in quibus conſiſtere oportet omnia dialectica problemata: unde etiam patet utilem eſſe prædicamentorum tractationem ad dialecticam.

quomodo philoſophus accipiat ipſum quid eſt.

ACCEPIT autem philoſophus ipſum quid eſt, ut uult Alexander, loco ſubſtantiæ, quoniam proprie in ſubſtantia reperitur. ſed forte præſtat dicere, quòd accipit ipſum quid eſt pro eſſentia rei, quæ in omnibus prædicamentis reperitur, ſicut ipſe met philoſophus declarat, licet uerius, ac prius reperiatur in ſubſtantia. cum enim philoſophus ita exponat ipſum quid eſt, neque admoneat ſe aliter accipere, eo modo igitur accipiendum eſt, quo ipſe exponit, non quod ſubſtantia, ſed quod rei eſſentia. differt autem eſſentia à ſubſtantia (licet hoc nomen ſubſtantia, quæ eſt græcis ὀυσία pro utroque ſæpenumero accipiatur) quòd ſubſtantia eſt, quod per ſe ſubſtat, neque alio indiget, ut ſit. eſſentia uero eſt uniuſcuiuſque rei natura, quæ non ſolum in ſubſtantia eſt, ſed etiam in accidentibus.

in quo differat eſſentia à ſubſtantiã.

oſtendit quatuor problematum genera eſſe in decẽ generibus.

Semper enim accidens etc. oſtendit philoſophus, quòd in his decem generibus ſunt ipſa quatuor problematum genera. omnia enim problemata et omnes propoſitiones uel in ſubſtantia dicunt aliquid de aliquo, uel in qualitate, uel in aliquo aliorum prædicamentorum: hoc autem patet, ſi per ſingula problematum genera inducamus, definitio enim uel eſt alicuius ſubſtantiæ, uel quãtitatis, uel qualitatis, &c. Quare problema definitionis in omnibus erit prædicamentis, eodem modo & problema generis. in omnibus enim prædicamentis ſunt genera, & differentiæ: in quibus enim prædicamentis ſunt ipſa definita, ſunt & eorum genera, & differentiæ. problema autem proprii nõ poteſt eſſe in ſubſtantia, quoniam omne proprium accidens eſt, ſed problema proprii in eo erit genere, in quo erit proprium, eodem modo & problema accidentis in ſubſtantia non erit, eo quòd ſubſtantia alicui non accidit.

dubitatio Alexandri.

exemplum.

DVBITAVIT tamen Alexander, quòd etiam in prædicamẽto ſubſtantiæ ſint problemata accidentis, quando ſcilicet in ſubſtantia fit prædicatio præter naturam, ut ſi dicamus, utrum album eſt corpus, hocq; concedere uidetur Alexander, neque enim aliter diſſoluit difficultatem.

NOTANDVM autem eſt, quòd quando prædicata eſſentialiter dicuntur de ſubiecto, non magis à prædicato, quàm à ſubiecto cognoſcetur. prædicamentum in quo tale problema ſit, quoniam in quo prædicamento eſt, prædicatum eſt & eius ſubiectum: at ſi non prædicetur eſſentialiter, tunc ex prædicato iudicium eſt ſumendum, non autem ex ſubiecto.

quid notandum.

Vnumquodque autem horum. notandum eſt, quòd in unoquoque prædicamento, quando idem prædicatur de ſe ipſo, ut quid eſt, illud eſt homo, uel ſuperius de inferiori in recta linea prædicamenti, tunc eſt prædicatio in quid: quã do autem aliquid unius prædicamenti dicitur de re poſita ſub alio prædicamẽto, non amplius eſt in quid, ſed nomen ſumit ab ipſo prædicato.

philoſophum duo propoſuiſſe explicãda.

Quare de quibus ſane. cum duo propoſuerit philoſophus explicare, ex quibus & ad quæ ſint orationes dialecticæ, & quomodo poſsimus his abundare. dicit de primo actum eſſe: reliquum eſſe, ut deinceps de ſecundo agatur.

Caput

CAPVT OCTAVVM.

Primum igitur determinetur. Cvm uelit Aristoteles docere, quomodo possimus dialecticis orationibus abundare, quoniam dialecticæ orationes comprehendunt non solũ syllogismos, & inductiones, sed etiã propositiones, & problemata: antequam instrumenta tradat, quibus his abundemus, declarat, quid sit propositio, & problema dialecticum, ut scilicet ea prius cognoscantur, ad quorum habendam copiam methodum est traditurus. primum igitur declarat philosophus, quòd non omnis propositio est dialectica, neque omne problema est dialecticum: deinde definit propositionem dialecticam, quòd est interrogatio probabilis uel omnibus, uel plurimis, uel sapientibus, & his, uel omnibus, uel plurimis, uel maxime notis, non inopinabilis: declaratq; quare dixerit non inopinabilis, additq; præter hanc alias quatuor dialecticas propositiones, quæ scilicet est probabilis similis, & quæ probabili contraria, sed per contradictionem prolata, & quæ contrarium de contrario enunciat, & quæ sit in arte aliqua recepta, atque harum unamquanque declarat.

declaraturus est, quomodo possimus dialecticis orationibus abundare, sed prius, quid sit propositio & problema dialecticum, declarat.

Nullus enim proponet mentem habens. Vocem πρότασιν attribuit philosophus propositioni, uocem uero πρόβλημα attribuit problemati: nõ proponet aliquis, quod nulli uideatur, id est nullus ea utetur propositione, quæ sit præter omnium opinionem, ut quòd parentes sint contumelia afficiendi, quòd Deus non sit honorandus, quoniam propositio dialectica semper debet esse probabilis: differt ergo propositio dialectica à propositione simpliciter, quòd hæc est interrogatio, quæcunque alterius partis contradictionis facta per particulam ἄρά γε, aut nunquid: propositio uero dialectica uult præterea esse probabilis.

quã uocẽ attribuisse philosophũ propositioni: quã problemati, hoc in loco demonstrat.

Neque proponet, quod omnibus sit notum. id est neque ullus eo utetur problemate, quod nullam habeat ambiguitatem, ut utrum sole irradiante dies est, an non, quoniam problema dialecticum debet esse dubitabile: differt ergo problema dialecticum à problemate simpliciter, quòd problema simpliciter dictum est quæcunque interrogatio alterius partis contradictionis facta per particulam utrum: problema uero dialecticum debet esse de re ambigua, & dubitabili.

exemplũ, quo ostendit, neminem debere uti eo problemate, qđ nullã habeat ambiguitatẽ.

Sed hoc loco insurgit difficultas, quomodo nunc dicat philosophus dialecticam propositionem esse probabilem, dialecticum uero problema esse dubitabile, cum superius in capite tertio dixerit, quòd solummodo prolationis inter se differunt, & quòd ex quacunque propositione problema fit? si modus commutetur, unde uolebat, quòd essent numero æqualia propositiones, & problemata, dicendum est, ex sententia Alexandri, quòd superius locutus fuit de propositione, & problemate simpliciter: hic autem agere de propositione dialectica, & problemate dialectico. cum igitur propositio, & problema simpliciter considerantur, & non quatenus ad materiam dialecticam contrahuntur, tunc differant solum modo; quando uero considerantur prout sunt dialectica, præter modum differunt, etiam ut dictum est.

Refert Alexander ex Eudemo plures esse interrogationis species, uel enim quærimus aliquod accidens de aliquo subiecto, ut quis sit motus ignis secundum naturã, uel contra: quærimus, quòd si cuiuspiam accidentis subiectum, ut quodnam bonum sit per se eligibile, & quisnam est, quòd ibi sedet, uel inquirimus, quid nam sit aliquid, ut quid sit homo, uel circa propositionem aliquam inquirimus à respondente, ut uel affirmet, uel neget, ut nun-

quid referat Alexãder ex Eudemo scilicet multas esse interrogationis species.

D quid

quid mundus est rotundus, & sub hoc modo interrogationis reponitur dialectica propositio, & dialecticum problema: unde patet, quòd non omnis interrogatio est propositio dialectica, sed an est interrogatio contradictionis, neque tamen omnis huiusmodi interrogatio est dialectica propositio, sed quæ est probabilis: quare neque demonstratiuæ propositiones sunt dialecticæ, neque sophisticæ, ut nunquid uidens oculos habet: neque propositiones inopinabiles sunt dialecticæ, ut nunquid parentes iniuria afficiendi sunt, sed dialecticæ propositiones erunt huiusmodi, nonne sanitas est bona? nonne diuitiæ sunt bonæ? nonne uirtus est expetenda?

Quales sint dialecticæ propositiones.

dialecticã propositionẽ esse probabilẽ interrogationem.

Est autem propositio dialectica etc. Definiens philosophus dialecticam propositionem, quòd est interrogatio probabilis: repetit etiam, quid probabile sit, de quo superius dictum fuit.

Ponet enim aliquis. Quoniam dixit non inopinabilis, ideo hoc ipsum explicat, difficultatem quandam dissoluens, quæ iure posset hoc loco proponi, quoniam dixit probabilia esse, & quæ omnibus, & quæ plurimis probantur, & quæ sapientibus. at quandoque contingit, ut quæ sapientibus probantur, uulgo non probentur; immo sint inopinabilia, ubi huiusmodi incidant opiniones. dicit philosophus, quòd uulgari opinioni magis adhærere debemus. sapientum autem opinionibus utemur, si præter communem opinionem non sint. nõ igitur acciperemus propositionem illam, quòd sanitas bona non sit, et si ab aliquibus sapientibus probata fuerit, quoniam est uulgo inopinabilis, eodem modo, neque eam, quòd omnia sint unum, & immobile. quod dixit Parmenides, aut quòd contraria idem sint; quod dixit Heraclitus, aut, quòd nulla est contradictio, quod dixit Antisthenes. hæc enim omnia, & alia huiusmodi non possunt esse dialecticæ propositiones, quoniam uulgo sunt inopinabiles, sed positiones appellantur.

hoc in loco declarat illud uerbum inopinabilis.

quid dixerũt Parmenides, Heraclitus, & Antisthenes.

Et quæ probabilibus similia. Suggerit nobis hoc in loco philosophus dialecticarum propositionum copiam, non solum in propositionibus probabilia assumimus, sed & quæ probabilibus sunt similia, ut si probabile est, quòd eadem scientia sit, contrariorum probabile etiam est, eundem esse sensum contrariorum: hæc enim similia inter se sunt, quia eodem modo se habet scientia ad scibilia, sicut sensus ad sensibilia: utrunque enim est suorum obiectorum iudicatiuum, præterea & utrunque sub habitu collocatur, & ad aliquid est: quod autem probabile sit eandem esse scientiam contrariorum patet: medicina enim salubria cognoscit, & insalubria: arithmetica parem numerum, atque imparem: musica sonorum, atque insonorum.

quid in hoc exemplo notet Alexander.

Notat autem Alexander in hoc exemplo non esse requirendam exactam ueritatem: contra enim potius uidetur, quòd probabilius sit, & euidentius sensum esse eundem contrariorum, quàm eandem esse scientiam.

Etsi unam numero grammaticam esset. Posset enim quis dicere grammaticam, quæ est in Aristarcho, esse unam numero, eo quòd sit in uno subiecto; & rursus esse unam specie, eo quòd in multas actiones numero diuersas diuidatur. quod autem de grammatica dicimus, idem probabile est de aliis disciplinis dici, quòd scilicet unæ sint numero, uel specie. est autem secundum ueritatem Aristarchi grammatica una numero.

secundũ Alexandrum in priori exemplo allata esse similia analogia scientia: in hoc uero esse similia genere.

Omnia enim similia et cognata. Notat Alexander, quòd quæ in priori exẽplo allata sunt. sunt similia analogia scientia, scilicet & sensus. quæ uero in hoc exemplo afferuntur sunt similia genere, grammatica, & tibicinaria, & quid ob illud dixit ὅμοια, ob hoc uero ὁμοιογενῆ.

Similiter autem, & probabilibus contraria. Notandum est, quòd illud, quod est probabile

probabile contrarium, probabile non est, ut si probabile est amicis benefacere, amicis malefacere probabile non erit. probabilis igitur erit sua contradictio, quæ est amicis non malefacere: & quoniam proponens etiam, quæ contraria habent subiecto aliquo, etiam modo sunt contrariæ: ideo si probabile est amicis benefacere, probabile non erit inimicis benefacere. at si contradictio erit probabilis, est inimicis non benefacere. prima quidē contrarietas est penes prædicatum propositionis: secunda uero penes subiectū. præterea probabilis est etiam propositio, quod contrario subiecto, contrarium enunciat prædicatum, ut si probabile est amicis benefacere, probabile etiam erit inimicis malefacere: et si uirtus ad felicitatem per se sufficit, ergo uitium ad infelicitatem per se sufficiat.

contradictionem esse probabilem, quē admodum ab exemplo cognosci pōt.

Probabile autem, & in appositione. Dixit probabile in appositione, quoniā si per se proferatur, inimicis conuenit malefacere, aut quid huiusmodi probabilitatem non præsefert, quam ostendit, si appositum alteri proponatur, ei, scilicet, quæ dicit amicis oportet benefacere.

NOTANDVM autem est, quòd propositiones, quæ aut subiectum, aut prædicatum habent, contrarium contrariæ dicuntur; et si altera earum probabilis est, altera non est probabilis: quæ uero utrunque habent contrarium, contrariæ non sunt, atque iccirco utraque earum est probabilis. quod enim probabili est contrarium, probabile esse non potest.

quid annotandum.

Vtrum autem & secundum ueritatem sic habeat. Dicit philosophus, quòd posset quis existimare, quòd hæ etiam propositiones sint inter se contrariæ, quæ scilicet de contrario subiecto contrarium enunciant prædicatum, ut conuenit amicis benefacere, conuenit inimicis male facere. differtq; huius rei considerationem in aliud tempus: de hoc autem agit, tum in secundo huius uoluminis, tum in fine libri de interpretatione, ubi dixit, quòd contrariæ opiniones non sunt, quæ sunt contrariorum, sed quæ contrario modo se habēt. eius enim quæ dicit bonum esse bonum contraria non est: quæ dicit malum esse malum, sed quæ dicit bonum esse malum.

Ponet autem quis ea quæ uidentur his etc. Probabilia etiam sunt ea, quæ in artibus recepta sunt, quoniam (ut uulgo dicitur) unicuique in sua arte experto credendum est, & ea, quæ nescis scientibus credere cōuenit: in rebus igitur medicis, medicis ipsis credendum est: in geometricis, geometris.

credendū unicuique in sua arte experto.

SED diceret quis, nunquid ea, quæ in artibus recepta sunt, & probata demonstratiua sunt, quomodo igitur philosophus ea enumerat inter probabilia, cum multa sit differentia inter probabilia, & demonstratiua, & uera?

obiectio.

DICENDVM est, quòd hæc ipsis artificibus sunt demonstratiua, qui ea ex ueris principiis, ac proprias demonstrationes cognoscunt. iis autem, qui ea aliter non sciunt, sed solum scientium auctoritati innixi, ita esse, ut illi opinantur, sibi persuadent, huiusmodi sunt, ut spontaneæ lassitudines morbos prænunciant, & uictus humidus febricitantibus conuenit, atque alia huiusmodi, & in geometria quòd cuiuscunque trianguli duo latera simul sumpta sint reliquo maiora.

responsio obiectionis.

CAPVT NONVM.

Problema autem dialecticum est theorema, etc. INSTITVIT philosophus ostēdere, quid sit propositio dialectica, & quid problema dialecticum. quid esset propositio dialectica ostensum est. quare nunc ostendit quid sit problema dialecticum. primo igitur definit problema dialecticū, quod est theorema intē-

quid sit propositio dialectica supra declarauit: in hoc capite qd sit problema dialecticū ostendit.

dens uel ad electionem, & fugam, uel ad ueritatis cognitionem, uel ipsum per se, uel ut conferens ad aliquod horum, de quo uel neutra est opinio, uel contrarie. sentiunt sapientes quammulti, aut hi illi ue inter se dissentiunt. declaratq; philosophus, quomodo problema conferat ad electionem, aut fugam, & quomodo ad cognitionem, & quomodo non per se conferat: addit problemata ea etiam dici, in quibus contrariæ sunt rationes, ut diiudicare difficile sit, quomodo res se habeat: problemata etiam ea dici, quorum, cum sint magna, & ardua, rationem non habemus: definit deinde positionem, quòd est existimatio præter communem opinionem celebris alicuius philosophi: positio etiam est, quando efficacem aliquam rationem habemus. dicit etiam, quòd omnis positio est problema, non tamen omne problema est positio: dicitq; non esse considerandam omnem positione, neque omne problema: neque enim ea sunt consideranda, de quibus dubitant, qui aut pœna, aut sensu non indigent: neque ea, quæ propinquam, aut ualde remotam habent demonstrationem.

quæ etiam dicuntur problemata.

omnem positionem esse problema, nõ omne problema esse positionem.

Est theorema. Per thorema intelligit philosophus, ut uult Alexander, quæsitũ: plerunque enim speculari dicit pro quærere. theorema autem dictum est, eo quòd causa sit cognitionis, & speculationis alicuius, uel scilicet rei moralis, uel physicæ, uel logicæ.

secũdum Alexandrum per theorema intelligitur quęsitum.

NOTAT Alexander, quòd omne problema dialecticum est theorema uel morale, uel physicum, uel logicum. hoc enim intelligit Aristoteles, non tamen è conuerso: neque enim omne morale, aut physicum, aut logicum theorema problema est, sed oportet, ut de eo uel neutra sit opinio, uel sapientes multis contrariæ opinentur: aut hi illi ue inter se dissentiant. sed Alexander nimis in angustum contrahit Aristotelis dicta. sub his enim, quæ ad electionem, & fugam intendunt, non solum moralia theoremata sunt comprehendenda, uerum etiam, quæ in artibus proponuntur, locum habere debent. cũ in his etiam dialecticus uersetur, ut utrum ad orientem sint extruenda ædificia: sub his autem, quæ ad cognitionem intendunt, non solum physica comprehendi debent, sed etiam metaphysica, & mathematica, cum de his etiam agat dialecticus.

quid notet Alexander.

ab Alexãdro dicta Aristotelis in angustum trahi.

Vel ut conferens ad aliquid aliud talium. Quæcunque neque propter electionem, aut fugam quæruntur: neque propter cognitionem ueritatis conferunt: tamen uel ad eligibilium, uel ad uerorum inuentionem, & cognitionem logica problemata appellantur. logica enim facultas est philosophiæ instrumentũ, quare quæcunque in logica quæruntur, ad philosophiam etiam conferunt: uel scilicet ad contemplatiuam eius partem, uel ad practicam, uel ad ipsas artes, quibus etiam ipsa logica deseruit.

quid sit logica facultas.

NOTANDVM est ex Alexandro, quòd in iisdem uersantur problemata, & propositiones dialecticæ. sed dices, quare philosophus annotauit problemata in his tribus generibus uersari. de propositionibus autem hoc non dixit. affert Alexander duas rationes non admodum ualidas: sed dicere possumus, quòd cum de propositionibus, & problematibus eadem sit ratio, sat fuit Aristoteli de problematibus hoc admonere. sed dices, quare potius hoc admonuit de problematibus, quàm de propositionibus.

quid sit notãdum ex Alexandro.

obiectio.

RATIO est, quoniam à problemate instituitur disputatio, & propositiones omnes ad construendum, uel destruendum problema diriguntur.

ratio obiectionis.

De qua uel neutro modo opinantur etc. Quoniam dixit problema esse theorema, & quæsitum, & non omne theorema, aut quæsitum problema est, ideo adiecit differentias, secundum quas theorema efficitur problema. oportet enim theorema

theorema eiusmodi esse, quòd de eo uel neutra opinio sit, uel contrario sentiant sapientes quammulti, aut hi illi ue inter se dissentiant: sed hæc sigillatim explicemus. neutro quidem modo opinatur multitudo, quando neutri parti contradictionis magis adhæret, ut in moralibus, utrum uirtutes se mutuo consequantur, uel uerum uirtutes sint per se expetendæ, uel utrum uirtus in passibili, uel rationali animæ parti consistat. & in naturalibus, utrum mundus sit infinitus, utrum sphæricus sit, utrum anima sit immortalis. in logicis, utrum quadrupliciter dicantur opposita, utrum figuræ syllogisticæ sint tres. neutro etiam modo de quibusdam sapientes opinantur, ut utrum astra sint numero æqualia, uel inæqualia, atque in naturalibus pleraque sunt huiusmodi quæsita. de his autem omnibus potest dialecticus disserere ex probabilibus. probabit enim, exempli causa, dialecticus cælum esse sphæricum, eo quòd perfectissimo corpori cōuenit perfectissima figura, sed cælum est perfectissimum corpus, perfectissimam igitur figuram habere debet: sed figura sphærica est omnium perfectissima, quia neque additionem suscipit, neque ablationem. cælo igitur conuenit sphærica figura. probabit etiam dialecticus ex probabilibus astra esse numero inæqualia. assumet enim id, quod est in numeris optimum, astris conuenire, cum dii existant. impar autem est numerorum optimus, imparia igitur astra sunt. Diximus de quibus neutro modo opinetur multitudo, & de quibus neutro modo opinentur sapientes, & quomodo de his agat dialecticus, explicemus etiam quomodo contrario modo opinetur multitudo, quàm sapiētes. Hæc autem huiusmodi sunt, utrum bonum consilium sit melius, quàm bona fortuna: & utrum animi bona præstent corporis bonis: & utrum uoluptas bonum sit. multitudo enim bonam fortunam bono consilio præponit, & sanitatem uirtuti, & uoluptatem maximum bonum arbitratur: contra uero sapientes. contrarie autem inter se opinatur multitudo, quòd quidam sanitatem diuitiis præponunt, alii contra. quidam fortitudinem pulchritudini, alii contra. sapientes uero contrarie inter se opinātur de fato, de animæ immortalitate, de infinito, de uacuo, aliisq; innumerabilibus.

quale theorema debet esse.

exemplum.

quare figura sphерica dicatur omnium perfectissima.

quid multitudo preponat.

sapientes cōtrarie opinari de fato, & de immortalitate animæ.

Sunt & problemata, quorum sunt contrarii syllogismi. Duplicem huius loci expositionem affert Alexander. prima est, quòd philosophus præter dicta problemata, de quibus scilicet uel neutra opinio est, uel contrarie sentiunt multi & sapientes, aut multi sapientes ue inter se dissentiunt: nunc adiicit alium etiam modum problematum, de quibus scilicet sunt contrarii syllogismi. altera Alexandri expositio est, quòd hic non afferat philosophus alias problematum species, aut modos, sed, quòd hæc de prædictis intelligantur, quasi quòd hoc sit prior repetitio, & interpretatio quædam. contrarii enim syllogismi in his sunt, de quibus contrarie opinantur multi sapientibus, uel utrique inter se: quorum autem cum magna sint, rationem non habemus. eadem sunt cum his, de quibus neutra est opinio apud multos uel sapientes.

dupliciter hūc locum ab Alexādro exponi.

Ea autem, quorum sunt contrarii syllogismi, cum ad utranque partem probabiles habeant rationes, difficultatem afferunt, quale est hoc, utrum uoluptas est bona an non: quod enim sit bona, hoc modo ostendi potest; quòd omnia appetunt bonum est, uoluptatem omnia appetunt, uoluptas ergo bona est: quod autem bona non sit, hoc modo ostenditur, omne bonum bonos efficit, sed uoluptas bonos non efficit, non ergo est uoluptas bona.

quomodo pbat uoluptatē esse bonam. quomodo nō esse bonam.

Sed dubitaret non immerito quis, quòd si hic modus in prioribus comprehensus est, prior igitur illa expositio nullo modo potest consistere. Dicendum est, quòd priora illa problemata ab his diuersa dici possunt, eo quòd illa

illa spectantur penes assensum opinantium sine ratione, aut syllogismo: hæc uero considerantur penes rationes pugnantes absque aliquorum opinione. quare in his licet nulli secundum eas rationes opinentur, erit nihilominus problema.

PROBLEMATA etiam ea esse dicit, quorum cum magna sint, & difficilia, ac digna cognitione; rationem tamen non habemus, ut utrum mundus sit æternus.

Problemata fieri: propositiones uero dialecticas minime fieri.

NOTANDVM autem est, quòd in his, de quibus aut neutra est opinio etc. problemata quidem fiunt, ut dictum est, non fiunt autem dialecticæ propositiones. in his enim nulla pars cōtradictionis est magis altera probabilis: propositio autem dialectica est petitio alterius partis contradictionis eius, scilicet, quæ simpliciter probabilis est, & cuius opposita non est probabilis, ut ratione sanitas est bona, quòd si altera pars non sit simpliciter probabilis, non potest effici propositio, sed problema.

agens hoc loco de positione ostendit eam esse problema.

Positio autem est existimatio inopinabilis. Agit hoc loco philosophus de positione, quoniam positio uidetur esse problema, ostenditq; quodnam problema sit positio: neque enim omne problema est positio.

POSITIO autem aliis etiam modis accipi solet, quàm nunc ab Aristotele accipiatur: quandoque enim significat scientiarum principia, quæ à communibus animi conceptionibus distinguuntur: quandoque significat suppositionem quamcunque: quandoque significat omne problema dialecticum.

DICITVR autem positio existimatio, quoniam non ex rationibus digna est inquisitione, minus etiam ex seipsa hoc habet, sed ex auctoris celebritate: dicitur esse inopinabilis, quoniam est præter communem opinionem, qualis est Zenonis opinio, quod nihil moueatur; digna tamen est inquisitione ob auctoris insigne nomen. atque ideo problema fit, & in huiusmodi problemate, de auctore positionis semper mentio fieri solet, ut utrum omnia sunt in continuo fluxu, & semper generantur, ut cēset Heraclitus: & utrum omnia sint unum ens, & infinitum, ut existimat Parmenides: & utrum motus est, & non est, ut Zeno uult: & utrum sanitas mala est, ut Chrysippo uidetur: & utrum possumus contradicere, uel non, ut contendit Antisthenes.

opiniōes Heracliti, Parmenidis, Zenonis, Chrysippi, & Antisthenis.

licet positiones non habeant insignē auctorem, attamen in his uis ratiōis potest esse.

Aut de quibus rationem habemus contrariam. Hæc est altera causa, qua recipiuntur, quæ communibus opinionibus aduersantur, ac positiones dicuntur: etsi enim hæc non habeant insignem aliquem auctorem, id tamen in his potest rationis uis, quod in illis potest auctoritas: affertq; philosophus exemplum. hæc est communis opinio, quòd omne, quod est, uel est factum, uel est æternum: at sophistæ quidam aduersus hanc sententiam rationem habent. assumunt enim aliquem musicum existentem grammaticum esse ex numero eorum, quæ sunt, probantq; hoc neque esse factum, neque æternum, non est quidem æternum, quia non semper fuit musicus grammaticus, sed neque est factum, si fiat musicus grammaticus; uel ut ex materia ex musico efficitur grammaticus, sicuti ex ære fit statua; uel ut ex contrario, at non fit ex materia: neque enim musicus est materiæ grammatici, neque ex contrario. cum enim musicus, & grammaticus in eodem simul sint, non sunt contraria, nullo igitur modo musicus fit grammaticus, non ergo omne quod est, aut est factum aut æternum. soluitur autem hæc sophistarum ratio, quoniam ex musico fit grammaticus per accidens, ideoq; non est necesse, ut ex eo fiat, uel ut materia, uel ut contrario: quod enim ex aliquo fit per se, ex illo fit, aut ut materia, aut ut contrario: per accidens autem fieri potest ex eo, quod neque est materia, neque contrarium: quodlibet enim

solutio rationis sophistarum.

enim ex quolibet fieri poteſt per accidens . ita quidem ſoluitur ſophiſtarum ratio .

NOTAT Alexander quare huiuſmodi ſententiæ dicantur poſitiones, quoniam ex natura ſua non ſunt dignæ inquiſitione, ſed uel propter auctoris nomen, uel propter rationem probabilem, ut hoc quoque loco id, quod eſt poſitione diuidatur contra id, quod eſt natura, quemadmodum nomina etiã ſignificare poſitione dicuntur, eo quòd non ſignificant natura.

ratio ex Alexandro, quare huiuſmodi ſententiæ dicantur poſitiones.

Pene autem nunc omnia dialectica problemata etc. Notat philoſophus, quòd etſi poſitio proprie ſit id, quod dictum eſt, attamen communis conſuetudo omnia problemata appellat poſitiones: unde qui ad problema diſputant, ad poſitionem dicere dicuntur: atque hoc modo accipi debet, cum dicitur dialecticum uerſari theſes, id eſt poſitiones, ut ſcilicet poſitio omne problema ſignificat; immo notat Alexãder, quòd quandoque rhetorica etiam problemata poſitiones dicuntur, quæ tamen proprie dicuntur ſuppoſitiones, eo quòd in ſuppoſitis, & definitis perſonis, locis, & temporibus uerſentur.

ſecundum cõmunem conſuetudinẽ omnia problemata appellari poſitiones.

Differt autem nihil quomodolibet dicatur. admonet philoſophus nihil referre, uel ſecundum communem loquendi conſuetudinem omnia problemata appellemus poſitiones, uel ipſa appellemus ſecundum traditam differentiam. non enim de his ſe egiſſe dicit philoſophus, ut nomina imponeret, ſed ut problematis differentias explicaret: quibus cognitis nihil eſt, quòd nominum curam habeamus.

HINC elicit documentum Alexander, quòd uti debemus nominibus his, quæ communi conſuetudini ſunt recepta, & ipſas rerum differentias inueſtigare, non autem ex libito noſtro nomina imponere, niſi ſi quando nomina deſinit; tunc enim neceſſe eſt imponere nomina, ut quandoque facit philoſophus: atque hoc loco diligenter notãdum eſt maximam habendam eſſe nominum curam, quoniam ex eorum ignoratione infinita in diſciplinis ſequuntur incommoda: ut igitur, & quæ ab aliis tradita ſunt, recte aſſequamur, & nos ipſi cum aliis recte loqui poſsimus: occupatio circa nomina eſt nobis maxime neceſſaria. præterea uero circa nomina minime omnium ſoliciti eſſe debemus, ſed circa res: atque huc tendit frequens illa Galeni uox, dummodo in rebus conueniamus, nomina nobis curæ non ſint, licet ipſe ſæpenumero non aſpernandum hunc laborem teſtatus fuerit.

hinc Alexandrum documentum elicere.

quãdo nomina ſunt imponenda.

minime circa nomina ſolicitos nos eſſe, ſed circa res.

Non oportet autem omne problema etc. cum definierit dialecticum problema, oſtenderitq́; quid ſit poſitio, addit recte conſtitutum fuiſſe problema dialecticum tale eſſe debere, quoniam non omne problema, neque omnis poſitio à dialectico debet conſiderari, ſed ea ſolum, quæ indigent rationibus. reiicienda autem ſunt, quæ ſenſu indigent, aut pœna. ea autem rationibus indigẽt, quæ dubitationem habent, & quæ alteram partem contradictionis non habent inopinabilem. hæc enim rationibus à dialectico poſſunt confirmare, ea indigent ſenſu, quæ proponuntur contra euidentiam ſenſus, ut quòd nix ſit nigra, aut ignis frigidus: ea indigent pœna, quæ aduerſus pietatem ab omnibus approbatam proponuntur, ut quòd parentes nõ ſint honorandi. reiiciuntur autem hæc, quia eiuſmodi non ſunt, ut neutro modo opinentur homines, aut contrarie opinentur multi, & ſapientes, uel utrique inter ſe: ſed quamuis aliquis haberet probabiles aliquas rationes, attamen nullo modo recipiendæ ſunt in poſitionum numerum.

quæ à dialectico ſint cõſideranda.

quæ ſenſu indigẽt ab exẽplo cognoſcũtur.

SED quæreret quis, quare hæc etiã non poſsint eſſe problemata: cum enim problema utranque partem contradictionis comprehendat. ille, qui proponit utrum parentes ſint honorandi, uel non, non dicit, quòd parentes non

dubitatio.

quæ non ſunt dialectica, problemata.

ſint honorandi. dicendum eſt, quòd hæc non ſunt dialectica problemata, cuius contradictionis altera pars eſt inopinabilis, neque altera etiam indiget ratione, eo quòd probabilis per ſe eſt, & euidens: præterea hæc etiam problemata dialecticus reiicit, quoniam poſſe in huiuſmodi ſententias argumẽtari in moribus peiores reddit, tum differentes, tum anſientes, eo quòd pietati, & rectæ inſtitutioni aduerſentur, quod eſt maxime alienum ab exercitatatiua facultate, quæ cum ſit præparatio quædam ad philoſophiam, morum non minorem curam, quàm orationis habere debet. hæc igitur problemata non erunt, ſed pars illa probabilis erit propoſitio hoc modo prolata, nõne parentes ſunt honorandi, nonne dii ſunt colendi?

quæ dubitationem nõ habent.

Neque uero quorum propinqua eſt demonſtratio etc. Ea enim, quorum propinqua eſt demonſtratio, ut ipſe dicit, dubitationem non habent, & parua etiam adhibita attentione cognoſcuntur. problemata autem debent eſſe dubitabilia: talia autem ſunt, ut ſi quis proponat utrum homo ſit anima, utrum nimium ſit coloratum, talia fuiſſe dicit Alexander à Stoicis quæſita circa decentia, ut utrum qui cum aliquibus conuiuatur, manus extendere debet ad partes remotiores, an à poſitis eſſe contentum, & utrum conueniat auditores philoſophi pedes mouere. eadem etiam ratione ſophiſtica reiiciuntur, quæ ſuperficialem ſolum habent dubitationem, ut utrum uirile uirilitatem habet: utrum iuſtus iniuſtus eſt: utrum ſapiens eſt ſcientiæ expers. uidetur enim quòd uirile non habeat uirilitatem, eo quòd uirilis ueſtis, ut militari uirilitatem non habet: ſed ſtatim ſoluitur hæc ſuperficialis dubitatio, ſi de homine intelligamus, uidetur etiam, quòd iuſtus iniuſtus ſit, eo quòd iniuſte quandoque agit: ſed ſtatim ſoluitur hæc apparens dubitatio, quoniam iuſtus dicitur propter iuſtitiæ habitum, ſicuti & iniuſtus propter habitum iniuſtitiæ. nihil autem inconuenit, quòd qui iuſtitiæ habitum habet, quandoque iniuſta agat, ſed non propterea erit iniuſtus. uidetur etiam, quòd ſapiens ſit expers ſcientiæ, eo quòd qui diſcit, ſit expers ſcientiæ, ſed ſapiens diſcit, ergo ſapiens eſt expers ſcientiæ. ſoluitur & hoc facile, quoniam ille dicitur ſapiens, qui multa cognoſcit, etiam ſi aliqua ignorat. ille autem eſt expers ſcientiæ, quod nihil, aut parum nouit: eadem ratione & hæc reiiciet, ut poſſibile eſt cæcum uidere, poſſibile eſt tacentem dicere. ſuperficialem enim & leuem ambiguitatem habent ex dictionis duplicitate.

ex Alexãdro quæ à ſtoicis quæſitum fuerint.

quæ reiiciantur.

quando ſoluatur ſuperficialis dubitatio.

ſolutio facilis.

quid notet Alexander.

NOTAT Alexander, quòd problemata etiam illa, quæ ex artibus, & ſcientiis proponuntur à dialectico tractari poſſunt, dum ex probabilibus tractentur. dictum enim eſt dialecticam eſſe facultatem, quæ diſſerit ex probabilibus, quare quæcunque theoremata communes, & probabiles rationes ſuſcipiunt, poterunt eſſe dialectica problemata: quæcunque autem talia non ſunt, ſed maiorem requirunt contemplationem, à dialectici conſideratione cadunt, quare non diſputabit dialecticus, utrum omnes triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis. non enim ſuppetunt communes, & probabiles aliquæ rationes ad hoc probandum, ſed ſolus geometra hoc demonſtrabit: neque omnia philoſophica problemata à dialectico tractari poſſunt, ut utrum una ſit omnium materia; & utrum ipſa materia unita ſit, an diſcreta in partes; & utrum inſectilia corpora ſint rerum principia; & utrum omne, quod mouetur, ab alio moueatur; & utrum motus ſit æternus. hæc enim maiorem exigunt diligentiam, & ſupra dialectici uires ſunt. ita igitur quæcunque circa eligens, & euitanda circa ueritatem, & cognitionem, & quæ alicui horum conferunt, uerſantur. ſiquidem probabilia ſint, propoſitiones ſunt dialecticæ: ſi autem dubia ſint, erunt dialectica problemata.

quæ à conſideratione dialectici cadãt.

Caput

CAPVT DECIMVM.

Determinatis autem his. PROPOSITVM est philosopho in hoc secundo secto huius libri tradere methodum, per quam possimus abundare orationibus dialecticis. quare ostendit hoc loco duo esse genera orationum dialecticarum, nempe syllogismum, & inductionem. & quoniam superius dictum fuit, quid est syllogismus, ideo ipsum prætermittit, definitq; inductionem, quod est à singularibus in uniuersalia accessio: atque hoc exemplo manifestat: deinde comparat syllogismum inductioni.

quæ intentio sit philosophi. quid hoc loco ostendat.

PROBAT Alexander, quòd hæc duo sunt suprema genera probationum, syllogismus scilicet & inductio, quoniam quicunque aliquid probat, uel id ex aliquo uniuersali probat, (per uniuersale autem comprehenditur æquale, & magis commune) uel ex aliquo minus communi, & quod est sub ipso. ipsum enim per seipsum nihil potest probari. probatio igitur, quæ ex uniuersalibus fit, syllogistica est: quæ autem ex minus communibus, inductiua est. sub syllogismo autem comprehenditur enthymema: sub inductione autē exēplum.

quid notet Alexander.

NOTAT etiam Alexander, cum dixerit philosophus inductionem esse progressum per singularia ad uniuersale, hinc sequi non recte dicere quosdam inductionem esse orationem à simili ad simile, quoniam uniuersale non est simile singulari, sed hoc magis habet exemplum, quòd à simili ad simile procedat: hæc tamen sententia suspecta est: neque enim minus est necessaria similitudo in inductione, quàm in exemplo. cum enim inductio singularia omnia non inducat, nisi ea, quæ prætermittit, similia sint his, quæ assumit, nullam prorsus uim habebit, non est, quòd similitudo sit inter singulare, & uniuersale; sed similitudo debet esse inter ipsa singularia, ut scilicet cum quædam solum inducamus, de omnibus possimus colligere: exempli causa, si nauis gubernator, qui sit peritus, est optimus; & auriga, qui sit peritus, est optimus; & medicus, qui sit peritus, est optimus; & dux eodem modo, & geometra, & musicus, & architectus, ergo uniuersaliter in artibus omnibus, qui peritus sit, est optimus.

sententiā Alexandri suspectam esse.

exemplum.

DIFFERENTIAM ostendens philosophus inter inductionem, & syllogismum, dicit inductionem esse suasibiliorem, & manifestiorem; & quomodo sit manifestior, adiecit: quoniam secundum sensum est notior, & communis multis: syllogismus uero maiorem habet uim, & necessitatem.

differentia inter inductionem, & syllogismum.

HABET igitur inductio persuasionem, quia per singularia procedit, quæ sunt sensibilia, & multis communia, & nota. uniuersalia enim, quoniam à sensibus longius absunt, ideo à uulgare cognitione sunt remotiora: habet igitur inductio persuasionem, non tamen habet necessitatem. neque enim ex singularibus necessario colligi potest uniuersale, cum impossibile sit cuncta singularia percensere, quonam sunt infinita: quòd si quis etiam posset cuncta assumere singularia, tunc nullus esset inductionis usus, quoniam inductio fit, ut uniuersale ostendatur. si autem omnia assumuntur singularia, iam ipsum uniuersale habetur, cuius causa fit inductio. ut igitur fiat inductio singularia cuncta, sicut non possunt, ita neque debent assumi: quòd si non assumantur omnia singularia, instantiæ semper locus relinquetur: quòd non recte ex assumptis uniuersalis conclusio fiat, ita igitur inductio suasionem quidem habet, non autem habet necessitatem. syllogismus autem, cum minorem suasionem habeat, necessitatem maiorem habet, & uim. si enim syllogismo præmissæ concedantur, conclusio nullo pacto negari potest, sed, uel ab inuito concedatur, necesse est.

quid habeat inductio.

quid hab[eat] syllogism[us]

E No-

quid notandum.

quid dicat Alexander.

NOTANDVM etiam est, quòd quemadmodum non omnis syllogismus est dialecticus, est & demonstratiuus, & sophisticus: ita neque omnis inductio est dialectica. dicitq; Alexander, quòd ea est dialectica, quæ fit ad probandũ uniuersale, ut scilicet ille, qui singularibus credit, uniuersali etiam assentiatur. illa autem quæ fit non ad probandum uniuersale, sed ad declarandas dignitates, quæ ex seipsis sunt notæ. dialectica inductio non est, sed neque proprie est inductio. addere etiam possumus, quòd inductio, quæ fit in materia, necessaria non est dialectica, sed demonstratiua: atque in hac unum singulare sufficit ad inferendum unum uniuersale, ut Socrates est animal, ergo omnis homo est animal.

Genera ergo intelligit quatuor illa, definitionem, proprium, genus, & accidens, de quibus sunt orationes. Hæc sunt problemata, quæ in illis quatuor generibus reperiuntur.

Et ex quibus. Hæ sunt propositiones, quæ & ipsæ in iisdem generibus sunt.

CAPVT VNDECIMVM.

Instrumenta autem etc. CONTINVAT Alexander, quòd cum superius in capite tertio proposuerit agendum esse ad quot, & quæ, & ex quibus essent dialecticæ orationes, & quomodo iis possimus abundare, cum hactenus ostenderit de propositionibus, quas intelligebat per illud ex quibus, & de problematibus, quæ intelligebat per illud ad quot, & quæ nunc agit de instrumentis, ex quibus dialecticis orationibus possimus abundare, quæ dialecticæ orationes sunt syllogismus, & inductio. dicit igitur hæc instrumenta quatuor esse propositiones sumere, posse distinguere, quotupliciter unumquodque dicatur, differentias inuenire, & similitudines considerare. ostenditq;, quòd tria posteriora instrumenta, ad primum quodam modo reduci possunt.

dialecticas orationes esse syllogismũ, & inductionem.

Vnum quidem propositiones sumere. Non est intelligendum, quòd propositiones sint instrumentum dialecticarum orationum. sunt enim earum partes, quod autem est alicuius pars, non est eius instrumentum, sed instrumentum est posse propositionibus abundare. patet autem, quòd si propositionibus abundemus, facile poterimus de re proposita disputare, cum syllogismi, & inductiones ex propositionibus fiant. quantum autem reliqua, etiam instrumenta conferant, ipsemet philosophus inferius ostendet.

quod est alicuius pars, non esse eius instrumentũ.

Sunt autem & modo quodam. Ostendit philosophus hac etiam uia reliqua instrumenta ad propositionum abundantiam reduci posse, exempli causa, ex multiplicis diuisione propositiones habere poterimus, unde de problemate proposito differamus. si enim sciamus, quòd omne bonum aut est honestum, aut delectabile, aut utile. argumentari poterimus ad problema, utrum tyrannidem exercere sit bonum: si enim omne bonum uel est honestum, uel delectabile, uel utile, tyrannis autem nihil est horum, ergo non est bona. eodem modo ex diuisione corporis habentes propositionem hanc, quod aliud est naturale, aliud est mathematicum. argumentari poterimus ad problema, utrum anima sit corporea, uel non: si enim ostendamus eam non esse corpus naturale, neque mathematicum, conficietur ipsam non esse corpoream, ex cognitione etiam differentiarum habetur copia propositionum. cum enim sciamus differre sensum à scientia, quòd qui scientiã amittit, ipsam rursus potest acquirere: qui autem amittit sensum ipsum, non recuperat: præterea quòd scientia ab alio accipitur, sensus autẽ ex generatione habetur: & quòd sensum habere possumus magis, & minus. aliquis enim alio melius uidebit, aut

exemplum.

posse acquiri scientiam amissam: sensum uero amissum minime recuperari.

aut au diet, ſcientiam autem non & ſenſus omnia animalia participant, ſcientiæ uero ſola rationalia: ex his differentiis propoſitionibus abundabimus ad diſſerendum de problemate, utrum ſenſus, & ſcientia idem ſint: eodem modo ex differentiis oſtendemus opinionem non eſſe idem cum ſcientia, quoniam opinio circa contingētia uerſatur: ſcientia uero circa ea, quæ aliter eſſe non poſſunt: ex ſimilium etiam conſideratione, & propoſitionũ copiam habebimus, & argumentari poterimus ad problema, ut ſi ſciamus ita ſe habere ἑκτικὰ ad bonam habitudinem, ut ſanum ad ſanitatem oſtendere poterimus, quòd ſicut ſana ſunt effectiua ſanitatis, eodem modo & effectiua boni habitus erunt ἑκτικά.

CAPVT DVODECIMVM.

Ipſas igitur propoſitiones eligendum etc. CVM propoſuerit philoſophus quatuor inſtrumenta, quibus ſyllogiſmis poſsimus abundare, nunc eorum primum incipit explicare, quod eſt propoſitiones aſſumere. oſtēdit enim quomodo propoſitionum copiam habere poſsimus, dicitq́;, quòd eligere debemus propoſitiones tot modis, quot ipſe propoſitiones dicuntur. aſſumere enim debemus, & quæ omnibus uidentur, & quæ pluribus, & quæ ſapientibus, & his uel omnibus, uel pluribus, uel maxime inſignibus: præterea aſſumere etiam debemus propoſitiones eas, quæ probabilibus contrariæ ſunt per contradictionem propoſitæ, & quæ in artibus receptæ ſunt, ut in capite octauo dictum fuit: præterea & quæ probabilibus ſimiles ſunt: præterea & quæ in plurimis eſſe uidentur, & ſi forte in aliquibus ita non ſint: præterea & ex deſcriptis orationibus propoſitiones ſumendæ ſunt. ſed illud præcipue obſeruandum, ut certo quodam ordine has propoſitiones digeramus. obſeruare etiam debemus aliorũ opiniones. oſtendit deinde philoſophus tria eſſe in uniuerſum propoſitionum & problematum genera, alia phiſica, alia moralia, alia logica: & quòd hæc difficile eſt definire, ſed per exempla digno ſcenda ſunt: & quomodo circa hæc uerſetur dialecticus: & quomodo philo ſophus ultimo admonet, quod propoſitiones quammaxime licet uniuerſales accipere, & earum unamquanque in plures diuidere.

propoſitorũ quatuor inſtrumentorũ primum inci pit explicare.

QVAENAM ſunt probabilia omnibus, quæ pluribus, quæ ſapiētibus, atque horum, quæ omnibus, quæ pluribus, & quæ maxime notis ſuperius dictum fuit in expoſitione primi capitis. hæc autem ſola non ſunt aſſumenda ut pro poſitionibus abundemus, ſed alia præterea multa.

de his omnibus dictũ fuit in expoſitione primi capitis.

Aut etiam contrarias apparentibus. hoc loco eſt duplex lectio: altera enim dicit aut etiam contrarias apparentibus, & quæcunque opiniones ſecundum artem ſunt. oportet autem proponere contrarias apparentibus probabilibus ſecundum contradictionē: altera uero lectio dicit uel contrarias apparentibus ſecundum contradictionem. Alexander uidetur priorem interpretari, ut uelit philoſophus non ſolum aſſumendas eſſe propoſitiones illas, quæ cōmuniter approbantur, aut quæ uidentur pluribus, aut quæ ſapientibus; ſed & eas, quæ ſunt probabilibus cōtrariæ, & quæ ex artibus proponuntur, quēadmodum in capite octauo, ubi de propoſitionibus agebatur, dictum eſt: & quoniam dixit aſſumendas eſſe propoſitiones contrarias probabilibus, ſtatim admonet, quomodo eas aſſumere, ipſisq́; uti debeamus, quòd ſcilicet oportet ipſas aſſumere per contradictionē. cum enim ea, quæ ſunt contraria probabilibus, probabilia nullo modo eſſe poſsint, ideo fit, ut eorum con-

tradictoria probabilia sint, ut si probabile est amicis benefacere, probabile etiam erit inimicis non benefacere.

probabilia: et uideri, quæ probabilibus similia.

Vtile autem & facere ipsas etc. illa etiam, quæ probabilibus similia sunt, probabilia esse uidentur, ut superius etiam dictum fuit: ut si probabile est eandem esse scientiam contrariorum, probabile etiam est eundem esse sensum: & si probabile est, quòd auditus fiat non exeunte aliquo ex sensus organo ad ipsum obiectum, sed contra potius specie soni ad organum delata, in eoq; recepta atque eodem modo olfactus, & gustus fit, quia dum aliquid olfactu, aut gustu percipimus, palam est nihilo ex sensitorio ad obiectum exire, sed contra potius aliquid suscipit, ergo probabile etiam est uisionem eodem modo fieri, non aliquid emittendo, sed suscipiendo, non ergo dicere debemus uisuales aliquos radios ex oculo ad obiectum referri, sed contra potius uisiles species in oculo recipi.

quid notet Alexander.

NOTATQVE Alexander, quòd quemadmodum ea, quæ probabilibus cõtrarium enunciant, de contrario non per se proponuntur, sed ipsis probabilibus apposita. cum enim per se proposita non sint probabilia, ex ea appositione probabilitatem acquirunt. eodem modo & quæ probabilibus sunt similia debent ipsis probabilibus apponi, ut nonne contrariorum est idem sensus, quemadmodum est eadem scientia, uel si probabilius sit eundem esse sensum contrariorum, quàm eandem esse scientiam? hoc modo, nonne eadem est scientia contrariorum, quemadmodum est idem sensus? & nonne uidemus patiente aliquid sensu, cum & in aliis sensibus susceptio aliqua fiat?

Philosophũ notare, quæ uidẽtur in singularib⁹, uniuersaliter accipienda.

Insuper quæcunque in omnibus, uel pluribus apparent. notat philosophus, quòd ea, quæ in omnibus singularibus ita esse uidentur, uniuersaliter accipere debemus, tanquam principium quoddam, & apparentem positionem, id est quòd huiusmodi propositionibus tanquam principiis quibusdam, atque ab omnibus concessis uti debemus. hoc enim loco uerbum illud positio, ut Alexander dicit, significat, quod sit ab omnibus concessum, & approbatum: neque solum uult philosophus, ut ea accipiamus, quæ in omnibus sunt uera pro uniuersalibus, ac concessis, sed & ea, quæ in pluribus talia sunt, licet forte in aliquibus sint falsa: neque enim omnes ita solertes sunt, ut errorem deprehendant, huiusmodi est, quod maiori bono contrarium est, est maius malum, hoc enim etsi in multis uerum sit, alicubi tamen est falsum, quoniã bono habitui, qui maius bonum est, quàm sanitas, contrarius est malus habitus, qui minus malum est, quàm morbus: eodem modo si dicamus, si aliqua sint contraria in duabus coniugationibus posita, atque unum ex his contrariis, quæ sunt in eadem coniugatioue, sequatur unum ex his, quæ in altera coniugatione sunt, contingit, ut alterum etiam contrarium ex his, quæ in prima coniugatione sunt, consequatur eorum alterum, quæ sunt in secunda.

exemplum.

exempli causa, album, & nigrum in una coniugatione ponantur, in altera congregatiuum, & disgregatiuum uisus: quoniam igitur congregatiuum sequitur album, ideo disgregatiuum sequitur nigrum: pariter quoniam dulce sequitur iucunditas, ideo amarum sequetur tristitia: atque hoc in aliis plurimis uerum esse deprehendetur, non tamen in omnibus. non enim uerum est in sanitate, & morbo bono habitu, & malo habitu. bonum enim habitũ consequitur sanitas, non tamen malum habitum consequitur morbus. qui enim bonum habitum habet, omnino habet & sanitatẽ, non tamen qui malũ habitum habet, omnino morbum habet, eodem modo si dicamus, cuius bene est eligibilius, ipsum quoque est eligibilius: hoc enim in plurimis est uerum, ut quoniam bene facere melius est, quàm bene dicere, ergo melius est

sanitatem cõsequi bonum habitum, nõ tamen morbũ consequi malum habitum.

facere,

facere, quàm dicere: & quoniam bene dicere melius est, quàm bene currere, ergo dicere melius est, quàm currere. hoc tamen in omnibus, ita nō est: nam melius est quidem bene mori, quàm bene scribere, non tamen melius est mori, quàm scribere: tale etiam est, quod in omnibus animabus cor sit principium uitæ. hoc enim etsi in plurimis ita sit, non est tamen in omnibus, cum quædam sint animalia, quæ corde destituantur, ut insecta, sed hæc omnia etsi in aliquibus non sunt uera, uniuersaliter tamen accipere ipsa debemus, præcipue quòd facile non est deprehendere, in quibus uera non sint.

QVAERIT Alexander, quomodo hæc differant ab his omnibus, uel plurimis uidentur, respondetq́; , quòd illa non sunt assumenda sine interrogatione, ut nonne parentes sunt honorandi, non Deus colendus. hæc uero, de quibus modo diximus, sine aliqua interrogatione assumi possunt, tanquā principia quædam: neque enim principia aliquis cum interrogatione assumit, nisi forte, inquit, interrogatione utamur, ut per inductionem ipsa assumamus, quod etiam in principiis usu euenit. uerū hæc sentētia suspecta est, cum hic philosophus doceat, quomodo dialecticis orationibus abundare posimus: præterea, quod non maiorem uidentur habere fidem hæc, quàm illa, quæ omnibus, aut plurimis uidentur; immo potius minorē, non ergo aliter ea differre dicemus, quàm quòd ea ex iudicio opinantium sumuntur. hæc uero, eo quòd in omnibus, uel in plurimis ita sint.

quid quærat Alexan. hoc in loco.

sententiā philosophi esse suspectam.

Deligere autem oportet. Non solum uult philosophus, ut opiniones, quæ uulgo circumferuntur, assumamus, sed etiam ex scriptis orationibus, & disputationibus, quæcunque probabilia sint. sed id præcipue attendendum, ne has propositiones confuse aggregemus: sed in ordinem quendam ipsa digeramus, ut scilicet unoquoque genere proprias propositiones constituamus, ut de bono, de uirtute, de sapientia, atque in unoquoque genere ordinem etiam quendam obseruare debemus, ut scilicet ea prius ordinemus, quæ pertinent ad quid est. ea deinde, quæ ad quale, deinde alia consideremus, quòd ipsi insit, & an habeat aliquid contrarium, & quodnam sit huiusmodi contrarium, & quid ad ipsum, & ad quid ipsum cōsequatur, exēpli causa, quòd animal sit, substantia sit, corpus sit uiuens: deinde quòd sit sensitiuum, & loco motiuum, & quid ipsi insit, ut quòd omne animal uel est terrestre, uel aquatile, uel uolatile, uel quòd non omne animal spirat, & non omne animal fert cornua. hæc autem præparata habere oportet, & digesta, præparata quidem, quoniam imposibile esset eum, qui hoc modo non esset instructus, ex tempore de aliqua re recte posse disserere: digesta autem ut prompte, & facile per unumquodque genus respicientes ea posimus inuenire.

qd fieri uult philosophus.

exemplum.

Incipientes ab ipso, quod est. dupliciter hanc particulam exponit Alexander, primo quidem, quòd in digerendis generibus incipiamus ab iis, quæ essentialiter unicuique insunt: deinde ad ea, quæ accidentaliter insunt, procedamus: uel quòd hoc dictum sit de ipso bono, quòd cum in omnibus generibus reperiatur, incipere debeamus ab eo, quod in substantia reperitur, atque ita ad reliqua deinceps progredi.

dupliciter ab Alexandro particulā exponi.

Annotare autem & singulorum opiniones. annotantur quidem singulorum opiniones, quoniam plerunque fides non habetur alicui opinioni, si simpliciter proferatur, quæ si testimonio alicuius, qui ita fuerit opinatus, confirmetur, statim fidem accipit.

quare plerūque fides nō adhibeat alicui opinioni.

At uero quales sint singulæ prædictarum. admonet philosophus difficile esse has propositionū species definitione cōplecti: quare debere nos ex propositis exēplis tentare, reliqua cognoscere, quòd autem facile non sit ea complecti defi-

definitione, hinc patet. ea enim conueniens uidetur definitio, quòd ea moralia sint, quæ ad electionem, & fugam intendunt: sicuti prius ea appellauit, non tamen omnia moralia comprehendit. quærere enim utrum uirtutes se mutuo consequantur, est quidem morale problema, non tamen ad electionem intendit, sed ad cognitionem. sunt & quædam in naturalibus, problemata, quæ ad electionem, aut fugam pertinent, ut utrũ omnia ex fato regantur, utrum sit diuina prouidentia in his rebus mortalibus. distinxit autem philosophus problemata per has species, ut admoneret, quòd circa horum unumquodque proprias propositiones assumamus, ac constituamus.

quædam problemata ĩ naturalibus.

Ad philosophiam igitur secundum ueritatem. Quoniam circa hæc tria genera, in quibus consistere dixit dialectica problemata, uersatur etiam philosophus, ostendit quomodo philosophus, & dialecticus de eisdem rebus agant differenter. philosophus enim de iis agit, ut ueritatem inquirat: dialecticus uero, ut inquirat probabilitatem. atque hinc eliciendum est eandem rem posse à diuersis artificibus tractari, dummodo differenter, ac prout unicuique conuenit, tractetur. postea admonet philosophus quammaxime fieri potest uniuersales accipiendas esse propositiones, ut quòd omnium oppositorum sit eadem disciplina, quòd omnis motus sit mutatio alicuius ex aliquo,

quomodo philosophus, & dialecticus agant differẽter.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

hoc caput in duas partes esse diuisum. quid hoc loco agat philosophus.

Ipsum autem quotupliciter considerandum est. Capvt hoc ob eius prolixitatem in duas partes diuidemus. prima pars eò usque perueniet, ubi dicit philosophus. considerãda autem & genera secundum nomen prædicamentorum. ex quatuor igitur propositis instrumentis cum primum absoluerit, secundum hoc loco explicat, quod est cognoscere quotupliciter unumquodque dicatur. uult igitur philosophus locos quosdam, & regulas tradere, unde cognoscere possimus, num propositum nomen dicatur multipliciter. admonet igitur primo, quòd quando aliquod multiplex distinguimus, non solum dicere debemus diuersa eius significata, sed etiam qua ratione unumquodque significet: affert deinde locos, unde deprehendamus aliquid esse multiplex. primus locus est, ut eius contrarium inspiciamus, nunquid dicatur multipliciter, quod quidem contrarium aliquando multiplex est, solum specie aliquando etiã nominibus. secundus locus est, quando aliquod nomen multa significat, nescimusq;, an multiplex sit, consideremus, si unum eorum, quæ significatur, habet contrarium, aliud autem non habet. tertius locus est, si eadem contrariorum nomina alicubi medium habeant, alicubi non habeant, uel ubique habeant medium: sed non idem uel alibi plura, alibi unum tantum medium habeant. quartus locus est, ut consideremus suum contradictorium, nunquid multipliciter dicatur. quintus locus est, & in his, quæ secundum priuationem, & habitum opponuntur, consideremus, nunquid alterum multipliciter dicatur, nam & alterum eodem modo dicetur. sextus locus est, ut casus consideremus, si quid enim ab aliquo per casum dicitur, & eorum alterum multipliciter dicatur, alterum quoque multipliciter dicetur.

quid admoneat philosophus.

Non solum quæcunque dicuntur secundum alium modum. Hoc est philosophi documentum, quo admonet, quonam modo eorum, quæ multipliciter dicuntur, distinctionem, ac assignationem efficere debeamus. non solum enim debemus ipsum multiplex in sua significata distinguere, sed rationes etiam afferre, quibus de eorum unoquoque dicatur, exempli causa, si bonum uelimus distinguere,

ſtinguere, non ſolum dicere oportet, quòd bonum alio modo de iuſtitia, & fortitudine dicitur; alio uero modo de ſanatiuo: ſed adiicere etiam oportet, quòd de habitibus illis etiã dicitur bonum, eo quòd ſunt per ſe talia. de ſanatiuo uero bonum dicitur, eo quòd eſt boni effectiuum. hinc ſequitur, quòd ea, quæ bona dicuntur, eo quòd ſunt per ſe talia, bonos efficiunt poſſidentes: quæ autem bona ſunt, eo quòd ſunt boni alicuius effectiua, neque per ſe bona ſunt, neque bonos efficiunt poſsidentes, ſed ſolum potentes, aliquod bonum efficere: & quòd, quæ ſunt per ſe bona, habitum quændam, uel diſpoſitionẽ inducunt poſsidentibus: quæ uero ſunt boni effectiua prom ptitudinem, uel potentiam quandam ad bonum efficiendum.

Vtrum autem multipliciter ſpecie dicatur. Notandum eſt ea, quæ multipliciter dicuntur, uel eſſe æquiuoca, uel ambigua: æquiuoca in eadem uoce ſpectantur: ambigua in pluribus. ſed in his, & in illis oportet, ut ratio, & definitio ſit diuerſa, quòd ſi ipſa ratio non ſit diuerſa, neque erunt æquiuoca, neque ambigua, neque multipliciter proprie dicẽtur. animal enim, exempli cauſa, de pluribus dicitur: ſed quoniam plura illa non differunt ratione ſecundum illud nomen commune, ideo animal non eſt ex his, quæ multipliciter dicuntur: ob hoc igitur philoſophus adiecit illud ſpecie, per ſpeciem intelligens, ut uult Alexander. rationem, quòd autem per ſpeciem intelligi debeat ratio, innuit philoſophus, cum dicit, ſiue ſpecie, ſiue nomine diſſonet. ratio enim contra nomen diſtingui ſolet, ut in prædicamentis cum definiuntur uniuoca, & æquiuoca. ea eſſe notanda, quę æquiuoca, uel ambigua.

Primum in contrario inſpiciendum. oſtendere uult philoſophus, quomodo cognoſcere poſsimus aliquod multiplex per ſuum oppoſitum: & quoniam oppoſita multis modis dicuntur, ideo oſtendit primum, quomodo cognoſci poſsit aliquod multiplex per ſuum contrarium, ubi quomodo etiam ex mediis cognoſcatur: deinde oſtendit quomodo cognoſci poſsit multiplex per ſuum contradictorium: deinde quomodo cognoſci poſsit per oppoſitum habitum, aut priuationem. primo igitur dicit, quòd inſpicere debemus, utrũ contrarium dicatur multipliciter. ſi enim unum contrariorum multipliciter dicitur; alterum quoque multipliciter dicetur: & quoniam quandoque ipſum contrarium ratione tantum multipliciter dicitur, non etiam nomine quandoque uero nomine, & ratione, ideo de utroque nos admonet, atque exemplis totam rem illuſtrat. ſiquis uelit cognoſcere utrum acutum dicatur multipliciter, ſpectet eius contraria. acuto enim contrariantur graue, obtuſum, & dulce: acuto, quod eſt in uoce, contrariatur graue acuto, quod eſt in magnitudine, contrariatur obtuſum; acuto, quod eſt in ſapore, contrariatur dulce, aut inſipidum. atque hæc non ſolum ſpecie ſunt inter ſe diſtincta, ſed etiam nominibus. cum igitur quòd acuto contrariatur multiplex ſit, ergo & acutum ipſum multiplex erit. aliud enim erit acutum, quod graui opponitur; aliud, quod opponitur obtuſo; aliud, quod opponitur dulci. eodem modo cognoſcemus & ipſum graue dici multipliciter, eo quòd ipſi opponitur acutum, & leue. graui enim, quod eſt in uoce, opponitur acutum: graui uero, quod eſt in pondere, opponitur leue. eodem modo probabimus & honeſtum multipliciter dici, eo quòd ipſi plura ſint contraria, nempe turpe, & flagitioſum. honeſto enim, quod in animalis figura ſpectatur, opponitur turpe. ei uero, quod eſt in moribus, opponitur flagitioſum, ergo honeſtum multipliciter dicitur. apud græcos autem nomen illud καλὸν alio modo eſt

quid oſtendere uelit philoſophus.

exempla.

est multiplex, eo quòd τῷ καλῷ, quod est in animali opponitur αἰσχρὸν: ei uero, quod est in domo, opponitur μοχθηρόν.

dubitatio. Sed dubitaret quis, nunquid eodem modo probare possimus timiditatem multipliciter dici, eo quòd ipsi contraria sint. fortitudo, & temeritas, ita & fortitudo cum timiditati, & temeritati opponatur, multipliciter dicetur. dicendum est cum Alexandro, quòd in iis diuersa est ratio. in prioribus enim illis unicuique eorum contrariorum, quæ plura erant, id, de quo quærebatur, an esset multiplex, opponebatur nō secundum aliquam sui partem, sed secundum totum integre, & perfecte. hic uero timiditas non opponitur fortitudini, & temeritati secundum totum, sed secundum aliquid sui opponitur fortitudini, secundum aliquid, temeritati. cum enim timiditas sit uitium in defectu existens circa has aliquas passiones in eo, quòd uitium est, ac proinde immoderatio quædam circa ipsas passiones: opponitur fortitudini. in eo uero, quod est in defectu, opponitur temeritati, quæ est in excessu. neque enim timiditas temeritati opponitur in eo, quòd uitium est. in hoc enim conueniunt, neque fortitudini opponitur timiditas in eo, quòd est in defectu. neque enim defectuosum moderato est contrarium: timiditas autem non est horum alterum tantum, neque scilicet solum uitium, neque solum defectus, sed utrunque comprehendit: fortitudo autem opponitur timiditati, & temeritati eadem ratione quatenus scilicet utraque est immoderatio quædam circa has aliquas passiones, & utraque est uitium, fortitudo igitur non erit multiplex.

solutio.

In quibusdam autem nomina quidem non sunt posita differentia. Quomodo, quæ alicui contraria sunt, non solum ratione differant, sed etiam nominibus, superius declarauit. nunc uero declarat, quomodo ratione tantum differant. nomen autem unum tantum sit claro, exempli causa, opponitur obscurū, at obscurum multipliciter dicitur, ergo & clarum multipliciter dicetur. dicitur autem obscurum multipliciter, quoniam & uox obscura dicitur, & obscurus color, quæ ratione inter se differunt. longe enim aliud est obscurum in uoce, quàm in colore: aliud ergo erit clarum, quod obscuro in uoce opponitur: aliud uero quod opponitur obscuro in colore.

exemplum.

quomodo differat inter se, obscurum in uoce, & obscurum in colore.

Manifestum autem hoc est per sensum. Ostendit philosophus, quòd obscurum, quod est in colore, specie inter se differunt: simulq; methodum tradit. qua ea, quæ sunt eadem, ac dissimilia specie, discernere possimus. eorum enim, quæ sunt idem specie, idem est sensus: quorum autem non est idem sensus, ea non sunt idem specie. obscurum autem, quòd est in uoce, & quod est in colore, eodem sensu non percipiuntur, sed hoc uisu. illud uero auditu, hæc ergo specie erunt inter se diuersa.

quid notet Alexander.

Notat Alexander, quòd ex hoc etiam loco ostendere possumus aliquid esse æquiuocum, non aliter eius contrarium considerandum, sed ipsummet, exempli causa, si ostendamus, quòd clarum aliud uisu percipitur, aliud auditu: compertum erit, quòd clarum multipliciter dicitur.

Præterea si huic quidem sit aliquid contrarium, huic autem simpliciter nullum. Tradit hic philosophus secundum locum, ex quo ea deprehendere possimus, quæ multipliciter dicuntur: si eorum, quæ ab ea uoce significantur, quam inquirimus, an multiplex sit, huic quidem sit aliquid contrarium, huic autem nullum, patet, quòd uox illa multipliciter dicetur, exempli causa, quoniam uoluptas significat, & eam, quæ edendo percipitur, & quæ contemplando, quoniam uoluptas, quæ edendo percipitur, habet aliquid contrarium: tristitiam

exemplum.

ſtitiam ſcilicet, quæ in fame fit: uoluptas autem contemplandi nihil habet contrarium, uoluptas ergo multipliciter dicetur. eadem ratione deprehendemus & amare ſecundum corpus, & ſecundum animum, æquiuocum eſſe, quoniam amare ſecundum animum contrarium habet, odiſſe: amare uero ſecundum corpus, quod eſt corpore frui, ipſumq́; in ſuam libidinem conuertere, nihil habet contrarium: amare igitur æquiuocum eſt. eadem ratione dicemus, & ſubſtantiam æquiuoce dici, eo quòd cum dicatur de forma, & de materia formæ, quidem eſt contraria priuatio: materia uero nihil habet omnino contrarium. quid ſit amare ſecundum corpus, & q́d ſecundum animum.

HINC emergere poteſt difficultas, quòd uoluptati, quæ eſt in ſpeculando ea, opponitur triſtitia, quæ eſt in non ſpeculando. ſoluit Sueſſanus, quòd philoſophus intelligit contrarium, quod deſtruit corpus: ſed dicendum eſt, quòd delectationi, quæ eſt in ſpeculando bene, opponitur negatio, aut forte priuatio. contrarium autem nullo modo, quoniam contrarium uult eſſe poſitiuum, idem dicatur de amare ſecundum corpus. difficultas. ſolutio Sueſſani.

SED dubitaret quis, quod hic ſecundus modus uidetur priorem deſtruere. in eo enim dicebatur, quòd ſi alicuius contrarium multipliciter dicitur, ipſum quoque multipliciter dicetur. ex his autem, quæ hic dicta ſunt, elici poteſt, quòd aliquod contrarium multipliciter dicitur, cuius tamē contrarium multipliciter non dicitur. ſi enim accipiamus odiſſe, eius contrarium, quod eſt amare, multipliciter quidem dicitur, ipſum tamen non dicitur multipliciter. dicendum eſt nō propterea deſtrui priorem illum modum: in eo enim accipiebatur, ſi id, quod eſt alicui contrarium, multipliciter dicitur, & iis omnibus illud eſt contrarium, ipſum quoque multipliciter dicetur, exempli cauſa, quoniam quod eſt acuto contrarium, multipliciter dicitur, ut in uoce graue, in magnitudine obtuſum, in ſapore inſipidum: & his omnibus opponitur acutum: ipſum igitur acutum multipliciter dicitur: hic autem odiſſe non eſt contrarium his omnibus, quæ amare ſignificant, immo dicere poſſumus, quòd amare multipliciter dictum, non eſt contrarium ipſi odiſſe, ſed ſignificatum quendam ipſius amare opponi ipſi odiſſe. dubitatio. ſolutio. exemplum.

Præterea in medijs, ſi huic quidem eſt aliquid medium. oſtendit nunc philoſophus, quomodo ex mediis deprehendere poſsimus, nunquid aliqua dicantur multipliciter: atque hic tertius modus in eo eſt à prioribus diuerſus, quòd in illis ex uno contrario alterum contrariū multipliciter dici cognoſcebamus. in hoc uero ex ipſis mediis utrunque contrariorum nunquid multipliciter dicantur, cognoſcimus.

DOCET autem hic locus, quòd quando aliqua contraria plura ſignificant, uelimusq́; cognoſcere, nunquid multipliciter an uniuoce de omnibus dicantur, debemus conſiderare, nunquid in utriſque ſint eadem media. ſi enim contingat, quòd in aliquibus ſint media, in aliis uero non ſint, aut ſi in omnibus quidem ſint media, ſed non eadem, aut in aliquibus plura ſint media, in aliquibus uero unum tantum, in his tribus caſibus contraria, quæ ita differenter ſe habent, penes media æquiuoce dicentur. exempli cauſa, clarum, & obſcurum contraria ſunt, quæ & in uoce, & in colore reperiuntur: & quoniam inter ipſa, in colore media quædam reperiuntur, in uoce autem uel nullum eſt medium, uel forte male, quod admodum eſt diuerſum ab his mediis, quæ in coloribus ſunt, clarum igitur, & obſcurum æquiuoce dicentur. huius autem loci ratio eſt, quoniam cum contraria alia ſint immediata, alia uero mediata, quemadmodum in prædicamentis dictum eſt, ideo in quibus medium deprehendemus, non poterunt eadem eſſe cum his, quæ mediis carent, q́d locus doceat.

F

rent, neque minus ea differunt, quæ media habent diuersa, cum hoc non minus arguat rationis, & naturæ diuersitatem.

Rursus in eo, quod secundum contradictionem. cum ostenderit philosophus, quomodo ex inspectione contrarii, & mediorum cognosci posit aliquod multiplex, nunc id ipsum cognoscere ostendit ex contradictorio. si enim unum contradictoriorum multipliciter dicitur, alterum quoque multipliciter dicetur, exempli causa, sit nobis propositum considerandum, an uidere multiplex sit, inspiciamus eius contradictorium, quod est non uidere. si enim non uidere dicetur multipliciter, dicetur pariter multipliciter ipsum uidere. multipliciter autem dicitur non uidere, eo quòd potest significare & eum, qui uisum non habet, & qui uisum habet: sed actu non uidet, quare & uidere multipliciter dicetur, & quemadmodum uidere, & non uidere dicuntur multipliciter, eodem modo, & secundum alios sensus sentire, & non sentire dicuntur multipliciter, ut audire, & non audire, olfacere, & non olfacere, gustare, & non gustare, tangere, & non tangere.

quomodo cognoscendum sit illud aliquid multiplex ex contrariis.

NEC solum in particularibus sensibus affirmatio, & negatio dicuntur multipliciter, sed & uniuersaliter ipsum sentire dicitur: multipliciter dicitur enim quid sentire actu, & potestate, ita & non sentire: præterea non solũ sentire significat percipere sensibile aliquod sensu corporeo, sed etiam ad mentem transfertur, & significat intelligere.

ubi affirmatio, & negatio, multipliciter dicãtur.

NOTANDVM autem est, quòd hic modus, quem nunc tradidit philosophus de contradictoriis, is est, quem etiam primo tradidit de contrariis, sicut enim si unum contrariorum multipliciter dicitur, alterum etiam dicitur multipliciter: ita etsi unum contradictoriorum, alterum quoque. alii autem modi de contrariis traditi contradictoriis aptari non possunt. non quidem secundus, qui est, quòd si unum ex iis, quæ ab eadem uoce significantur, habeat contrarium: aliud uero non habeat, uox illa erit multiplex, quoniam omnis enunciatio habet suam contradictoriam, non est, quòd aliqua habeat, aliqua non habeat: neque alius modus, qui est ex mediis, conuenire potest contradictoriis, quoniam inter contradictoria non datur medium.

NOTANDVM autem est ex Alexandro, quòd ut fiat affirmatio, uel negatio non simpliciter, oportet dicere uidere, uel non uidere. sed adiicere oportet subiectum aliquod, ut Platonem non uidere. huius rei ratio est, quoniam ut dictum fuit in libro de interpretatione in capite de uerbo, ipsa uerba per se prolata non significant aliquid esse, uel non esse.

quid ex Alexandro notandum de affirmatione, & negatione nõ simpliciter.

Præterea in ijs, quæ secundum habitum, & priuationem dicuntur. Primus ille modus in contrariis dictus non solum contradictoriis conuenit, sed & his, quæ secundum habitum & priuationem opponuntur. si enim alterum eorum dicitur multipliciter, alterum pariter dicetur multipliciter, exempli causa, quoniam sentire multipliciter dicitur & secundum sensum, & secundum intellectum, ergo & insensibile esse, quod dicunt græci ἀναισθητεῖν multipliciter dicitur, & de eo scilicet, qui sensu non percipit, cum percipere natura aptũ sit: ut de eo, qui nõ intelligit, cum natura aptum sit intelligere: quòd autẽ sentire, & insensibile esse opponantur secundum priuationem, & habitum, tam secundum sensum, quàm secundum intellectum, probauit philosophus dicẽs manifestũ, quoniam natura apta sunt utrunque sensum habere animalia, & secundum animam, & secundum corpus. quod enim natura aptũ est aliquid habere, quando illud habet, in eius habitu est: quando uero non habet in eius est priuatione. si igitur animalia sensum habere natura apta sunt, ergo quãdo ipsum habẽt in eius habitu sunt, quãdo non habent, sunt in eius priuatione

Exemplum.

tione: sentire igitur, & esse insensibile opponuntur secundum habitum, & priuationem. atque hinc fit cum habitus, & priuatio dicantur solum de propriis subiectis, quòd esse insensibile non dicetur de lapide, aut ligno, aut alio quoquã, quòd sensum habere natura aptum non sit: aut si forte dicatur, non ut priuatiuum, sed ut negatiuum dicetur: de quolibet enim dicitur affirmatio, aut negatio.

SED dubitaret quis, cur philosophus cum docuerit, quomodo cognoscatur aliquod multiplex inspecto contrario, contradictorio, habitu, aut priuatione, non idem de relatiue oppositis dixerit, dicendum est cum Alexandro hoc non dixisse philosophum, quoniam manifestum est ex ipsa relatiuorum definitione, cum enim ipsis relatiuis esse idem sit, quod ad aliquid quodammodo se habere patet, quòd si alterum eorum multipliciter dicitur, alterum quoque multipliciter dicetur: quare si scientia dupliciter dicitur actu, & potestate; scibile quoque dupliciter dicetur. & si amatum multipliciter dicitur, amans quoque multipliciter dicetur. idem dicatur de sensu, & sensibili: de excessu, & excesso: de motu, & mobili: de habitu, & habito. quid cum Alexandro dicendum.

Præterea & in casibus considerandum. Docet hic sextus locus cognoscere multiplex ex casibus. si enim casus multipliciter dicitur, ipsum quoque, unde casus deducitur, multipliciter dicetur: & conuerso, exempli causa, si iuste dicitur multipliciter, ergo & iustum multipliciter dicitur, & econuerso. dicitur autem iuste multipliciter: nam & qui ex sua ipsius sententia indicat aliquid id existimans rectum esse (quod uulgo dicimus) ex conscientia, iuste dicitur iudicare, & si forte illud iustum non sit. Is etiam recte dicitur iudicare, qui, ut oportet iudicat: sed & is iuste iudicat, qui iudicat, ut leges sanciũt: & si hoc re uera iustum non sit, totidem igitur modis dicetur iustum. eodẽ modo quoniam salubre dicitur multipliciter, salubriter quoque dicetur multipliciter: dicitur autem salubre multipliciter, nam & effectiuum sanitatis salubre dicitur, ut Pharmacum: & conseruatiuum, ut uictus ratio: & significatiuum, ut pulsus, & color, salubriter igitur totidem etiam modis dicetur. quomodo multipliciter casum dici.

NOTANDVM est, quòd ut ostendat philosophus locum hunc conuerti, quòd scilicet si casus multipliciter dicitur, & id, unde casus dicitur, multipliciter dici. in primo exemplo dixit, si iuste dicitur multipliciter iustum, quoque dici multipliciter. in altero uero dixit, quòd si salubre est multiplex, erit multiplex, & salubriter. id, ex quo casu, multipliciter dici.

NOTANDVM est tria hæc inter se differre coniugata, quæ σύστοιχα græci dicunt denominatiua, & casus. coniugata enim dicuntur, & quæ proportionaliter ad aliqua se habent, unde & analoga dicuntur, ut sunt sensus, & scientia princeps, & cor punctus, & unitas. præterea sensibile, & scibile dicuntur & coniugata ipsa denominatiua cum suis principalibus, ut iustitia denominatiue dicitur iustus, iustum, & iuste. hæc igitur & inter se, & cum iustitia dicuntur coniugata. denominatiua autem inter se non dicuntur, neque etiam cum illis suum principale dicitur denominatiuum: sed solum ab eo denominatiua dicuntur, ut à grammatica grammaticum: denominatiuum est non autem à grammatico grammatica: casus autem dicuntur aduerbia à nomine aliquo efformata, ut iuste musice, prudenter, & huiusmodi alia. alio etiã modo dici solet casus differẽtia scilicet terminationis qualemcunque habeat formationem ab aliquo, & hoc modo appellarunt ueteres casum, & appellauit philosophus in prædicamentis definiens denominatiua. uulgo autem proprie dicuntur casus uoces illæ, quæ per influxionem à recto cadunt. tri- quid notandum.

bus igitur modis casus dicitur, hoc enim loco prætermittimus, quòd casus accidentalem causam significet, quòd nimis sit à proposito nostro alienum. NOTATQVE Alexander non esse necesse, quòd si aliquod denominatiuum dicitur multipliciter, ut suum quoque principale dicatur multipliciter: neque enim si sanum dicitur multipliciter, etiam sanitas dicetur multipliciter: neque si iustum, aut iuste dicitur multipliciter, oportet iustitiam etiam dici multipliciter.

non necesse esse primitiuum multipliciter dici, licet denominatiuum dicatur.

Considerare autem & genera etc. Hæc est secunda pars huius capitis decimi tertii, in qua alios locos affert philosophus, quibus cognoscamus, nunquid uox aliqua proposita multipliciter dicatur. iubet enim considerare prædicamēta, in quibus unumquodque eorum, quæ ab ea uoce signanter reperitur. si enim non sit idem prædicamentum, uox illa erit æquiuoca, & hic est septimus locus cognoscendi multiplicis. Octauus locus est, ut consideremus genera propinqua, sub quibus, quæ ab eadem uoce significantur, posita sunt. si enim diuersa sint, & non subalterna, uox illa erit multiplex, licet sub eodem essent prædicamento. si autē genera essent subalterna, non est necesse, quòd uox illa sit multiplex. admonetq; philosophus hunc octauum locum non solū esse exercendum in proposito nomine, sed etiam in eius opposito. Nonus locus est, ut ad definitiones respiciamus, quæ dantur de nomine composito, ut de claro colore, & de clara uoce: deinde auferamus ab his definitionibus id, quod est proprium, quòd si reliquum in utraque definitione diuersum sit, nomen illud erit multiplex. Decimus locus est, si ea, quæ ab ipso nomine significantur, non sunt inter se comparabilia, nomen illud erit multiplex. Vndecimus locus est, ut consideremus, utrum quæ ab eodē nomine significatur, sint differentiæ diuersorum generum, & non subalternorum, tunc enim nomen illud erit multiplex. Duodecimus locus est, si eorum, quæ ab eodem nomine significantur, diuersæ sint specie differentiæ, tunc nomen illud erit multiplex. Vltimus locus est, si ea, quæ ab eodem nomine significantur, alicubi sint species, alicubi sint differentiæ, tunc nomen illud erit multiplex.

quid præcipiat philosophus.

Considerare autem & genera. Præcipit philosophus, ut consideremus, nunquid idem prædicamentum ea omnia comprehendat, quæ ab eo nomine significantur, de quo inquirimus, an sit multiplex. si enim idem prædicamentum ea non comprehendat, nomen illud erit æquiuocum, exempli causa, bonum quoniam in pluribus prædicamentis reperitur, ideo erit æquiuocum. reperitur autem bonum in prædicamento substantiæ, cum dicimus Deum esse bonum, aut mentem esse bonam: aliquando bonum est in prædicamento quantitatis, ut cum bonum appellamus, quod mediocre est, neque excedens, neque deficiens; aliquando est in prædicamento qualitatis, ut cum dicimus animam bonam nempe sapientem, iustam, fortem; ex eo enim quòd qualitatem quandam habet, ipsam hoc modo appellamus: aliquando bonum est in prædicamento relationis, ut cum dicimus commensuratum esse bonum aliquando ad prædicamentum facere reducitur, ut cum bonum illud dicimus, quod est boni effectiuum: aliquando etiam bonum est in prædicamento passionis, ut cum dicimus sanari, & doceri bonum esse: aliquando bonum est in prædicamento ubi, ut cum dicimus esse in locis salubribus bonum esse: aliquando est in prædicamento, quando ut cum dicimus aliquid esse bonum, propterea quod in occasione, atque opportune factum sit: est etiam in prædicamento positionis, ut cum dicimus febricitantem iacere bonum est: est etiam & in prædicamento habitus, ut cum dicimus in pugna armis indui bonum esse. cū igitur in omnibus decem generibus bonum reperiatur, patet bonū æquiuoce

ostensum esse, bonum æquiuoce dici.

uoce dici. eodem modo ostendere poterimus, & clarum esse æquiuocum, eo quòd clarum, quod in colore reperitur, ad qualitatem reducitur. clarum uero, quòd est in uoce ad facere: clara enim dicitur uox, quæ auditum uelociter, & uehementer mouet. eodem modo & acutum ostendetur esse æquiuocum, quoniam non omnia, quæ ab eo significantur, sub eodẽ sunt prædicamento: acutum enim in uoce ad facere deducitur. est enim acuta uox, quæ uelociter aerem diuidit certa quadam percussione, ut Pythagorici dicunt, qui circa mathematica plurimum uersantur, atque ita numeris suis delectantur, ut sicut omnia alia, ita armonias quoque ac concentus ad certos quosdam numeros referunt. at uero acutum, quod in angulo reperitur, ad aliquid est. dicitur enim angulus acutus, qui est minor recto: minus autem ad aliquid est, acutum uero, quod est in magnitudine, ut in gladio ad qualitatem reducitur. dicitur enim gladius acutus, eo quòd acutam figuram habet: figura autem est qualitas, si igitur acutum, & ad prædicamentum facere, & ad prædicamentum relationis, & qualitatis reducitur, æquiuocum igitur erit.

Considerare autem & genera eorum, quæ sub eodem nomine sunt, si diuersa sint, & non subalterna. Differt hic locus à præcedente, ille enim erat à prædicamentis. si enim ea, quæ à proposito nomine significantur sub diuersis sint prædicamentis, nomen illud est æquiuocum. hic uero docet cognoscere multiplex à genere propinquo. si enim ea, quæ à proposito nomine significantur, sint sub diuersis propinqnis generibus non subalternis: & si illa ad idem prædicamentum reducantur, attamen nomen illnd erit æquiuocum: at si ea, quæ ab eodem nomine significantur in pluribus generibus sint subalternis, non oportet nomen illud esse æquiuocum. coruus, exempli causa, de multis dicitur, quæ & sub aui, & sub animali sunt, neque tamen coruus est æquiuocum nomen, quoniam utrunque horum generum de eodem dicuntur. qui enim auẽ dicit, animal dicit: & qui dicit animal uolatile, bipes auem dicit: non igitur coruus erit nomen æquiuocum. at si quæ à nomine significantur, sub diuersis generibus sint non subalternis, nomen illud erit æquiuocum, exempli causa, ὄνος duo significat nempe asinum, & interiorem malam retinentem frumentum, asinus quidem sub animali est, mole sub uase, aut instrumento. hæc autem uas, & animal non sunt genera subalterna, quamuis igitur utrunque sit sub eodem prædicamento substantiæ. uox illa ὄνος erit æquiuoca, quòd autem uas, & animal non sint subalterna genera, patet enim qui uas dicit, dicit animal: neque qui dicit animal, uas dicit, quod quidem fit in ipsis subalternis generibus, quòd etiam hæc sub his generibus diuersis sint, nempe asinus, & mola, patet, quoniam eorum definitiones sunt diuersæ: asinusq; dicetur esse animal quale quid, idest, si definiatur sub animali, ut genere reponetur adiecta differentia, quæ quale quid significat. mola autem si definiatur sub uase, ut genere reponetur, sua etiam differentia adiecta, quæ quale quid significat.

Exemplum.

Considerare autem non solum in proposito. Admonet philosophus hunc locum, de quo modo dictum est, non solum esse exercendum in nomine proposito, sed & in eius contrario. sed oportet primo, ut ipsum nomen propositum habeat aliquid contrarium: deinde quòd multiplicitas facilius deprehendi possit in contrario, quàm in proposito. si igitur & contrarium habeat, & facilius deprehendere possimus, an sit multiplex in contrario, quàm in proposito, tũc considerare debemus, nunquid ea, quæ à contrario significantur, sint sub diuersis generibus non subalternis. tunc enim nomen illa significans erit multiplex

nomen propositum habere aliquid contrarium.

tiplex. & quoniam si unum contrarium est multiplex, alterum quoque multiplex est: hinc fit, ut propositum nomen multiplex esse ostendatur. exempli causa, proponatur nobis obtusum, de quo uelimus inquirere, an multiplex sit, inspiciamus eius contrarium, nempe acutum, nunquid in diuersis generibus sit, & non subalternis. cum igitur acuti quod est in uoce genus sit, sonus, acuti uero quod est in sapore genus sit, sapor acuti, quod est in magnitudine, genus sit, figura, quæ genera subalterna non sunt, ideo acutum erit æquiuocum, quare & obtusum erit æquiuocum.

Exemplum.

Sed quæreret quis, nunquid hunc locum exercere solum possimus in contrario, an etiam in contradictorio, & aliis oppositis. dicendum est hoc solum in contrario uerum esse, quoniam contradictoria sub genere non reponuntur, cum sint complexa. priuatio autem, & habitus ad idem genus reducuntur, sicut & relatiua.

Dubitatio. Solutio.

Vtile autem est & in definitionem respicere. Hic est nonus locus cognoscendi multiplicis, qui quidem huiusmodi est, quando nomen aliquod de pluribus dicitur, nescimusq;, an nomen illud sit uniuocum, aut multiplex. assumamus unumquodque eorum, quæ significantur simul cum nomine illo communi, atque hoc compositum definiamus: ex his deinde definitionibus auferamus id, quod in definitione positum est gratia eius proprii, quod nomini communi fuit adiunctum. & si id, quod relinquitur, sit idem in illis definitionibus, nomen illud commune erit uniuocum, quòd si idem non sit, nomen commune erit multiplex, & æquiuocum, exempli causa, homo dicitur de mare, & femina. si quæramus igitur nunquid de his uniuoce dicatur, an multipliciter, unumquodque eorum simul cum nomine communi definiamus, uidelicet hominem marem, & hominem feminam: est autem homo mas animal gressibile bipes in alio generare potens: homo femina est animal gressibile bipes, in quo aliud potest generare: si igitur ab his definitionibus auferatur, quod est mari, & feminæ proprium, siquidem reliquum erit idem, homo erit nomen uniuocum. id autem est proprium maris in alio potens generare, id proprium feminæ, in quo aliud potest generare. iis igitur demptis, quoniam quod reliquum est in utrisque definitionibus, idem est, ideo homo est nomē uniuocum, in quibus autem ablatis propriis, quod reliquum est, non est idem nomen, quod de illis est æquiuocum, exempli causa, clarum de corpore dicitur, & de uoce: clari igitur corporis definitio erit magnitudo trifariam dimensa colorem habens disgregatiuum uisus: claræ autem uocis definitio est sonus animalis uocalibus instrumentis efformatus secundum affectum aliquem, & bene audibilis. si ab iis definitionibus auferamus, quod est proprium corporis, & uocis, quoniam id, quod relinquitur, non est idem, ideo clarum erit nomen æquiuocum. est autem proprium corporis magnitudo trifariam dimensa, proprium est uocis sonus animalis uocalibus instrumentis efformatus secundum affectum aliquem, quæ si remoueantur, relinquetur ex definitione corporis clari colorem habens disgregatiuum uisus. ex definitione autem uocis relinquetur bene audibile, quæ quoniam diuersa sunt, indicant clarum multipliciter dici.

hoc in loco cognoscitur nomen commune multiplex.

Exemplum.

Multoties autem & in ipsis definitionibus. Docuit philosophus, quomodo cognosci possit æquiuocum ex definitionibus: sed quoniam in definitionibus, etiam aliquando latet æquiuocatio, ideo docet, quomodo cognoscamus, an definitio sit æquiuoca: admonetq;, ut id, quod commune est in definitione proprium, efficiamus. ita enim comperietur differentia, exempli causa, sanum dicitur, & sanitatis effectiuum, & indicatiuum. si quis ex tradito loco procedens

in hoc loco ab exemplis cognosci potest, an definitio sit æquiuoca.

dens hoc modo ipsa definiret, quòd sanum effectiuum, id est, quod moderate se habet ad sanitatem efficiendam: sanum autem indicatiuum definiat, quod sit id, quod moderate se habet ad sanitatem indicandam. ablatis igitur propriis idem relinquetur in utrisque definitionibus, uidelicet, quod moderate se habet ad sanitatem. uidetur igitur, quod sanum sit uniuocum, non tamen ita est: oportet igitur, dicit philosophus, ut in his id etiam, quod relinquitur, inquiramus. quid significet. si enim non idem significet, sed res diuersorum prædicamentorum nomen commune erit æquiuocum, ut in proposito illud moderate se habens in effectiuo quantitatem significat. est enim sanitatis effectiuum, eo quòd commensurationem quandam habet in quantitate. sanitatis autem indicatiuum est commensuratum in qualitate, non in quantitate. si igitur eorum, quæ à commensurato significantur, accipiantur definitiones simul cum ipso commensurato, & quæ eorum sunt propria, auferantur, non relinquetur eadem commensurati definitio. non igitur uniuocum erit commensuratum, sed æquiuocum, quare & sanum erit æquiuocum, hoc eadem ratione inueniemus motum æquiuoce dici, & si omnia eius significata unam uideantur habere definitionem. dicitur enim motus esse actus mobilis, quatenus mobile est: sed quoniam non est idem mobile secundum omnem motum, aliud est mobile in substantia, aliud est mobile in quantitate, aliud est mobile in qualitate, aliud in loco, ideo & eorum actus erit multiplex. cum enim mobilia sint diuersa. diuersa, etiam erit eorum potentia, quare & actus, siue perfectio erit diuersa, different igitur secundum rationem motus generatio, & corruptio, augmentum, & decrementum, alteratio, & latio.

NOTANDVM autem est uocem illam οὐκ ἀποςέταον significare non esse deficiendum, quamuis scilicet in his eadem esse uideat definitio, non propterea ab inquisitione esse deficiendnm, sed inquirendum, ut dictum est, nunquid definitio illa idem significet. quid significet οὐκ ἀποςατέον.

Adhuc si non comparabilia sunt secundum magis, et minus. Hic est decimus locus cognoscẽdi multiplicis. si enim ea, quæ ab eodẽ nomine significantur, non sunt comparabilia inter se neque secundum magis, & minus, neque secundum similitudinem, nomen illud erit æquiuocum, ratio huius rei est, quoniam quæcunque idem aliquid participant, uel similiter idem participant: & secundum similitudinem dicuntur esse comparabilia, uel alterum altero magis, & secundum magis, & minus sunt comparabilia circuli, exempli causa, omnes quoniam eandem participant definitionem, ideo similiter omnes inter se circuli dicuntur. eodem modo & homines, & in uniuersum quæcunque non suscipiunt magis, & minus: at non ita est de albo. quædam enim magis, quædã minus ipsum participant, quædam etiam similiter: quare comparatio inter ipsa fiet & secundum magis, & minus, & secundum similitudinem. si igitur quæ idem aliquid participant, sunt inter se comparabilia, patet, quòd quæ non sunt inter se comparabilia, non participant idem aliquid, quòd si non participant idem aliquid, erunt igitur æquiuoca, ut clarum & de uoce dicitur, & de ueste candida, quæ comparari inter se non possunt secundum nomen commune. quis enim quærat, nunquid uox, an uestis sit magis clara, sicut quærerent multi, nunquid ipsum, aut uestis sit magis alba. clarum igitur quod de uoce, & de ueste dicitur, æquiuoce dicetur. eodem modo, quoniam acutum de sapore, & uoce dicitur, quæ non comparantur inter se, ideo acutum de ipsi æquiuoce dicitur. Exemplum.

Quoniam autem diuersorum generum, & non subalternatim positorum. Hic est undecimus

hic est locus undecimus cognoscendi multiplicis.

cimus locus cognoscendi multiplicis, qui quidem docet, ut consideremus, nunquid ea, quæ ab eodem nomine significantur, sint differentiæ diuersorum generum, & non subalternorum. si enim ita sit, nomen illud erit æquiuocum. & ratio est, quoniam, ut in prædicamentis dictum fuit, diuersorum generum, & non subalternorum differentiæ sunt inter se diuersæ specie. atque hinc etiam cognoscemus acutum esse æquiuocum nomen, quoniam est differentia uocis, & magnitudinis, quæ sunt genera diuersa, & non subalterna.

dubitatio.

Sed quæreret quis, quomodo uerum sit, quod dicitur à philosopho, quòd differentiæ diuersorum generum, & non subalternorum sunt specie inter se diuersæ. bipes enim est differentia animalis terrestris, & uolatilis, quæ sunt inter se diuersa, & non subalterna, & tamen æquiuocum non est. Soluit Alexander, quòd hoc modo intelligere debemus, quòd differentiæ generum diuersorum, & non subalternorum sint specie diuersæ, modo sub communi genere proximo non sint. talia enim sunt, quæ philosophus attulit, animal, & scientia, uox, & magnitudo. cum autem terrestre, & uolatile sub eodem genere sint, nempe animali; ideo bipes in ipsis non differet specie, sed sicuti uniuscuiusque eorum est differentia, ita & ipsius animalis est differentia, cum autem in eodem sit genere, erit etiam eadem specie, & non æquiuoce dicta.

solutio Alexandri.

aliter Ammonium sentire.

aliter tamen Ammonius sentire uidetur: uult enim genera tripliciter dici, quædam sunt omnino inter se distincta, ut quantitas, & substantia: quædam ab eadem diuisione inter se contradistincta, ut gressibile, & uolatile: quædã uero sunt subalterna, ut animal, & auis. in generibus omnino inter se distinctis differentiæ sunt diuersæ, ut substantiæ, & quantitatis animalis, & scientiæ: in his autem, quæ eadem diuisione contra distinguuntur, differẽtiæ sunt diuersæ. rationalis enim differentiæ sunt mortale, & immortale, cæleste, & terrestre, irrationalis autem uolatile, & aquatile. in generibus autem subalternis constitutiuæ differentiæ eædem sunt, diuisiuæ quandoque eædẽ sunt, quandoque diuersæ, ut animalis: constitutiuæ differentiæ sunt animatum, & sensitiuum, quæ aui etiam competunt. at animalis diuisiuæ differentiæ sunt rationale, & irrationale, mortale, & immortale: quæ aui non competunt, sed animalis etiam diuisiua differentiæ sunt uesci carnibus, uel herbis, uel seminibus. quid igitur? dicemus ne hos præclarissimos philosophos Alexandrum, & Ammonium dissentire inter se? an dicere possimus, quòd genera quidem contradistincta quandoque habent easdem differentias? bipes enim, ut dictum est, est differentia uolatilis, & gressibilis, & terrestre est differentia rationalis, & irrationalis. sed has differentias habent ipsa genera contradistincta, quatenus sunt subalterna communi generi. cum enim sub eodem genere sint, quatenus ei sunt subalterna, possunt habere easdem differẽtias. ita igitur contingit contradistincta genera easdem habere differentias, sed non quatenus contradistincta, sed quatenus subalterna.

locus est duodecimus cognoscẽdi multiplicis.

Rursus si eorum, quæ sub eodem nomine. Hic est duodecimus locus cognoscendi multiplicis. ostendit in superiori loco philosophus nomen significans differentias, quæ sub diuersis generibus sunt, non subalternis æquiuocum esse. nunc ostendit illius loci conuersum, quòd nomen genera quædam significãs, in quibus differentiæ sunt differentes inter se, specie est æquiuocum, quemadmodum diuersorum generum diuersæ sunt differentiæ, ita quorum differentiæ sunt diuersæ, illa quoque erunt diuersa χρῶμα, exempli causa, id significat, quod in corporibus conspicitur, ut album, nigrum, & horum media. significat etiam quod est in musicis: est enim quid in musicis, quod χρῶμα dicitur, eius, quod est in corporibus, differentiæ sunt congregatiuum, &

exemplum.

disgre-

disgregatiuum uisus. eius uero, quod est in musicis, differentiæ sunt sesquitertium separationem habens, & molle, quemadmodum musici tradunt. cū igitur hæc genera habeant diuersas differentias, nomen igitur ea significans erit æquiuocum.

Præterea quoniam species nullius est differentia. Hic est decimustertius, & ultimus locus cognoscendi multiplicis. docetq́;, quòd si nomen aliquod plura significat, quorum alterum sit species, alterum uero sit differentia. quod nomen illud erit æquiuocum, exempli causa, clarum quando album colorem significat, & uocem claram, & clarum est coloris species: uocis uero est differentia, ideo clarum de illis dicitur æquiuoce. ratio autem huius rei est, quoniam species non potest esse alicuius differentia: differentia enim est constitutiua speciei: species uero ab ipsa differentia constituitur, & fit, & differentia in quale prædicatur: species uero in quid, & species aliquando est id ipsum, quod genus. differentia uero generis quidem est, non autem est genus. præterea species sunt, in quas fit generis diuisio: differentiæ uero sunt, per quas fit generis diuisio. decimus tertius locus & ultimus cognoscendi multiplicis.

SED dubitaret quis, quod differentia possit esse species, & genus: & quòd genus aliquando diuidatur per species, quòd differentia possit esse species, patet, quoniam mortale, & immortale, uolatile, & terrestre sunt differentiæ animalis, & tamen sunt etiam species, & genera, cum ipsa habeant alias differentias, per quas diuiduntur, ut bipes, & quadrupes, & alias plures. quòd autem genus diuidatur per species, patet, cum dicimus, quòd magnitudinum hæc est linea, hæc superficies, illa uero corpus. dicendum tamen est nullo modo differentiam posse esse speciem, aut genus, si eodem modo sumatur. sed quandoque aliquod nomen accipitur, prout significat formam, & est adiectiuum, & tunc est differentia. aliquando uero substantiue dicitur, & prout significat compositum, & tunc est species: & hoc modo mortale, & immortale, animatum, & inanimatum. cum ita diuersimode accipiuntur, possunt esse species, & differentiæ. magnitudo uero non diuiditur per species, sed in species. uidetur autem per species diuidi, quoniam prætermittuntur differentiæ. dubitatio. solutio.

De eo igitur, quod multipliciter dicitur per hæc, & huiusmodi. Cum tradiderit philosophus præcipuos locos, ex quibus cognosci possit multiplex, quoniam possunt & alii quidam loci inueniri. propterea dixit per hæc, & huiusmodi.

POTEST autem aliquid ostendi multiplex si plura significet, quorum aliquod species sit, aliud uero sit indiuiduum, ut homo, quoniam humanam speciem significat, & nomen etiam fuit pugilis cuiusdam, de quo in Ethicis meminit philosophus, ideo homo est iis æquiuocum nomen: coruus etiam nomen non solum speciem auis significat, sed & rhetor quidam eo nomine fuit appellatus, alio etiam modo deprehendi potest aliquod nomen esse multiplex, quando scilicet significat & aliquid commune, & aliquid etiam quod sub eo communi continetur, sicuti proprium, ut in capite tertio dictum fuit. significat et commune illud, quod comprehendit definitionem, & id, quod cum re conuertitur, sed non est de rei essentia: & peculiariter postea idem etiam nomen huic speciei accommodatur. proprii igitur nomen æquiuoce dicitur. eadem ratione & hoc nomen δικαιοσύνη æquiuoce dicetur, eo quòd & uirtutem communiter significet, & eius speciem quandam, quæ in distribuendo, & commutando consistit: in relatiuis etiam cognoscere poterimus aliquid multipliciter dici. si enim unum relatiuorum dicitur multipliciter, omnino & alterum. præterea & si, quæ ab eodem nomine significatur, à di- etiam in relatiuis aliquid multipliciter dici.

G uersis

uersis sensibus percipiantur, nomen illud erit æquiuocum. sed forte dicere possemus philosophum huius loci aliquo modo meminisse, atque ita patet, quare dixerit philosophus, per hæc & huiusmodi.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Differentias autem in ipsis generibus ad se inuicem perspiciendum. Ex quatuor propositis instrumentis duo hactenus explicauit philosophus, nempe quomodo abundare possemus dialecticis propositionibus, & quomodo cognosci possit multiplex. nunc tertium aggreditur quomodo scilicet differentiæ sint cognoscendæ. admonet igitur philosophus, in quibusnam sint inquirendæ differentiæ, quòd scilicet in his, quæ sub eodem genere sunt, uel sub diuersis generibus. sed quæ sint admodum similia, & propinqua. deinde conuertitur philosophus ad explicandum quartum instrumentum, quod est similitudines cognoscere: admonetq; in quibusnam inquiri debeat similitudo, quod scilicet in his, quæ sub eodem genere sunt, & quæ sub diuersis generibus. sed quæ analogia conueniant, uel ad aliquid, uel in aliquo: & quòd similitudines perquirere præcipue debemus in iis, quæ maxime sunt inter se distincta: conuertitur deinde ad ostendendum utilitatem, quam ex iis instrumentis percipere possumus: ostenditq;, quòd multiplicis distinctio. primo confert, ut manifestum fit, quid ponatur. secundo ut ad ipsam rem instituatur disputatio, & non ad nomen: interrogansq́;, ac disputans in eo, de quo loquuntur, conueniant. tertio confert, ne falsa ratione decipiamur, sed decipiamus potius: ostendit deinde ad quid conferat inuentio differentiarum, quod scilicet confert ad conficiendos syllogismos ad problema de eodem. secundo ad conficiendas definitiones. ostendit demum ad quid conferat quartum instrumentum consideratio scilicet similitudinum, quòd scilicet confert primo ad conficiendas inductiones, secundo ad syllogismos ex suppositione. tertio ad definitiones designandas.

quid admoneat philosophus.

quartum instrumentum esse similitudines cognoscere.

NOTAT autem Alexander, quòd philosophus de differentiis agens locos quidem non tradit, ex quibus ipsas possimus cognoscere, quemadmodum in propositionibus, & distinctione multiplicis: sed tradit uel & melius in propositionum inuentione, in quibusnam inquirendæ sint differentiæ, & in quibus exerceri debeamus ad facilem cognitionem differentiarum. quare autem philosophus non tradiderit locos differentiarum, & similitudinum, alias considerandum relinquatur.

in quibus perscrutari debeamus differentias.

ADMONET igitur philosophus debere nos differentias perscrutari in his, quæ non admodum inter se differunt. ea enim, quæ multum inter se differũt, manifestas, atque omnibus notas habent differentias. ea autem, quæ sunt inter se propinqua, & similia, non ita conspicuas habent differẽtias. semper autem, qui exercentur in rebus difficilioribus, debent exerceri, quoniam in difficilioribus exercitati ad faciliora prompte admodum conuerti poterũt.

duo proponi à philosopho.

DVO autem proponit philosophus, in quibus uult inquiri differentias, & in ipsis generibus, & ex alio in aliud. prima quidem sunt ea, quæ sub eodem genere posita sunt, in quibus propriæ, & specificæ reperiuntur differentiæ. secunda uero, quæ intelligit per illud ex alio in aliud, sunt ea, quæ in diuersis quidem generibus sunt analogia, tamen inter se conueniunt. quare ea, in quibus inquiruntur differentiæ, sunt quodammodo unum. prima enim sunt unum genere. secunda uero sunt unum analogia. primorum exempla attulit philosophus, quod differt iustitia à fortitudine, & prudentia à temperantia.

hæc

hæc enim ſub eodem genere ſunt, nempe uirtute. differt autem iuſtitia à for titudine, quòd iuſtitia media eſt inter duo uitia contraria, quæ ſunt plus tribuere, & minus tribuere, quam par ſit (quæ Alexander appellat πλεονεξίαν, καὶ μειονεξίαν licet hæ uoces auaritiæ, & prodigalitati cõuenire ſo leant) fortitudo autem media eſt inter timiditatem, & temeritatem. præterea iuſtitia uerſatur circa æquale in tribuendo, & commutando. fortitudo autem uerſatur in periculis ſubeundis, atque aduerſitatibus tolerandis. prudentia uero à temperantia differt, quòd prudentia media ſit inter uerſutiam, & imprudentiã. temperantia uero media ſit inter luxuriem, & inſenſibilitatem, ut ita dicamus. huiuſmodi quoque ſunt, quid differat, continentia à temperantia, liberalitas à magnificentia, caſus à fortuna, motus à mutatione, proprium à definitione, & huiuſmodi alia. attulit autem exempla philoſophus de iis, quæ in diuerſis generibus ſunt analogia, tamen conueniunt, in quo differt ſenſus à ſcientia. hæc enim genere quidem ſunt inter ſe diuerſa, quoniam ſcientia ſub exiſtimatione ponitur, quam ὑπόληψιν græce dicunt. ſenſus uero non eſt exiſtimatio, ſed potentia quædam; conueniunt tamen analogia, quoniam ut ſenſus ſe habet ad ſenſibilia, ita ſciẽtia ad ipſa ſcibilia, quia eorum utrunque eſt ſuorum obiectorum indicatiuum. differunt autem inter ſe primo, quoniam ſenſus circa contingentia etiam uerſatur: ſcientia uero ſolum circa ea, quæ aliter eſſe non poſſunt. ſecũdo, ſcientia uniuſcuiuſque ſcibilis ſubſtantiam cognoſcit: ſenſus autem nullius ſenſibilis ſubſtantiam attingit. tertio, ſenſus habetur à principio ortus: ſcientia uero poſterius acquiritur. quarto, ſenſus eſt aliis etiam animalibus communis: ſcientia autem eſt hominibus propria. quinto, ſenſus natura habetur: ſcientia uero doctrina, & diſciplina. ſexto, in ſenſu habitus præcedit actum, non autem actus habitum. natura enim ſtatim à principio ſenſus habitum nobis tribuit: in ſcientia uero actus præcedit habitum: ex actibus enim habitum acquirimus. ſeptimo, deſtructo ſenſu animal deſtruitur: ſine tactu enim animal non conſiſtit: ſcientia autem deperdita non propter ea ſcientiam habens, deſtruitur. octauo, ſcientia deperdita rurſus acquiri poteſt: ſenſus autem, ſi amittatur, recuperari non poteſt. nono, ſcientia non eſt ſine ratione: neſcit enim qui rationem ignorat, ſed et omnis noſtra ſcientia in ratiocinio conſiſtit, & diſcurſu: ſenſus uero eſt ſine ratione, & diſcurſu. decimo, ſenſus eſt ſolum rerum præſentium: ſciẽtia uero non ſolum præſentium, ſed etiam eorum, quæ præterita, ac quæ futura ſunt. undecimo, ſenſus eſt ſcientiæ principium: ſcientia uero non eſt principium ſenſus: ex ſenſu enim memoria fit, ex memoria fit experientia, unde ortum habet ſcientia: ita igitur differunt inter ſe ſenſus, & ſciẽtia. eodem modo perſcrutari debemus, quid differat punctus ab unitate, & quid differat ſerenitas à tranquillitate, & huiuſmodi alia, quæ analoga ſunt.

NOTAT autem Alexander, cum differentia multis modis accipiatur, ut uidimus apud Porphyrium, quòd hoc loco philoſophus non ſolum accepit differentias proprie dictas, quæ ſpecificæ ſunt, ſecundum quas fit generis diuiſio in ſpecies, ſed communius accepit differentiæ nomen. in iis enim, quæ ſub eodem genere non ſunt, non ſuppetunt proprie dictæ differentiæ, ſed & in iis, quæ ſub eodem genere ſunt, non ſolum ſunt obſeruandæ ſpecificæ differentiæ, ſed aliæ etiam, quæ ſpecificæ non ſunt.

Alexandrum notare, quomodo philoſophus acceperit hoc loco differẽtias.

Similitudinem autem conſiderandum eſt. Quemadmodum docuit philoſophus inquirendas eſſe differentias in iis, quæ ſimilia ſunt, & propinqua, quoniam hoc eſt difficilius, & arduum magis, ita nunc docet perquirendas eſſe ſimilitudines in iis, quæ multum inter ſe diſtant.

Duobus modis inquirendas esse similitudines, quæ sunt in analogia.

DVOBVS autem modis docet philosophus inquirendas esse similitudines in diuersis generibus. primo quidem in iis, quæ analogiam quandam habent ad aliquid. secundo, in iis, quæ analogiam quandam habent in aliquo. primo modo ita procedere debemus, accipere aliquid habitudinem quandam habens ad aliqua eiusdem generis inter se, & inquirere aliud quid eodem modo se habens ad alia quædam eiusdem quidem generis inter se, à prioribus tamen diuersa. hæc enim erunt analoga, exempli causa, quoniam sensus ita se habet ad sensibilia, ut utrunque oppositorum cognoscat, inquirere debemus aliquid, quod non sit eiusdem generis cum sensu, & ad alia quædam eiusdem etiam generis inter se, sed à prioribus diuersa ita se habeat, sicut sensus ad sensibilia, quoniam igitur talis est scientia: utrunque enim oppositorum cognoscit: ergo sensus, & scientia erunt similia analogia. eodem modo cognoscemus intellectum, & sensum esse analoga, eo quòd sicuti se habet intellectus ad scientiam, ita se habet sensus ad opinionem, ita quoque punctum, & unitatem esse analoga deprehendemus, quoniam ut punctus se habet ad lineam: est enim eius principium, ita unitas ad numerum. secundo autem modo ita procedimus, accipimus aliquid in aliquo existens, inquirimusq; aliud quid in alio, eodem modo existens, ut sicut est in oculo uisio: est enim eius nobilissima pars, ita est in anima intellectus: similia igitur sunt intellectus, & uisio. eodem modo deprehendemus similia esse uirtutem, & sanitatem. sicut enim uirtus est in anima, ita sanitas est in corpore. sunt enim perfectiones suorum subiectorum, ita serenitas, & tranquillitas, similia dicentur. sicut enim est serenitas in aere, ita tranquillitas in mari: utraque enim est quies in suo subiecto. pariter quoque iustitia, & pulchritudo dicentur similia, eo quòd sicuti pulchritudo in æqualitate quadam consistit, & proportione membrorum, & partium corporis, ita iustitia in æqualitate, & proportione distributionis, & commutationis.

quomodo inuestiganda sit similitudo, quæ est sine analogia.

Consideranda autem, & in eodem genere existentia. Docuit philosophus superius quomodo sit inuestiganda similitudo, quæ est in analogia quadam, tum ad aliquid, tum in aliquo. nunc docet quomodo inuestigãda sit similitudo, quæ est sine analogia. docet enim ut consideremus, quidnam communiter insit iis, quæ sub eodem genere sunt, dissimilis tamen inter se speciei. si quid enim ipsis communiter inest similia erunt inter se, & hòc modo similia dicemus hominem, leonem, equum, & canem, eo quòd omnia gressibilia sunt, & hominem, & aues in eo, quòd bipeda omnia sunt, pisces habentes brachia, & insecta similia dicemus, quoniam pulmonem non habẽt. bos autem, ceruus, & ouis, & capra similia erunt, quòd non sunt utrinque dentata. in arboribus etiam dicemus platanum, uitem, & ficum esse similia, quòd tenuia, & lata folia habent, & proinde decidua. oliuam autem, & laurum, & myrtũ, quod habent folia crassa, & angusta, & non decidua.

ostendit in hoc loco utilitatem instrumentorum.

Vtile autem est ipsum quidem quotupliciter dicitur. explicauit hactenus philosophus omnia quatuor instrumenta, quibus abundemus dialecticis orationibus. nũc ostendit eorum utilitatem. prætermittit autem utilitatem primi instrumenti, quod est abundare propositionibus, quoniam, ut ait Alexander, euidens est, & manifesta. cum enim propositiones sint materia, & partes ipsorum syllogismorum, patet, quòd propositionum copia syllogismorum etiam copiã suppeditabit aliam: etiam causam attulit Suessanus, quoniam cum hæc tria instrumenta reducantur ad propositionum sumptionem, ideo fit, ut asignã do utilitates horum, illius etiam utilitatem referat.

dubitatio.

SED dubitaret quis, quomodo propositiones sint materia, & partes syllogismorum,

gismorum, cum de dialecticis propositionibus, non autem de syllogisticis actum sit. dicẽdum est, quòd cum syllogisticæ propositiones à dialecticis differant, solo modo ideo fit, ut ex dialecticis facile effici posśint syllogisticæ. solutio.

ELICIENDVM autem hinc est, quòd si propositiones sunt materia syllogismi, ut dixit Alexander, quòd male sentiunt, qui dicunt ipsas præmissas esse materiam syllogismi, conclusionem uero formam, male etiam qui dicunt medium terminum esse formam, alios terminos materiam syllogismi. propositiones enim omnes sunt materia. connexio autem syllogistica est eius forma non aliter, quàm in domo, aut naui.

TRES utilitates affert philosophus distinctionis multiplicis. prima est, quòd multiplicis distinctio utilis est, ut perspicua, & dilucida sit oratio nostra, atque id, quod dicimus, ab omnibus intelligatur: facile enim unusquisque intelligit, quod dicitur, si sciat quotupliciter ipsum accipi posśit, eiq; præmonstretur, quo sensu accipiatur. atque hæc est ratio, quare Parmenidis, & Meliśsi opiniones à nobis non intelligantur, quoniam de re multiplici sine distinctione locuti sunt: & propter hanc rationem nefas est æquiuocis nominibus uti in disciplinis. Secunda utilitas est, ut ad rem, & non ad nomen dirigatur disputatio: si enim conueniant interrogans, & respondens in eo, de quo loquũtur, ridiculus erit interrogans, si non de re ipsa disputet: at si non conueniant inter se, facile continget, ut propter nominis multiplicitatem non ad eundem nominis signatum uterque mentem intendat, atque ita non de re disputent, sed de nomine, exempli causa, si quis concederet scientiam ab anima esse inseparabilem. posset alter probare, quòd scientia sit animæ innata. si enim scientia est ab anima inseparabilis, inseparabile autem ab aliquo, uel in eius substantia est, uel ab eius substãtia fluit. scientia igitur, cum sit ab anima inseparabilis, erit ipsi animæ innata, sed frustra est hæc argumentatio, si distinguatur ipsum inseparabile, quædam enim ita ab aliquo sunt inseparabilia, ut ipsum quoque ab illis sit inseparabile. alia uero dicuntur inseparabilia eo quòd non posśint per se esse, sed corrumpuntur: si non sint cum illis, in quibus sunt, & ex horum numero est scientia, & omne, quod est in subiecto, & de iis non procedit argumentatio prædicta. Secunda utilitas distinctionis multiplicis est, ut ne falsis rationibus decipiamur, sed decipiamus potius. qui enim sciat quot, & quænam significat, quod proponitur, non assentietur propositionibus, quæ in aliquo alio significatu accipiantur, exẽpli causa, si quis poneret diuitias esse bonas cognoscens boni æquiuocationem, non concedet, quoniam bonum bonos efficit, quòd diuitiæ bonos efficere debeant. quod enim est bonum, ut posseśsio quædam non efficit bonos, neque quod est bonum, ut facultas, & potentia quædam, sed ut decipiamus potius transferentes scilicet sermonem ab uno significatu ad alium, ut si quis concedat, quod mouetur, locum mutare poterit, alter concludere quod alteratur locũ mutare, quoniam quod alteratur loco mouetur. hæc tamen deceptio non semper effici potest, sed tunc solum, quando id, quod dicitur in aliquo nominis significatu, uerum est, in alio falsum. at si in utroque uerificetur, nihil proficit huiusmodi transmutatio. nullus enim fiet paralogismus, si quis dicat Aiacem interfuisse Troiano bello, quando hoc uerum est de utroque Aiace. at si quis dicere Aiacem cum Hectore singulari certamine pugnasse, quoniam hoc uerum est de Aiace Telamonis falsum de Aiace Oielei. idem effici potest paralogismus hoc modo non ne Oielei filius Aiax est, & assumens, quòd est: quærat deinde nunquid Oielei filius cum Hectore decertauit, & assumens, quòd non concludet. non igitur Aiax cum Hectore

tres utilitates distinctionis multiplicis.

exemplum.

exemplum.

ctore decertauit. idem licet efficere in hoc, quòd uirile habet uirilitatem, & in aliis, quæ multiplicem habent significatum, in quorum altero uerum sit, quod dicitur in altero falsum, sed admonet philosophus hoc non conuenire dialectico falsis scilicet rationibus decipere, sed esse proprium sophistæ, ideo hunc modum decipiendi esse euitandum, nisi configat, quòd aliter nullo pacto propositum problema construere, aut destruere possimus.

tertii instrumēti duas utilitates allatas esse à philosopho.

Differentias autem inuenire. Ostendit philosophus ad quæ utile sit tertium instrumentum, eiusq; duas affert utilitates, prima est ad problemata de eodē, quæ definitioni adnectuntur. secunda est ad cognoscēdam uniuscuiusque rei substantiam, ad problemata quidem de eodem confert hoc instrumentum, quoniam inuenientes nos differentias eorum, quæ proponuntur, ostendemus, quòd eadem non sunt, exempli causa, ostendemus non esse idem continentiam, quam græci dicunt ἐγκράτειαν, & temperantiam, quam appellant σωφροσύνην, eo quòd temperantia quietem habet affectuum, & cupiditatum. continentia uero uehementes habet affectus. eodem modo ostendemus incontinentiam, quam dicunt græci ἀκολασίαν, & intemperantiam, quam dicunt ἀκρασίαν non esse idem, eo quòd intemperantia cum electione agit, incontinentia uero præter electionem. ita quoque ostendemus non esse idem munificientiam, quæ græcis dicitur ἐλευθεριότης, & magnificentiam, quæ dicitur μεγαλοπρέπεια, eo quòd munificentia circa communes, & uulgares expensas uersatur. magnificentia uero in expensarum magnitudine consistit. confert autem differentiarum cognitio ad cognoscendam rerum substantiam, quoniam uniuscuiusque rei definitio ex genere constat, & differentiis. addit etiam Alexander conferre cognitionem differentiarum ad diuisionem generū in species: præterea ad obiiciendas instantias contra inductiones. si enim cognoscamus, in quo differant ea, quæ assumuntur, instare poterimus, quòd similia non sint, quæ inducuntur. confert etiam ad obiiciendum contra phisicas opiniones, ut quòd unum sit ens, ut dixit Parmenides. si enim cognoscamus differentias eorum, quæ ab ente significantur, hanc opinionem destruemus, atque hoc etiam modo ipsam destruxit philosophus in primo Physicorū.

exemplum.

quartum instrumentum ad tria conferre.

Similitudinis autem consideratio. Ad tria conferre dicit hoc quartum instrumentum ad inductiuas rationes, ad syllogismos ex suppositione, & ad assignationes definitionum: ad inductiuas quidē rationes, quæ dialectici sunt propriæ, quoniam cum inductio ex singularibus colligat uniuersale, neque tamen possit, aut debeat singularia omnia colligeri, ideo fit, ut nisi ea, quæ prætermittuntur, sint his similia, quæ assumuntur, inductio nullam habeat uim. recte igitur dicit, quòd non facile inducit, qui ignorat similia. atque hinc colligēdum est, quòd superius dictum fuit, non minus esse necessariam similitudinē in inductionem, quàm in exemplo. conferre etiam similitudinis cognitionē ad syllogismos ex suppositione, dicit philosophus intelligens per syllogismos ex suppositione (ut uult Alexander) eos, qui ex concessione appellantur, cum scilicet supponimus, quod in aliquo demonstretur idem in omnibus suis similibus esse uerum, exempli causa, quoniam opposita omnia similitudinem quandam habent inter se. si supponamus, quòd in aliquo oppositorum modo demonstretur, idem in omnibus uerum esse, ostendamusq;, quòd contraria non possunt esse simul in eodem subiecto, eo quòd mutuo se destruunt. idem arbitramur in aliis etiam omnibus esse demonstratum propter id, quod initio concessum fuit. hoc autem nemo concederet, nisi eorum similitudinem cognosceret. eodem modo ostendere possemus omnem animam esse immortalem, si supponamus de omnibus animabus eandem esse rationem, ostē-

exemplum.

damusq;

damusq; rationalem animam esse immortalem, ita quoque probabimus, quòd omnis motus est ab aliquo loco ad aliquem locum, eo quòd in motu lo cali hoc contingit. confert demum similitudinis cognitio ad definitionum redditionem. cum enim cognoscamus, quid in rebus differentibus simile sit, facile earum genus inueniemus. est enim genus, quòd aliquibus commune est, & prædicatur in quid, exempli causa, in homine, cane, & boue similitudines accipiẽtes, ut quòd sunt in loco, quòd colorata, quòd sensitiua, quòd gressibilia, quòd animalia, hæc postea comparantes inter se genus inueniemus. id enim quod prædicatur in quid, uel est genus, uel species. si enim ea, de quibus dicitur, specie differant, est genus: si numero tantum species est.

Communium enim quod maxime in quid est prædicatur, genus est. Notat Alexãder particulam illam maxime, dici potuisse tum ratione differentiæ, tum ratione speciei, ratione quidem differentiæ, quoniam ipsa quoque differentia in quid, prædicatur, proprie tamen genus prædicatur in quid. differentia uero potius in quale quid, tuncq; si particula illa maxime dicta sit ratione differentiæ, referri debet ad uerbum illud prædicatum. potuit etiam dici particula illa maxime ratione speciei, eo quòd species, & ipsa prædicatur in quid, differt tamen à genere, eo quòd genus est cõmunius, tuncq; particula illa maxime referri debet ad uerbum cõmune: atque ex hoc loco excepit Auerroes suam illam definitionem generis, quòd est communius duorum uniuersalium, quæ prædicantur in quid. Alexandrum notare particulam illam, maxime.

Similiter autem in ijs, quæ multum differunt. Admonet philosophus quòd non solũ in iis, quæ non multum inter se differunt, suntq; in eodem genere: utilis est similitudinis contemplatio ad inuentionem definitionis, sed & in iis, quæ multum inter se distant, & sunt in diuersis generibus, inter se tamen analoga. nã & in his accipientes, quæ in ipsis sunt, similia habebimus commune genus, cui addentes id, in quo differunt, ipsa definiemus, exempli causa, quoniam ita se habet tranquillitas in mari, sicut serenitas in aere: utrunque enim est quies: tranquillitatem igitur definiemus dicentes ipsam esse maris quietem, & serenitatem dicentes ipsam esse aeris quietem. eodem modo definiemus punctum esse principium lineæ, & unitatem principium numeri, cũ sciamus ita se habere punctum ad lineam, ut unitas ad numerum, utrunque enim est principium. Notat demum Alexander similitudinis considerationem maxime esse utilem omni scientia, & rationali cognitioni, quoniam scientia circa uniuersale maximo uersatur: uniuersalis autem cognitio ex similitudine acquiritur. quid Alexander notet.

CVM autem primum hunc librum absoluerimus, breui repetamus, quæ in eo tradita sunt, ut scilicet uno intuitu ea uniuersa, quæ in ipso tradita sunt, possimus contemplari. ostendit igitur primo philosophus, quodnam sit propositum huius tractationis. quid sit syllogismus. & quæ eius differentiæ. quid ab aliis differat syllogismus dialecticus. quid sit probabile. qualis certitudo in hac tractatione sit expetenda. ad quot, & quæ sit utilis dialectica. quando perfecte hanc artem erimus adepti. & quod consistit in propositionibus problematibus, & instrumentis. ex quibus dialecticis rationibus possimus abundare. agitq; primum de propositionibus, & problematibus communiter. ostenditq;, quòd secundum subiectum idem sunt. (hæc enim omnia propositio, problema, sumptio, conclusio sunt idem subiecto prolationis modo, & habitudine quadam inter se differunt) ostendit deinde quatuor esse genera problematum, & propositionum. & de uno quoque resumit breuiter omnia in hoc libro tractata.

quoque eorum differit. & simul de iis, quæ propter similitudinem ipsis adnectuntur. probatq; ex inductione, & syllogismo, quòd neque plura sunt, neque pauciora. deinde ostendit quotupliciter dicatur idem. postea agit de dialectica propositione, & de dialectico problemate. addit & de positione, quoniam positio est problema quoddam. agit deinde de inductione, quoniam pars est dialecticarum rationum, sicut & syllogismus. ostendit deinde quatuor esse organa, ex quibus dialecticis rationibus possimus abundare. explicatq; eorum unumquodque, postremo ostendit uniuscuiusque utilitatem.

SECVNDI LIBRI TOPICORVM EXPOSITIO.

ANTEQVAM contextum philosophi exponamus, uideamus prius eius propositum in hoc secundo libro: simul & ea, quæ ad propositum attinere uidentur.

CVM superius proposita fuerint quatuor problematum genera, definitionis, proprii, generis, & accidentis. propositum philosophi est in hoc secundo libro tradere locos, ex quibus disserere possimus de problemate accidentis, cum in primo ea omnia tradiderit, quæ præcognoscenda erant, antequã traderentur loci: merito igitur hic incipit explicare locos. sed hic duo sunt examinanda. primo, quid sit locus: etsi enim de hac re nonnulla dixerimus, cum agebamus de inscriptione libri, hoc ipsum tamen nunc est diligentius explicandum. cum enim omnis futura tractatio sit de locis, par est, ut diligenter inquiramus, quid sit locus: alterum, quod est à nobis inquirendum, est, cur philosophus inceperit à locis accidentis. cum enim reliqua illa sint natura priora definitio, genus, & propriũ, sicut etiam philosophus ea proposuit, rectum ordinem nunc uidetur perturbasse priori loco agens de locis accidentis. intentio philosophi ĩ hoc secũdo libro. duo esse examinanda ante explicationẽ locorum.

LOCVS igitur, ut definit Alexander, est principium, & occasio epicherematis. est autem ἐπιχείρημα dialecticus syllogismus. Theophrastus autem hoc modo definiuit locum, quod est principium quoddam, uel elementum, à quo principia, quæ circa unumquodque sunt, accipimus, ratione quidem circumscriptionis uniuersalium definitum, ratione uero singularium indefinitum. in hac definitione per illud, quæ sunt circa unumquodque principia, intelligere debemus, quæ de unoquoque problemate afferri possunt argumenta: per illud autem rationem quidem circumscriptionis uniuersalium definitum, ratione uero singularium indefinitum, intelligere debemus, quòd huiusmodi principium, & elementum uniuersale ipsum definit, & determinat. singularia autem indefinite comprehendit, neque enim de hoc, aut de illo singulari loquitur, sed de ipso uniuersali, sub quo omnia singularia indefinite comprehenduntur, exempli causa, hic est locus, si alicui contrario aliquod inest contrarium, reliquo quoque contrario reliquum contrarium inerit. in hac propositione uniuersale est determinatum, singularia uero indefinite comprehenduntur: atque ex ea argumenta accipimus ad unumquodque eorum, quæ sub ea comprehenduntur. si enim quæratur utrum bonum prosit, ab eo loco accipiemus propositionem huic proposito problemati conuenientem; si enim malum obest, ergo bonum prodest. patet autem, quòd hæc propositio ex eo loco & est, & probabilitatem nacta est, eodem modo si quæratur, utrum albus color sit disgregatiuus uisus ex prædicto loco conueniens, argumentum proposito problemati accipiemus hoc modo, si nigrum est congregatiuum uisus, ergo album est disgregatiuum. eodem modo probabimus uoluptatem esse bonam: si enim tristitia mala est, ergo uoluptas est bona. hæc igitur omnia, & plura alia in eo loco indefinite, & indeterminate comprehenduntur. hic etiam est locus, si id, quod magis uidetur alicui inesse non inest, tamen neque id, quod minus uidetur inesse ipsi inerit, qui sicut & in priori uisum est, uniuersale quidem definite, singularia uero indefinite comprehendit. neque enim de hoc, aut illo quicquam pronunciat: ex definitio loci secundum Alexandrum. exemplum.

eo tamen de his omnibus possumus argumentari, ut si uelimus probare diuitias non esse bonas, ex eo loco hoc modo argumentabimur. si sanitas, quæ magis uidetur esse bona, quàm diuitiæ, bona tamen non est, ergo neque diuitiæ bonæ sunt. si enim deinde probemus sanitatem non esse bonam ex eo forte, quòd aliquibus. sit causa mali, ex loco proposito ostensum erit diuitias non esse bonas.

probare uult longe præstãtius, atque exquisitius de locis egisse Aristotelem, quàm Ciceronem.

NOTANDVM autem hoc loco est, alio modo intelligi locum à M. Tullio, quàm intelligatur ab Aristotele, & Peripateticis. Peripatetici enim intelligunt locum esse propositionem uniuersalem manifestam, & notam, quæ à recentioribus maxima est appellata, sub qua multæ aliæ propositiones potentia cõprehenduntur indefinite, & indeterminate, ut uidimus in explicatione definitionis Theophrasti. atque hæ propositiones, ut ostendit Boetius, quandoque ingrediuntur argumẽtationẽ, quandoque uero extra positæ uim solum ipsi tribuunt. Cicero autem intelligit locum esse terminum, unde hæ maximæ propositiones desumuntur. cum enim hæ maximæ propositiones plurimæ sint: termini autem, unde sumuntur, longe pauciores; ideo uniuersa earum multitudo in paucos illos terminos collecta est, ut aliæ in definitione consistant, aliæ in genere, aliæ in toto, atque aliæ in aliis, atque hi termini à Boetio appellantur differentiæ, eo quòd maxime propositiones per ipsos diuidantur, sicuti genus per differentias. maximæ enim propositiones aliæ sunt ex toto, aliæ ex partibus, aliæ ex genere, &c. & sicut maximæ illæ propositiones minorum propositionum copiam intra suum ambitum continent, ita termini illi, in quos maximæ illæ propositiones conuenienti ratione reducuntur, illas continere quodam modo uidentur; ideoq; loci dicuntur: ita igitur locum intelligit M. Tullius, de illisq; in suis Topicis agit, cum Aristoteles priori modo locum intelligat, ac de illis agat.

dubitatio.

SED incidit hoc loco non indigna cõtemplatio. quis scilicet melius, atque ad usum accomodatius rem hanc tractauerit, an Aristoteles, qui uniuersales, & maximas illas propositiones explicauerit; an M. Tullius, qui maximis propositionibus prætermissis eos tantum terminos, in quos illæ colliguntur, exposuerit? hoc autem ita inuestigari posse uidetur. si quis ex terminis illis uelit in proposita quæstione argumenta sibi conficere, cum ad argumenta conficienda necessariæ sint propositiones: ideo oportet, ut ex terminis illis propositiones inueniat, ex quibus argumenta construat. sed hoc dificillimum est, & multa indiget prudẽtia, & longa consideratione. quis enim posset statim inspecto termino propositionum, quæ probabiles sint, & indubitatæ copiam inuenire; atque ex his eas, quæ propositæ quæstioni conueniãt, eligere? si hoc ita est, patet longe consultius, & præstantius egisse philosophum, qui has propositiones nobis inuenerit, & explicauerit; easq; secundum unumquodque quæstionis genus certo ordine ita digesserit, ut quamuis plurimæ sint, nihil tamen confusionis pariant, sed maximam, ac certam in unaquaque re argumentorum copiam suppeditant: neque tamen prætermittit philosophus terminos, ex quibus maximæ propositiones desumuntur: hoc enim facile admodum est ex eius dictis elicere. sed noluit ipse terminorum ordinem sequi, quoniam ordo ille problematum ordinem interturbasset, qui longe præstantior est, & ad usum accõmodatior. qui igitur terminorum doctrinam sequitur, primo propositiones ignorat; quarum præcipuus est usus in argumentis: & sine quibus nullus est terminorum usus. deinde nullum secundum quæstionum genera ordinem habet, quo fit, ut in omni quæstionis genere per omnia loca temere uagari coactus sit. atque ita patet lon-

ge præstantius, atque exquisitius de locis egisse Aristotelē, quàm Ciceronē.

ALTERVM ex his, quæ inquirenda proposuimus, est, cur philosophus inceperit à locis problematis accidentis, cum reliqua problemata sint natura priora. dicendum est propter duas rationes hoc factum fuisse. primo quoniam loci accidētis sunt aliis communiores, & propterea priores. definitur autem accidens, quod non est neque genus, neque definitio, neque proprium. inest autem rei inesse: igitur est proprium accidentis, at ipsum inesse aliis etiam competit. quod enim non inest rei, neque est eius genus, neque definitio, neque proprium. destructo igitur ipso inesse, quod est accidentis proprium; reliqua etiam destruuntur, non tamen econuerso. si enim reliqua destruantur, non est necesse ipsum inesse destrui: ita igitur loci accidētis proprii, qui ad ipsum inesse diriguntur, sunt aliis priores. secunda ratio est, quoniam locorum tractatio hoc modo certo quodam ordine, ac serie procedit, quæ alioqui esset confusa. incipiens enim Philosophus ab accidēte locos ad ipsum inesse, uel non inesse, ut proprios accidentis, tradit. deinde de genere agens eos, ut generis proprios retulit, qui præter ipsum inesse pertinent ad prædicari in quid. deinde eos locos assignauit proprio, qui præter ipsum inesse ad conuersim prædicari pertinent. quicunque autem præter hos omnes sunt, qui scilicet construunt, uel destruunt, ipsum explicare quid est esse rei definitioni assignauit. at si à locis definitionis incepisset, confusa fuisset doctrina. cum enim definitio non solum explicet ipsum quid est esse, sed prius insit ei, cuius est definitio. præterea & in quid de eo prædicetur, & de eo conuersim dicatur: ideo oportuisset philosophum eos etiam locos recensere, qui construunt & destruunt ipsum inesse, tanquam ad definitionem pertinentes, qui tamen accidentis proprii sunt. necnon & eos, qui construunt, destruuntq; ipsum prædicare in quid, qui generis sunt proprii, sed & eos, qui construunt, & destruunt ipsum prædicare conuersim, qui ad proprium pertinent. atque ita omnes loci cōfunderentur, qui à philosopho distincte traditi sunt, procedente ab accidente ad genus, deinde ad proprium, ultimo ad definitionem.

Sunt autem problematum hæc quidem uniuersalia, etc. Primo philosophus problemata diuidit, quòd alia sunt uniuersalia, alia uero particularia. ostenditq;, quòd ea, quæ construunt, aut destruunt uniuersalia problemata, communia sunt etiam particularibus. dicitq; primo agendum esse de locis destructiuis uniuersalis problematis, quoniam hæc sunt communia, & ipsis particularibus: & quoniam, ut plurimum qui disputant aduersus positionem, solent destruere: ostendit deinde difficile esse ab accidente conuerti appellationem, quoniam accidens competere potest subiecto secundum partem. ab aliis autem prædicatis omnino conuertitur, quoniam simpliciter insunt. ostendit deinde duo contingere peccata circa problemata, uel falsum dicere, uel alienis, & inusitatis nominibus res appellare. problemata alia esse uniuersalia, alia particularia.

Sunt autem problematum hæc quidem etc. Notat Alexander diuisionem hanc problematum, quòd alia sunt uniuersalia, alia particularia, non solum in problematibus accidentis, sed in aliis etiam fieri posse. nam hæc problemata definitionis, & proprii, & generis alia sunt uniuersalia, alia particularia: maxime tamen, & præcipue conuenit problematibus accidentis, eo quòd in aliis problematibus definitioni scilicet proprii, & generis. & si sumatur aliquid particulare, ut per se uerum habet, tamen uniuersale aliquid eo, quòd definitio, proprium, & genus non possunt alicui indiuiduo inesse, & alicui non inesse: sed uel omnibus insunt, uel nullis. quare qui dicit aliquem equum, Alexandrum annotare diuisione problematum.

 exem-

exemplum. exempli causa, esse animal, dicit quidem aliquid particulare; in eo tamen aliquid est uniuersale, eo quòd animal in omnibus particularibus animalibus reperitur. accidens uero alicui potest inesse, alicui non inesse. quidam enim homo est musicus, & quidam non est musicus: atque hinc fit, quòd in accidentibus ipsum etiam particulare sit per se uerum.

quid cōferat diuisio problematum. NOTAT etiam Alexander, ad quid conferat hæc diuisio problematum à philosopho assumpta. ut scilicet ex ipsa assumat ordinem traditionis locorum. primum enim ex hac diuisione ostendit, quòd non oportet omnium horum problematum proprios quosdam locos afferre, eo quòd loci, qui construūt uniuersale, particulare etiam construunt: & qui uniuersale destruunt, particulare etiam destruunt. sufficiunt igitur loci uniuersalium ad ipsa etiam particularia: de uniuersalibus igitur agendum est. præterea quoniam hæc problemata alia sunt constructiua, alia destructiua, ostendet philosophus à destructiuis esse incipiendum, eo quòd qui problemata ponunt, ut plurimum ea ponunt affirmatiua. quare oportet, ut qui contra disputat, negatiuam partem probet: hoc autem est destruere. ab his igitur locis incipiendum est, ex quibus probare possimus problema uniuersale negatiuum accidentis.

Problematum. Vidimus in primo libro quid esset problema, quòd scilicet est interrogatio dubitabilis comprehendens utranque partem contradictionis, nunc autem notat Alexander, quòd intelligit philosophus per problema id, quod determinatum est ad alteram partem contradictionis, ad quod instituitur disputatio, quemadmodum enim propositionum quædam in interrogatione consistunt, quæ utranque contradictionis partem comprehendunt: aliæ autem sunt, contradictionis altera pars & in syllogismo assumuntur, & hoc fit, quando concessæ sunt, & positæ à respondente, eodem modo & problematum quædam utranque contradictionis partem comprehendunt: quædam alteram determinate, de quibus nunc in textu philosophus.

Hæc quidem uniuersalia. In libro de interpretatione dictum fuit, aliud esse uniuersale, aliud uero uniuersale uniuersaliter. omne enim commune nomen uniuersale dicitur, etsi impræfinite dicatur, & contra singulare distinguitur. uniuersale autem uniuersaliter dicitur, quando communi nomini additur præfinitio uniuersalis, & distinguitur contra particulare. id autem philosophus per uniuersalia intelligit, quæ ibi dixit uniuersalia uniuersaliter.

Sunt autem ad utraque genera problematum. Ostendit nunc philosophus, quòd non oportet proprios locos afferre ad ipsa problemata particularia, quoniam loci illi, quibus uniuersalia problemata construimus, aut destruimus, communes etiam sunt ipsis problematibus particularibus: quare non oportet præter hos communes locos alios ipsis particularibus, problematibus afferre.

ratio, quare non oporteat proprios locos afferre ad problemata particularia.

SED dubitaret quis, quomodo possimus iisdem locis construere & destruere, uniuersale, & particulare. nam uerum quidem est, quòd qui construit uniuersale affirmatiuum, construit & particulare; ut siquis ostendit, quòd omnis homo spirat, ostendit etiam, quòd aliquis homo spirat. eodem modo & qui construit uniuersale negatiuum, particulare etiam construit. qui enim probat nullum hominem esse immortalem, probat etiam, quòd non omnis homo est immortalis: at in destruendo hoc non uidetur uerum. qui enim destruit uniuersale affirmatiuum, non destruit particulare: hæc enim simul consistunt, neque qui destruit uniuersale negatiuum, particulare etiam destruit, cum hæc simul consistant. dicendum est philosophum intelligere tūc construi uniuersale, quando probatur uniuersale affirmatiuum: tunc destrui

solutio dubitationis.

uniuer-

uniuersale, quando probatur uniuersale negatiuum. quòd autem ita sit, patet ex eius exemplis. ostendens enim si construatur uniuersale, construi etiã particulare dicit. ostendentes enim quòd omni inest, & quòd alicui inest, ostendentes erimus. declarans autem quòd si destruatur uniuersale, destruitur etiam particulare; dicit similiter etsi, quòd nulli inest, ostẽdemus, quod non omni inest, ostendentes erimus. hoc idem præterea patet ex eius proposito. cum enim uelit philosophus eos locos, qui ad uniuersalia problemata diriguntur, referre, quoniam scilicet particularibus etiam communes sunt, ergo patet, quòd per destruere uniuersale non intelligit ostendere quòd uniuersalis affirmatiua sit falsa, aut uniuersalis negatiua: cum hoc ostendatur ex eo, quòd ueræ sint suæ contradictoriæ, præsunt particulares, quare oporteret locos etiam afferre ad problemata particularia.

Primum ergo de uniuersalibus destructiuis dicendum. Primum agendum esse inquit philosophus de locis, ex quibus destruere possimus problema uniuersale, quoniam scilicet ii communes sunt ipsis quoque particularibus. quare autem de locis destructiuis agendum sit, ratio est, quoniam ut plurimum positiones, & problemata affirmatiua ponuntur. propositum autem dialectico est id, quod ponitur destruere: quare oportet, ut negatiuam partem probet. negatio enim affirmationem destruit. prius igitur de negatiuis problematibus agendum est, eo quòd sint dialectico utiliora, ut in quibus potissimum uersetur. de uniuersalibus autem, eo quòd eorum loci particularibus etiam sint communes. de problematibus autem accidentis, quoniam ita recto ordine procedit locorum tractatio. aliam etiam rationem affert Alexander ex Eudemo, quare magis proprium dialectico destruere, quàm construere, quoniam pauca admodum construit dialecticus, sed omnis fere eius uis, & facultas in destruendo consistit. quid agẽdum prius.

Et quia magis positiones afferunt. Positiones nomine hoc in loco usus est philosophus communiter, pro quocunque problemate, quod in capite nono primi libri admonuit fieri solere.

Est autem difficillimum ab accidente. Explicemus primo, quid intelligat hoc loco philosophus: deinde quo proposito hoc dixerit. dicit igitur, quòd ab aliis quidem omnibus prædicatis definitionis, scilicet proprio, & genere conuertitur appellatio: ab accidente autem non semper. appellat autem philosophus conuerti appellationem, quando subiectum appellatur nomine eius rei, quæ ipsi inest, quoniam scilicet prius ab eo, quod inest, incipimus, & ad subiectum deuenimus. deinde uero incipimus à subiecto, & ad id, quod ipsi inest, deuenimus, ut animal inest homini, ergo homo est animal. hæc igitur conuersio in aliis prædicatis semper fit, si cui enim insit definitio, aut propriũ, aut genus statim ab ipsis nomen assumit. si cui enim insit animal, illud dicitur animal. in accidente autem hoc non semper fit: neque enim si alicui insit album, omnino illud album dici potest: sed neque si non dicatur album, oportet, quòd album ipsi non insit. Huius rei causa est, quoniam accidens potest subiecto inesse secundum partem. si quid autem inest alicui subiecto non secundum totum, sed secundum partem, subiectum illud non potest ab eo nomen sibi desumere: quod enim secundum aliquid est album, album non dicitur: Aethiops enim cum sit albus secũdum dentes, non tamen albus dicitur. cetera autem prædicata non possunt suis subiectis inesse secundum partem, sicuti neque possunt inesse uni tantum indiuiduo, sed uel secundum totum insunt, uel nulla ex parte, uel omnibus indiuiduis, uel eorum nulli. ita igitur & si ostendamus aliquid non conuerti, non tamen ostendemus, quòd accidens quando conuerti appellationem dicitur.

non

non sit: neque si ostendamus aliquid esse accidens, non tamen ostendemus, quòd conuertatur appellatio.

Difficultas. SED hic emergit difficultas, quomodo uerum sit philosophi dictum, quòd ab accidente non sumat nomen ipsum subiectum, quia accidens inest secundum partem. fatetur enim quòd si accidens insit secundum totum quòd prædicabitur de suo subiecto: aliud autem uidetur dicere in prædicamentis, ubi dicit, quòd eorum, quæ sunt in subiecto, in pluribus quidem neque nomen, neque definitio prædicatur de subiecto, in aliquibus tamen nomen prædicatur, ratio autem nunquam. hic enim non distinguit philosophus, quòd accidens insit uel secundum totum, uel secundum partem, sed quomodocunque insit, dicit, quòd ut plurimum non prædicatur de suo subiecto. præterea in capite de quali dicit, quòd in pluribus quidem, & fere in omnibus subiectum denominatiue dicitur ab accidente, quod in ipso existit, ut ab albedine album, à iustitia iustum. In aliquibus autem, eo quòd ipsis accidentibus non sunt imposita nomina: ideo subiecta non dicuntur denominatiue: quare uult, quòd semper sumat nomen ab ipso accidente, præterquam ubi ipsi accidenti non sit nomen impositum. hoc autem in loco uult subiectum non sumere nomen, nisi accidens ipsi insit secundum totum. Prima quidem apparens contradictio hoc modo est soluenda, quòd in capite de substantia philosophus dicit, accidens ut plurimum non prædicari de suo subiecto, ita scilicet quòd idem nomen accidentis prædicetur de subiecto, quæ est prædicatio æquiuoca, quia ut plurimum fit denominatiua prædicatio, & hoc intelligi debet ubi accidens insit secundum totum, quia nisi insit secundum totum, neutro modo prædicatur. hic autem uult, quòd si accidens inest secundum totum, quòd prædicatur de subiecto uel scilicet æquiuoce, uel denominatiue: nulla igitur est contradictio. secunda etiam soluitur, quoniam cum in capite de quali dicit, quòd in pluribus, & fere in omnibus subiectum denominatiue dicitur à qualitate, quæ in ipso existit. intelligit ubi huiusmodi qualitas ipsi insit secundum totum, quòd si insit secundum partem, non fit simpliciter denominatio, neque huius oppositum hoc loco dicit.

quare à philosopho dicitur, ab accidente non cōuerti appellationem. SVPEREST, ut ostendamus, quo proposito dixerit philosophus ab accidente non conuerti appellationem, cum uellet philosophus locos tradere ad problemata accidentis. uoluit admonere non conuerti ab accidente appellationem, eo quòd hoc utile esset ad ipsas disputationes. in aliis enim problematibus, qui ostendit, quòd homo non sit animal, uel animal rationale, mortale, uel risibile: simul ostendit, quòd id, quod assignatur non est neque genus, neque definitio, neque proprium. qui autem ostendit, quòd homo non sit albus, uel niger, non iam ostendit quòd ipsi albedo, aut nigredo non accidat. forte enim horum aliquid ipsi accidit secundum partem. ut igitur hoc ostenderet philosophus, quòd scilicet non ualet ad destruendum accidens probare, quòd suum subiectum ab ipso nō denominetur, quòd præcipuum quodam est in disputatione accidentis, ideo meminit de hac conuersione secundum appellationem.

Vt albedinem, uel iustitiam. Sed dicet quis, quomodo iustitia potest alicui inesse secundum partem, cum aliquis ex natura inclinationem quandam & propensionem habeat ad iustitiæ habitum? uel si quis ex consuetudine, & moribus ad aliquam iustitiæ partem sit recte affectus? ii enim etsi aliquo modo iustitia ipsis insit, nondum tamen sunt iusti.

duo errata in hac parte esse considerāda. *Determinare autem oportet.* Admonet philosophus in problematibus duo errata esse consideranda, alterum est circa rem, quod est falsum dicere: alterum

est

est circa dictionem, quod est alienis, & inusitatis uti nominibus. falsum dicunt, qui id, quod inest, non inesse dicunt: uel qui id, quod non inest, inesse dicunt. ut qui asserit uoluptatem esse finem hominis, ut Aristippus: aut qui dicit motum in uacuo fieri, ut Anaxagoras: aut qui dicit magnitudines quasdam esse indiuisibiles, ut Democritus, & Leucippus: aut qui ex superficiebus corpora dicit posse constitui, ut Plato: & qui dicit rationalem animam esse inseparabilem, & mortalem, ut Alexander: & qui dicit, quòd solum honestum est bonum esse, ut Stoici: transgrediuntur autem positam locutionem, qui rei quidem naturam cognoscunt, quomodo se habeat: sed non utuntur uulgato, usitatoq; nomine, atque hoc modo errant, qui dicunt hominem esse plantam euersam, ut Diogenes: & qui dicunt solum sapientem esse diuitẽ, uel solum nobilem, uel solum liberum, ut Stoici: ii enim non ignorant, quid sapienti insit, sed hoc appellant diuitias, nobilitatem, libertatem. iis scilicet nominibus abutentes ad significandam sapientiam, cum tamen diuitiæ non sapientiam significent, sed pecunias, ac possessiones. ita & nobilitas, & libertas aliud uulgo significant, quàm sapientiam.

Sed hic est difficultas, primo quomodo problema possit esse falsum: si enim problema utranque partem contradictionis comprehendit, non uidetur, quòd possit aliquo modo esse falsum. dicendum est, quòd cum dupliciter accipi possit problema, sicut & propositio, uel quòd utranque partem contradictionis comprehendit, uel quòd alteram tantum, ad quam scilicet tanquã scopum dirigitur disputatio: hoc loco accipitur, prout ad alteram partem est determinatum, quod iam potest esse uerum, & falsum. difficultas.

Dubitaret etiam quis quo proposito hæc errata ostendat philosophus, dicendum est, quòd cum destructiones problematum fiant ostendendo errata, quæ in ipsis sunt; ideo antequam locos traderet, hæc errata explicauit. per quæ scilicet fit problematis redargutio. si enim ostendatur problema, altero horum modorum peccare iam erit destructum. dubitatio.

Dubitaret etiam quis cur philosophus dixerit, solum mentiri qui, quod non inest, inesse dicunt, cum non minus mentiantur, qui dicunt inesse, quod non inest. dicendum est, cum ut plurimum problemata affirmatiua ponantur: raro autem negatiua, sicuti superius dixit ipsemet philosophus: ideo hoc modo locutus est. qui enim dicit id, quod non inest inesse, affirmatiuam efficit propositionem. qui autem dicit id, quod inest non inesse, negatiuam. alia dubitatio.

Vt platanum hominem. Notat Alexander, quòd qui arbitraretur hominem uidelicet animal rationale, mortale esse platanum arborem primo modo errare. si autem non ignorans, quid sit homo, ipsum appellet platanum. errat secundo modo, quod scilicet transgreditur positam appellationem: attulitq; hoc exemplum philosophus, ut ostenderet, quòd non solum in problematibus contingit primum peccatum, quod est falsum dicere, sed hoc quoque secundum, & quòd iuxta utrunque destrui potest problema.

PRIMVS LOCVS.

Vnus igitur locus est inspicere si secundum aliquem alium. Constituit philosophus agendum esse de problematibus uniuersalibus accidentis. incipit igitur locos tradere, quibus destruere possimus huiusmodi problemata. primumq; locum affert, ut consideremus, utrum id, quod pro accidente affertur, alio quodam modo insit, uel scilicet ut genus, uel ut definitio, uel ut propriũ. sæpius autem contingit id, quod est genus, pro accidente poni. & hoc quidem dupliciter, primus locus à prædicatorũ distinctione. si id, qđ ponitur accidere alicui, inest ei, ut genus, propriũ,

aut definitio, tale nouerit accidens.

pliciter uel dicendo id, quod est genus accidere suæ speciei, uel genus de specie denominatiue prædicando. quando autem aliquid de aliquo dicitur denominatiue, non potest esse genus, quoniam genus non prædicatur denominatiue; sed neque potest esse definitio, aut proprium, quoniam definitio, & proprium soli conueniũt. quod autem denominatiue prædicatur, pluribus conuenit.

secundum Theophrastũ locum differre à præcepto.

ADNOTAVIT Theophrastus differre locum à præcepto. sicut enim locus est principium dialectici argumenti, ita præceptum est principium loci. est enim præceptum communius quiddam simplicius, & uniuersalius, quàm locus, & ab eo locus inuenitur, exempli causa, præceptum est, si ita dicatur, quòd argumentari oportet à contrariis, uel à coniugatis. locus autem est propositio, quæ à præcepto ortum habet, ut si uni contrario unũ inest contrarium, alteri quoque contrario alterum inest contrarium: & sicuti se habet unum coniugatorum, ita se habent & reliqua. Hanc differentiam constituit Theophrastus inter præceptum, & locum: atque hunc primum locum dictum, & alios tales præcepta esse dicit, & appellat locos præceptorios. si enim ita dicimus, considerare oportet, si id, quod pro accidente affertur, secundum alium quempiam modum inest, præceptum est. si autem ita dicamus, si id, quod pro accidente ponitur, secundum alium quendam modum inest, non recte ponitur. locus est uel hoc etiam modo conuenientius, si id, quod pro accidente ponitur, genus sit, uel definitio, uel proprium, non recte ponitur pro accidente. sed diceret quis, si distincta sunt à locis præcepta, quare philosophus ea appellat locos. respondet Alexander, quoniam simul cum præcepto locus affertur: semper autem ab his, quæ magis propria, & specialia sunt, fieri debet denominatio. cum enim in substantia sit, & ens, & substantia, ipsam tamen non appellamus ens, sed substantiam: ita & cum in animali sit ens, substãtia corpus mixtum uiuens, & animal ipsum tamen non ex communibus, sed ex proprio nomine appellamus. cum igitur in huiusmodi præceptis loci contineantur, qui sunt magis speciales, quàm præcepta, ideo ipsa appellauit locos. forte etiam dicere possumus, quòd in hoc proposito præceptum non differt à loco, nisi modo (sicuti superius dictum fuit) de problemate, & propositione, & hoc in prioribus exẽplis facile conspici potest: uel etiam dicere possumus, quòd locus est ratio præcepti: uel igitur præceptum sit principium loci, & ipsum comprehendat: uel subiecto idem sint modo tantum inter se differentia: uel locus sit præcepti ratio, cum parum admodum differant: ideo philosophus præceptum appellauit locum.

SED cum superius duo peccata relata sint, ad quæ reducitur omnis redargutio problematis, præstat inquirere, ad quod eorum hic locus reducatur: ut scilicet in aliquibus locis exercitati, facile alios etiam ad ea peccata reducere sciamus. qui igitur id, quod alicui inest uel ut genus, uel ut definitio, uel ut proprium, arbitratur ipsi accidere, primo modo errat uidelicet circa rem. qui autem nouit eorum differentiam, sed tali utitur locutione, secundo modo errat uidelicet circa dictionem: transgreditur enim positã appellationẽ.

Secundum aliquem alium modum. Omne quod alicui inest uel ut genus, uel ut definitio, uel ut proprium, uel ut accidens, ipsi inest. cum autem hæc sint inter se distincta, patet, quòd si quid inest secundum alium modum, uel scilicet ut genus, uel ut proprium, uel ut definitio, quod accidens non erit.

dubitatio.

Peccatur autem maxime circa genera. Dubitaret quis, quare maxime peccetur circa genus. uidetur enim quòd maxime peccare contingat circa ea, quæ magis sunt inter se similia: sed cum proprium maiorem habeat similitudinem

cum

cum accidente, quàm genus uidetur, igitur quòd magis peccari debeat circa proprium, quàm circa genus.

DICENDVM est, quòd in natura sua magis quidem similia sunt proprium, & accidens, quoniam utrunque eorum est extra rei essentiam: sed apparenter maiorem habet genus, & accidens, quoniam scilicet proprium, & accidens insigni nota distinguuntur, quod illud uni tantum hoc uero pluribus conuenit. genus autē, & accidens in plus sunt, quàm illud cui insunt: ideoq; cum eo non conuertuntur. solutio dubitationis.

Contingit autem & secundum appellationem determinare. Duos ostendit modos philosophus, quibus genus affert pro accidente. primus est, quando ignoratione ponitur uerbum accidit, ut si dicamus homini animal esse, uel accidere albedini colorem esse, uel accidere iustitiæ uirtutem esse: atque hic modus manifestus est. alius modus est, quando prædicatum denominatiue dicitur de subiecto, ut si dicat quis albedinem esse coloratam, uel progresionem moueri. duobus modis afferri genus pro accidente.

SED diceret quis, quomodo uerum est hoc, quando aliquod prædicatum denominatiue dicitur de subiecto, quod ponatur per accidente. dicendum est, quoniam sola accidentia prædicantur denominatiue. genus autem nullo modo prædicatur denominatiue de speciebus: quòd si genus denominatiue dicitur, non de speciebus, aut indiuiduis suis dicitur, sed de eorum aliquo, quibus aliqua specierum inest, ut cum coloratum esse dicitur de aliquo habente albedinem, & dispositum esse habente iustitiam, & propter hanc rationem ipsum ens non potest esse genus ipsis prædicamentis, quoniam de ipsis denominatiue prædicatur. esse enim quòd ab ente denominatiue dicitur, de substantia, & de qualitate, & aliis prædicamentis dicitur: quæ autem denominatiue de aliquo dicuntur, genera non sunt, sed accidentia: atque hinc eliciendum est, quòd problema simplex, quo quæritur, an aliquid sit, referri debet ad problema accidentis potius quàm ad problema generis: quæ fuit opinio Alexandri, & Auerrois. ita igitur patet genus non prædicari denominatiue de eo, cuius est genus. quòd etiam definitio non prædicetur denominatiue, palam est, sed de proprio est difficultas. uidetur enim quòd denominatiue dicatur de suis subiectis, ut risibile, & scientiæ susceptiuum, atque eadem est difficultas de differentia. Duas affert solutiones Alexander, prima est, quòd si proprium generi coniunctū prædicatur, ut uult Aristoteles, quòd erit oratio, & non nomen, quare non prædicabitur denominatiue. denominatiua enim non sunt orationes, sed nomina. Alia solutio longe melior est, quòd propria non prædicantur denominatiue de suis subiectis. si enim proprium esset hominis ridere, tunc de homine diceretur denominatiue, quoniam risibile, quod est denominatiuum, ab ipso ridere de homine dicitur, sicuti dicimus iustitiam denominatiue dici de Socrate: quoniam igitur ipsa propria sunt, quæ denominatiue dicta sunt, non autem ea, à quibus deducuntur: ideo non dicuntur denominatiue de suis subiectis. idem dicendum est de differentia, de qua non meminit philosophus, quoniam ad genus reducitur. obiectio. duas solutiones Alexandri.

Nam definitio, & proprium nulli alij inest. Non dixit philosophus definitionem, & proprium soli inesse, ut ipsa ab accidente separaret, quasi concederet, quòd denominatiue dicantur: sed intelligit, quòd hoc etiam modo manifeste ostendetur id, quod ponitur non esse proprium, aut definitionē, eo quòd de pluribus dicatur: hæc autem soli insunt.

SECVNDVS LOCVS.

secundus locus est à diuisione, si id, quod ponitur accidere omnibus, alicui speciei nō insit, neque omnibus inerit. si autem nulla inueniatur species, cui non insit, omnibus inesse concedendum est.

Alius locus est inspicere etc. Hic est secundus locus ad destruendum problema uniuersale accidentis, quem Alexander dicit esse præceptum. quid autem differat præceptum à loco, superius dictum est, quòd scilicet uel est principium loci, uel ab eo modo tantum differt, uel est eius ratio. tria autem hic ostendit philosophus. primo enim locum proponit, secundo modum exponit, quò eo loco uti debeamus, tertio ostendit ipsum non solum ad destruendum, uerum & ad construendum conferre. locus quidem talis est, proposito problemate aliquo, aut affirmatiuo, aut negatiuo diuidere debemus ea, quibus aut omnibus, aut nullis quippiam accidere in problemate positum est, & sigillatim in eorum unoquoque perpendere, an ei conueniat, quod ipsi conuenire sumptum est. si enim inueniamus aliquid, cui accidens illud non insit, patet, quòd uniuersale problema affirmatiuum destruemus. & si aliquid inueniamus, cui accidens illud insit, quòd nulli inesse sumptum est, patet, quòd uniuersale problema negatiuum destruemus. modus autem, quo hunc locum exerceamus, talis est. debemus enim propositum diuidere in propinquiores, & communiores species, & in singulis inquirere, nunquid uerum sit propositum: & si obiectionem nullā inueniamus, rursus species illas in alias propinquas species diuidemus: atque idem in illis inuestigabimus: neque cessare debemus hoc modo obiectionem inquirere, donec ad indiuiduas species deueniamus. ita enim certo quodam ordine, & connexu instar cathenæ procedet diuisio: atque hoc ostendit philosophus apposito exemplo. ostendit demum locum hunc non solum ad destruendum conferre, uerum & ad construendum. si enim hoc modo, quo dictum est, propositum diuidamus, ac in singulis quibusque, aut saltem in pluribus eorū ostendamus accidens inesse, utique probabimus problema uniuersale. oportet enim ut aduersarius ipsi assentiatur, si instantiam nequit adducere.

tria pro intelligētia huius loci esse agenda.

Pro exactiori huius loci intellectione tria nobis agenda sunt: primo, quædam circa philosophi contextum annotanda: secundo, aliquibus propositis exemplis locum exercebimus: tertio, difficultates quasdam emergentes dissoluemus. primo igitur notandū est ex Alexādro, quòd ubi dicit philosophus, *Et usque ad indiuidua*. Non intelligit singularia, quæ numero tantum sunt inter se distincta, sed intelligit ipsas species indiuiduas, ad quas usque progrediendum est diuidendo, & ibi consistendum. ut enim admonebat Plato indiuidua sunt relinquenda, eo quòd cum infinita sint propter æternam eorum, & nunquam deficientem successionem scientia comprehendi non possunt. quòd autem hoc intelligat, philosophus ipsemet indicat in principio huius loci, cum dicit, considerandum esse ultimas species, & non in infinitis: secundo notandum est, quòd non solum subiectum problematis diuidendum est, sed etiam prædicatum: si ipsum quoque diuisionem queat suscipere. philosophus autem de subiecti diuisione præcipue meminit, quoniam ex eo præcipua habetur utilitas. tertio notandum est, quod uerba illa,

uerba philosophi dupliciter exponi ab Alexandro.

Similiter & si nulli inest. Dupliciter exponuntur ab Alexandro. una est expositio ueram ipsius philosophi sententiam explicans, quòd cum ostenderit, quòd problema uniuersale affirmatiuum destruitur, si ostendamus, quòd alicui non inest, si particularis negatiua, quæ est eius contradictoria, uera sit, eo quòd sicut necesse est contradictionis alteram partem esse ueram, ita utranque est impossibile. eodem modo destruetur problema uniuersale negatiuum, si ostendamus particularem affirmatiuam esse ueram, scilicet id, quod

ponitur

ponitur nulli inesse, ostendamus nos inesse alicui. Altera Alexandri expositio est similiter, & si nulli inest, idest quemadmodum problema uniuersale affirmatiuum destruitur ostendendo, quòd alicui non inest, destruetur quoque, si ostendatur, quòd nulli inest, eo quòd sicut uniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua non se compatiuntur: ita neque uniuersales affirmatiua, & negatiua. ambas enim esse ueras est impossibile. quarto notandum est, quòd etsi philosophus proposuerit agere de locis destructiuis, ex quibus scilicet problema uniuersale affirmatiuum destruere sciamus: hic tamen locus non solum ad uniuersale affirmatiuum, sed etiam ad negatiuum; non solum ad construendum, uerum & ad destruendum confert. secũdo notandum est dixisse philosophi in omnibus, uel in pluribus propter duas rationes, prima est, quoniam ea uniuersa percurrere uix possumus: quare sufficit aliqua assumere: reliqua autem his esse similia supponere, ut si quis uelit ostendere, quòd omne uiuens habeat animam, sufficiet hoc ostendere in aliquibus speciebus uerum esse. secunda ratio est, quoniam plerunque id, quod dicimus non est in omnibus: uerum instantiam tamen inuenire difficile est: & tunc si illud in multis esse uerum ostendamus, facile existimabit aduersarius ipsum esse uerum in omnibus, ueluti si dicamus, quòd omne animal inferiorem maxillam moueat superiori immobili existente; uel quod maiori bono opponitur, maius malum sit. hæc enim etsi in pluribus, non tamen in omnibus uera sunt.

secunda Alexandri expositio.

SEQVITVR, ut locum hunc propositis aliquibus exemplis exerceamus: primumq; in problemate affirmatiuo: deinde in problemate negatiuo. sit igitur hoc problema propositum, quòd omnium oppositorum sit eadem disciplina, aduersus quod sit nobis disputandum: quoniam igitur opposita quadrupliciter dicuntur ut contraria, ut relatiua, ut priuatio, & habitus, & ut contradictoria. in his igitur omnibus inquiremus, utrum eadem sit scientia: & quoniam uidemus, quòd finitum, & infinitum opponuntur, ut habitus, & priuatio: & finiti quidem est scientia, infiniti autem nequaquam: præterea quoniam uidemus, quòd ens, & non ens contradictorie opponuntur, & ipsius entis est scientia, non entis autem nequaquam: non igitur erit uerũ uniuersaliter, quòd oppositorum sit eadem scientia. idem quoque uidemus in scibili, & non scibili; in uero, & falso; possibili, & impossibili. hæc igitur obiicientes uniuersale illud problema destruemus, quòd oppositorum sit eadem disciplina. eorum enim, quæ ad aliquid sunt, necesse est eandem esse disciplinam, eo quòd ipsorum esse in hoc consistit, quòd aliquo modo ad aliud se habent. aliorum autem oppositorum eãdem esse disciplinam non est necesse. rursus sit propositum aliud problema, aduersus quod sit nobis disputandum, ut quòd omne animal spiret: diuidemus animal in uolatile, gressibile, & aquatile, & inuestigabimus utrum horum unumquodque spiret: & quoniam uidemus, quòd ex uolatilibus ea, quæ insecta sunt, ut cicadæ, uespæ, & muscæ non spirant: & ex aquatilibus ea, quæ habent brachia, ideo hæc obiicientes destruemus positum problema. eodem modo destruemus problema hoc, quòd omnis uirtus sit scientia uirtutem diuidentes in intellectualem, & moralem: ostendentesq; uirtutem moralem non esse scientiam. si autem positum sit problema negatiuum, aduersus quod sit nobis disputandũ, ut quòd nullus amor honestus sit: si diuidamus amorem, quòd alius est uehemens appetitus irrationalis uoluptatis, ut dicebat Epicurus, alius est desiderium quoddam sibi comparandi amicos propter pulchritudinem in hoc existentem: alius uero consistit in reminiscentia pulchritudinis alias conspectæ, ut

hunc locum exemplis esse exercendum.

dicebat Plato. si igitur ostendamus aliquem ex amoribus honestum esse, destruemus problema illud positum, quòd nullus amor honestus sit. Ita igitur ex diuisione subiecti destruemus positum problema. ex diuisione autem prædicati hoc modo sit positum problema sapientem non debere esse seditionis participem. si enim diuidamus, quòd immiscere se seditioni dupliciter contingat, uel ut ipsam foueat, & suscitet; uel ut sedet. ostendamusq́; sapienti conuenire seditionem sedare, positum problema destruemus.

huius loci difficultates esse diluendas.

Reliqvvm modo est, ut difficultates quasdam hic emergentes diluamus. primo, hæc est uera, omnis homo necessario est animal, non tamen licet ad contenta sub ea descendere: neque enim uerum est, quòd Socrates, exempli causa, necessario sit animal. secundo, posito, quòd decem homines trahant nauim, uerum est dicere, ii omnes homines trahunt nauim, falsum tamen est dicere, hic trahit nauim. dicendum est, quòd hic philosophus loquitur de problematibus accidentis, non autem de problematibus de necessario, in quibus descensus fit ad singularia cum nota reduplicationis, non autem absolute, ut omnis homo est animal necessario, ergo Socrates quatenus homo necessario est animal. ad aliud dicendum est, quòd hic philosophus loquitur de uniuersalibus propositionibus diuisiue sumptis, non autem collectiue.

TERTIVS LOCVS.

tertius locus à definitione, si definitio prædicati subiecto non insit; aut prædicatum definitioni subiecti; aut definitio prædicati definitioni subiecti: neque ipsum prædicatum subiecto inerit. si autem illa insunt, hoc quoque inerit.

Alius locus est definitiones facere & accidentis, & eius, cui accidit. Explicemus prius philosophi sententiam: deinde circa contextum quædam annotabimus: postremo hunc locum propositis exemplis exercebimus. in tres, quæ dicit philosophus, apte distingui possunt. primo enim locum explicat, secundo exempla quædam apponit, tertio documentum quoddam affert. locus igitur est à definitione sumptus, & uniuersalis problematis destructiuus. cum enim problema, ad quod disputatio dirigitur, sit categorica propositio: omnis autem categorica propositio ex subiecto constet, & prædicato; ideo & problema accidentis, de quo nunc agitur, constabit ex subiecto, & prædicato, quod est accidens. iubet igitur philosophus, ut hos terminos definiamus, atque ex ipsis definitionibus inquiramus obiectionem aliquam. cum enim ipsi termini definitione explicantur, facile erit, ut, si qua obiectio ad problema fieri potest, ostendatur exempla, quæ affert philosophus, tria sunt: primum, utrū Deus lædi possit; secundum, utrum sapiens sit inuidus; tertium, utrum indignans sit inuidus. documentum autem, quod affert philosophus, tale est, quòd si ex prima horum terminorum definitione obiectionem non inueniamus, non propterea desistamus: sed ea rursus, quæ in prima definitione posita sunt, definiamus. quandoque enim in prima definitione nondum manifestum est, quod quærimus: fit autem manifestum accepta definitione eorum nominum, quæ in prima definitione fuerunt accepta, exempli causa, si sit positum problema, uoluptatem esse bonum, uolentes hoc problema infirmare, uoluptatem definiemus; ut quòd uoluptas est suauis quidam motus. sed quoniam nullam adhuc obiectionem conspicimus, ideo motum, qui in uoluptatis definitione accipitur, definiemus; ut quòd motus est actus imperfectus, hic statim aperitur instantia, quòd uoluptas non est bonum. nullum enim imperfectum est bonum, at uoluptas est quid imperfectum, ergo uoluptas non est bonum.

Exemplum.

quatuor esse annotanda.

Circa cōtextū philosophi quatuor præcipue annotāda sunt. primo cū dicit, *Aut utriusque secundum utrunque, aut alterius.*

Admonet

Admonet philoſophus, aliquando utriuſque termini ſubiecti ſcilicet etiã prædicati dandam eſſe definitionem, aliquando uero alterius tantum alterius quidem, quoniam alterum perſpicuum ſit, & notum. ſi autem neutrum notum ſit, utrunque definiatur, ſed ſeorſum, & per ſe alterum, quodq; ne ſcilicet utrunque ſimul definiamus, ut cum definimus hominem ambulantem, quòd eſt animal greſſibile, bipes, quod cruribus defertur: itaque conſiderare debemus nunquid definitio prædicati inſit ſubiecto; nunquid prædicatum inſit definitioni ſubiecti; & nunquid definitio prædicati inſit definitioni ſubiecti. ſecũdo, notat Alexander, quòd illud εἰ ἔςι θεὸν ἀδικεῖν, exponi debet, utrum Deus lædi poſſit: cui expoſitioni fauent dicta philoſophi. ubi poſtea dicit ὡς οὐκ ἔςι θεὸν ἀδικεῖσθαι. & οὐ γὰρ ἐνδέχεται βλάπτεσθαι τὸν θεόν. alii exponunt, utrum Deus nocere poſſit: & ſequentia uerba illud ſcilicet ἀδικεῖσθαι, & illud βλάπτεσθαι actiue exponunt. tertio, notat Alexander tertium exemplum à philoſopho allatum poſſe etiam eſſe ὁρικὸν, ideſt definitioni annexum. id autem eſt, utrum νεμεσιτικὸς ſit inuidus: ſi hoc modo quæratur utrum νεμεσιτικὸς idem ſit, quod inuidus, problemata de eodem, ut uidimus in primo libro, definitioni ſunt annexa. quarto, notandum eſt, quod ſumendas eſſe pro nominibus, quæ in definitionibus ſunt, definitiones, dixit philoſophus duabus rationibus, uel ſcilicet quoniam nomina illa ſint æquiuoca, uel quoniam alioqui obſcura æquiuoca; ut ſi quis definiret ſanum, quòd eſt id, quod eſt commenſuratum ad ſanitatem, illud commenſuratum æquiuocum eſt: effectiuum enim ſanitatis, quantum eſt. indicatiuum uero eſt quale, ut dictum fuit ſuperius in capite decimotertio primi libri loco nono, uel alia ratione obſcura, ut cum quis definit uoluptatem eſſe leuem quendam motum. obſcura autem dicuntur hæc nomina, eo quòd nondum oſtendunt obiectionem aliquam aduerſus problema.

quid ſibi uolũt uerba philoſophi, & quomodo exponi debent.

Svperest, ut hunc locum aliquibus exemplis exerceamus; & quoniam aliquando prædicatum tantum, aliquando ſubiectum tantum, aliquando utrunque eſt definiendum, oſtendamus ſigillatim, quomodo ex hoc loco inſtantiæ inueniantur aduerſus poſitum problema. ex definitione igitur prædicati hoc modo procedemus. ſit poſitum problema, utrum Deus poſſit aliquem iniuria afficere, ſi definiamus, quòd iniuria afficere eſt præter rationem ſponte alicui nocere, manifeſtum eſt hoc abeſſe à Deo. eodem modo oſtenderemus Deum non iraſci. ſi enim iraſci eſt uindictam ab eo expetere, qui læſiſſe exiſtimetur, cum hoc in Deum non cadat, patet, Deum iraſci non poſſe. eodem pacto oſtenderemus Deum neque triſtari, neque timere; ſiquidem triſtitia ſit perturbatio à præſenti malo: timor autem perturbatio ab imminenti: Deus autem neque percipere, neque expectare malum aliquod poteſt. eodem modo oſtenderemus ſapientem non eſſe inuidum, ſiquidem inuidus eſt, qui bonorum proſperitate, ſucceſſu affligitur, ſapiens autem talis non ſit. ex definitione autem ſubiecti hoc modo procedemus, ſi ſit poſitum problema, utrũ anima ſit immortalis, oſtendemus nos ipſam non eſſe immortalem ex eius definitione hoc modo; ſi enim definiamus animam, quòd eſt ſpiritus quidam ſenſitiuus, patet, quòd non eſt immortalis: omnis enim ſpiritus eſt corruptibilis, ita quoque, ſi dicamus ipſam eſſe actum corporis naturalis organici, ut ipſam definit Ariſtoteles, oſtendemus ipſam non eſſe immortalem, eo quòd nullus actus ſeparabilis eſt ab eo, cuius eſt actus, quo ſit, ut anima ſit à corpore inſeparabilis. ac eadem methodo oſtendemus ipſam non eſſe mortalem (utranque enim contradictionis partem probabiliter probat dialecticus) ſi ipſam hoc modo definiamus, quòd anima eſt ſubſtantia per ſe mobilis, ut

locum hunc exemplis eſſe exercendum.

ut dixit Plato, quod enim est per se mobile, est semper mobile, quod autem est semper mobile, est immortale; anima igitur est immortalis. ex definitione autem utriusque termini subiecti, scilicet & prædicati hoc modo procedemus, sit positum problema, utrum indignans, qui longe melius à Græcis dicitur νεμεσιτικὸς sit inuidus: si enim horum utrunque definiamus problema destruemus: si enim indignans est, qui malorum prosperitate succenset, inuidus autem, qui bonorum prosperitate affligitur, patet, quòd indignans non est inuidus. eodem modo probabimus tyrannum non esse felicem: si enim tyrannus est princeps iniustus, felix autem, qui secundum uirtutem operatur, & uiuit, patet, tyrannum non esse felicem. eodem modo ostendemus sapientem non esse diuitem: siquidem diuitiæ consistant in pecuniarum possessione, sapientia autem in possessione uirtutis.

QVARTVS LOCVS.

quartus locus à mutatione problematis in propositionem problema disputãdũ mutãdum est in propositionem dialecticam: itaque aduersus eam instantia est inquirenda.

Amplius problema propositionem factum etc. Explicemus prius philosophi sententiam; postea, quoniam hic locus idem esse uidetur cum secundo loco, ipsos comparabimus: postremo locum exercebimus. Philosophus igitur primo locum proponit: deinde ostendit, quidnam, differat à secundo loco. Locus est præceptorius, quòd debemus assumere ipsum problema, quod propositum est, & ipsum in dialecticam propositionem transmutare, & aduersus hanc propositionem instantiam inquirere. instantiam autem inquirere debemus diuidendo terminos propositionis, sicut in secundo loco dictũ fuit. secundo admonet philosophus, quòd hic locus idem fere est cum secundo loco, in quo dicebatur, quòd considerare debemus, quibus inesse uel omnibus, uel nulli dictum est: sed ab eo differt modo. in eo enim non deducebamus problema ad propositionem dialecticam, sed absque hoc instantiam inquirebamus.

Sed uideamus quidnam hic locus cum secundo conueniat, quid ab eo differat, & qua re mutatio fiat problematis in propositionem. conuenit autem quoniam sicuti in eo secundo loco diuidentes ipsos terminos tum subiectũ, tum prædicatum in suas species, atque has rursus in alias species, donec instantiam aliquam inueniamus aduersus problema. idem in hoc quoque loco fit, unde elicitur, quòd præceptum ibi traditum, ut recte procedat diuisio, hic quoque est obseruandum: præterea quòd sicut ille locus erat destructiuus problematis uniuersalis affirmatiui, & uniuersalis negatiui: ita quoque hic, ita igitur conuenit hic locus cum illo. differt autem ab eo modo tantum, eo quòd ibi problema non transmutamus, sed aduersus ipsum instantiam statim inquirimus. hic autem ex problemate primum propositio fit: deinde aduersus propositionem inuestigatur instantia. quare autem mutatio fiat problematis in propositionem, ratio est, quoniam promptius, & facilius aduersus propositionem, quàm aduersus problema instantias inuenire possumus.

Loci exercitium ostendemus tribus propositis exemplis. sit positum problema, utrum uirtus sit scientia. hoc problema ad propositionem deducemus hoc modo, nunquid omnis uirtus est scientia (hic enim intelligendum est de propositione dialectica) proponentes igitur nobis ipsis hanc propositionem instantiam inquiremus ad uirtutis species inspicientes: & quoniam quædam est uirtus patibilis animæ, & affectuum capacis; quædam uero animæ intelligentis, & uirtus patibilis animæ non habet esse in cognitione: neque ex disciplina acquiritur, sed ex consuetudine, & moribus: unde & moralis

ralis dicta est, ideo hoc obiicientes ostendemus non omnem uirtutem esse scientiam, cum omnis scientia in cognitione esse habeat, & per disciplinam acquiratur. sit rursus propositum problema, utrum omnis uoluptas sit bonum, hoc ipsum problema in hanc propositionem mutabimus, nunquid omnis uoluptas est bonum, & ex uoluptatis diuisione inuenientes, quòd irrationalis uoluptas non est bonum, problema propositum destruemus. eodem modo destrueremus, quòd solum honestum sit bonum inuenientes, quòd sanitas, cum sit bonum, non est aliquid honestum.

QVINTVS LOCVS.

Amplius determinare, quæ oportet dicere etc. In huius loci expositione philosophi sententiam primo explicabimus: deinde circa contextum, si qua erunt annotatione digna, annotabimus. postremo locum exercebimus. philosophus primo locum explicat: admonetq; ipsum esse constructiuum, & destructiuum. secundo ipsum locum exemplo manifestat. locus quidem est, quòd oportet determinare quænam accipere debeamus secundum communem consuetudinem: quæ autem non ut scilicet nominibus rerum uulgo acceptis utamur. quomodo autem res se habeant, non cum uulgo, sed cum sapientibus sentire debemus: exemplum autem, quo hoc ostendit, est salubre. id enim quod est sanitatis effectiuum, salubre appellare debemus. hoc enim est nomen consuetum, & probatum: quidnam autem salubre sit, ut quisnam febrienti salubris sit uictus, non ut multi, sed ut sapientes sentire debemus. circa contextum philosophi, notandum est, quòd magis connexa erit oratio, si uerba illa, quintuslocus. à uulgari consuetudine, & sapientum opinione. si aliquid ponitur accidere alicui uel præter loquendi consuetudinem, uel præter sapiẽtum opinionem, illud non inerit. loqui enim debemus, ut multi sentire, ut sapientes.

Vtile autem & ad construendum, & ad denstruendum. Ad finẽ textus reponamus. Videntur enim ea uerba ibi interiecta orationem quodammodo interturbare. hoc autem plerunque efficere consueuerunt græci interpretes. secundo notandum est, quòd uerba illa,

Quemadmodum plures dicunt. Apud Alexandrum leguntur cum particula, aut, *Aut quemadmodum plures dicunt.* Et ab eo dupliciter exponuntur. prima expositio est uel quemadmodũ multi dicunt, quoniam aliis etiam modis salubris nomine utuntur. nam & indicatiuum, & susceptiuum sanitatis salubre dicitur. secunda expositio est, uel quemadmodum multi dicunt, quoniam hoc nomen, quòd pro exemplo sumptum est, non est curandum: sed uel ita, uel aliter multi usurpent, ita ut multi nominibus uti debemus. si autem legitur textus sine particula, aut, ut legitur in uulgatis codicibus, planior est sensus, quòd sanitatis effectiuum appellandum est salubre, quemadmodum appellãt multi. & hanc etiam lectionem magis approbat Alexander.

Ex hoc autem textu eliciendá est hæc sententia celeberrima, quòd loquendum est, ut multi, sentiendum autem, ut sapientes, loquendum quidẽ ut multi: quoniam nisi seruemus communem loquendi consuetudinem, sed unicuique liceat nomina pro libito confingere, breuiter destrueretur sermonis communio. sentiendum autem ut sapientes, cum enim uulgus rerum naturas, & proprietates ignoret, ideo ab eius iudicio abscedendum est: ac his potius, qui circa huiuscemodi enixe occupantur, adhærendum est. sed quoniam etsi constet ex communi consuetudine petendam esse loquendi rationem, ut hoc loco admonet philosophus; ambigunt tamen nonnulli; quænam sit hæc consuetudo; unde loquendi ratio sit desumenda, utrum scilicet in uulgo, an in scriptoribus potius; & his an recentibus, an antiquis sit consti- sentẽtiam ex hoc textu esse eliciendã.

constituenda: ideo dicendum est loquendi rationem desumenda esse ex recentibus potius, quàm ex antiquis: si lingua, in qua scribimus, corrupta, & uitiata non sit. si autem sit corrupta, tunc ex scriptoribus eius ætatis est petenda, qua in suo uigore, ac perfectione fuerit: atque ideo errarunt posteriores latini, qui sui tẽporis potius lingua, quàm prioris illius sæculi usi sunt. errabant etiam, qui Ciceronis tempore uixerunt, & antiquorum scribendi modum affectarunt, sicut & nunc errant, qui in uulgari nostra lingua antiquorum scribendi modum plus satis affectant, cum tamen hæc lingua nulla ex parte corrupta sit.

RELIQVVM est, ut locum hunc aliquibus exemplis exerceamus. & quoniam hic locus, ut admonet philosophus, ad construendum, & destruendum confert, ideo ex eo destrueremus problemata illa Stoicorum, quòd solus sapiens diues sit. cum enim hoc nomen diues uulgo significet eum, qui multas opes posſidet, & sapiens talis non sit, patet, sapienti diuitis nomen non cõuenire, eo quòd in rerum appellatione communi consuetudini est adhærendum. ita siquis tueri uellet diuitias esse summum bonum, uel quòd sanitas sit felicitas, aut felicitatis pars, eo quòd scilicet uulgus ita opinetur, hoc destruemus nos, quia in rebus diiudicandis non uulgarium opinioni, sed sapientum assentiri debemus. construeremus autem, quòd sanitatis effectiuum salubre sit appellandum, eo quòd uulgus ita appellet, & quòd felicitas præcipue consistat in actione secundum uirtutem, eo quòd sapientes ita sentiant.

SEXTVS LOCVS.

sextus locus, ab æquiuocatione. si aliquid significatum multiplicis non insit, male ponitur indistincte ipsum inesse. si autẽ aliquid insit, male ponitur indistincte nõ inesse.

Amplius si multipliciter dicatur. IN huius loci expositione primo ipsum locũ explicabimus. secundo ostendemus, quomodo sit constructiuus, & destructiuus. tertio circa contextum quædam annotabimus. Hic igitur locus est, quòd si id, quod ponitur in problemate, multipliciter dicatur, ipsum debemus distinguere, atque ostendere uel in aliquo significatu, uel in omnibus non ita esse, sicuti in problemate simpliciter positum est. quomodo autem ea, quæ multipliciter dicuntur, distingui debeant, in primo libro capite xiii. abunde dictum est. sed quoniam aliter agẽdum est, si obscurum sit, & lateat, quod multipliciter dicatur. aliter uero, ubi conspicuum sit, ostendamus hæc sigillatim. si igitur lateat æquiuocatio, debemus nos eius significata spectare, atque uel in omnibus, uel si in omnibus non liceat in aliquo ostendere, non ita esse, prout simpliciter in problemate positum est: in omnibus quidẽ ostendere posſemus, si positum esset problema, quòd philosophari non conueniat, distinguentes quòd philosophari dicitur, & hoc ipsum inquirere, utrum philosophari conueniat, uel non: præterea & in philosophica contemplatione uersari, ostendentesq; quòd horum utrunque quã maxime homini conuenit: positũ problema in omnibus significatis destruemus. in quibusdã autem significatis destrueremus problema, si positum esset, quòd dormiens non sentit: distinguentes enim quòd sentire dupliciter dicitur actu, & potestate, facile ostendemus, quòd dormiens potestate sentit, ita quoque si positum esset problema, quòd sapientem oporteat ciuilia opera tractare, distingueremus illud, oportet quòd aliquando significat honestum, aliquando utile, aliquando necessarium: honestum, ut cum dicimus oportere parentibus obedire, aut secundum uirtutem uiuere: utile, ut cum dicimus oportere exercitiis uti, aut uictus ratione: necessarium, ut cum dicimus omne genitum corrumpi oportet. si igitur ostẽdamus sapienti non esse necessarium,

neque

neque utile ciuilia tractare, problema illud destruemus, eo quòd hæc significat, eadem ratione oppositum quoque problema destrueremus, quòd scilicet sapientem non oportet ciuilia tractare, ostendentes scilicet quòd honestum est patriæ consulere, & auxilium ferre: oportet autem honestum significat. Sed notandum est, quòd ubi in omnibus significatis destruere possumus problema, tunc manifeste, & aperte distinctionem efficere debemus, eius quod multipliciter dicitur. ubi autem non in omnibus, sed in aliquibus tantum hoc effici potest, non debemus distinctionem exponere; sed tantum instantiam afferre: ita igitur procedemus, ubi lateat, & obscurum sit multiplex esse ipsum problema. at si conspicua sit, & nota æquiuocatio, non hoc modo instantiam afferre debemus, eo quòd qui problema tuetur, facile redarguet nos, tanquam non ad id, quod ponitur, sed ad nomen, & sophistice instantiam afferentes: ut si quis poneret, quòd animal sit uiuens, non deberemus obiicere, quòd picta animalia non sint uiuentia, eo quòd manifesta est æquiuocatio animalis. simul & patet, quòd sermo est de uero, non de picto animali: si igitur manifesta sit æquiuocatio, hoc modo procedemus, ac uel in omnibus significatis destruere tentabimus problema: uel si hoc non liceat in aliquibus, hoc faciemus, ostendemusq; quòd problema non est uerum simpliciter, ut positum est, sed in aliquibus est uerum, in aliquibus falsum.

Hic autem locus aptus est, non solum ad destruendum problema uniuersale tam affirmatiuum, quàm negatiuum, sed etiam ad construendum, idest confirmandum utrunque horum problematum: differentia tamen est, eo quòd destruendo sufficit ostendere particulariter, ut si uelimus destruere problema uniuersale affirmatiuum, sufficit ostendere, quòd alicui non insit: si uelimus destruere uniuersale negatiuum, sufficit ostendere, quòd alicui insit: at si uelimus construere, non sufficit particulariter ostendere, ut quòd alicui insit, aut alicui non insit: ideo in iis considerare debemus utrum uniuersaliter probare possimus, præterquam descendamus ad particularia significata: quòd si hoc non liceat, consideremus, utrum probare possimus, quod cupimus in omnibus significatis: quòd si hoc etiam non liceat, tunc probatione ex suppositione, uel ex confessione dicta uti debemus. uniuersaliter quidem probaremus, exempli causa, uti probat geometra, quòd omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis pares, uel negatiue, quòd diameter non est lateri quadrati commensurabilis. in omnibus autem significatis ostenderemus, quòd philosophiæ sit opera danda, ut superius diximus. cum autem in aliquibus tantum significatis probare possemus, ex suppositione procederemus in problemate affirmatiua hoc modo. si probandum esset omnem animã esse immortalem, supponeremus, quòd sicuti in una anima se habet, ita se habet & in reliquis: itaque ostenderemus humanam animam esse immortalem, aut Platonica illa tam speciosa ratione, quoniam sit substantia per se mobilis; aut illa Aristotelica, quoniam omnes formas materiales recipiat: atque hoc modo concluderemus omnem animam esse immortalem. eodem modo ostenderemus, quòd omnis sensus per passionem quandam susceptionem efficit præaccipientes, quòd de omnibus sensibus consimile sit iudiciũ, ac ostendentes, quòd tactus sentiendo patitur, ita si libeat ostendere, quòd oppositorum sit eadem disciplina, hoc efficiemus præaccipientes idem de omnibus oppositis esse iudicium, atque hoc in relatiuis uerum esse ostendentes. similiter ostenderemus, quòd omne oppositum fiat ex opposito, eo quòd contrarium fiat ex contrario. in problemate autem negatiuo eodem

qui sit iste locus.

Exemplum.

K pacto

pacto procedemus, ut si libeat ostendere, quòd nulla anima sit immortalis, præaccipiemus, quòd de omnibus animabus idem sit iudicium: atque ostendemus, quòd plantarum, & brutorum animæ non sunt immortales: ita enim conficietur nullam animam esse immortalem.

quædã circa contextũ philosophi esse annotanda.

CIRCA philosophi contextum quædam sunt annotanda, & primo, quòd philosophus in hoc loco per multiplicia intelligit æquiuoca. secundo, quòd ut magis connexa appareat oratio philosophi, pars illa:
Hic autem locus conuertitur. usque ad partem eam,
Si autem non lateat, debet transponi, & ad finem textus collocari. tertio notãdum est, quòd philosophus hoc loco per construere intelligit problema tueri uel uniuersale affirmatiuum, uel uniuersale negatiuum: sicuti per destruere intelligit disputare aduersus problema. quatuor notandum est, quòd syllogismi ex suppositione duplices sunt: quidam, qui hypothetici uulgo dicuntur; quidam uero, qui alio nomine appellantur syllogismi ex confessione, de quibus in fine etiam primi libri actum est, ubi ostẽdebat philosophus ad quæ utilis esset similitudinis consideratio.

quid eliciendũ sit ex hoc contextu.

ELICIENDVM autem est ex hoc textu primo, quòd in re multiplici nõ est sine distinctione loquẽdum: alioqui enim redargutione digna erit oratio nostra. secundo eliciendum est, quòd ad destruendum sufficit unum, ad construendum requiruntur multa: & ideo dicit philosophus, quòd si uelimus destruere, non est necessaria probatio ex suppositione, sicuti necessaria est ubi uelimus construere.

difficultates quasdam esse dissoluendas.

CIRCA sextum locum quædam sunt dissoluendæ difficultates. prima est, quomodo dixerit philosophus, quòd solum uti debemus probatione ex suppositione, quando communem in omnibus sermonem efficere non possumus, sicuti facit geometra de triangulo. hoc enim male dictum esse uidetur, cum hic sermo sit de æquiuocis. in æquiuocis autem cum non habeant communem materiã, non possit fieri communis sermo. dicendum est hoc accipi debere in uniuocis, non autem in æquiuocis: sed dices hic esse sermonem de æquiuocis, dicendum est, quòd etsi sermo sit de æquiuocis, tamen, quoniam ostendit philosophus usum probationis ex suppositione, quæ probatio non minus etiam usui est in uniuocis, ideo admonet, quòd hac probatione in ipsis uniuocis uti non debemus, si uniuersaliter probare possimus. secunda est dubitatio, cur ubi latet multiplicitas, instantiam afferre doceat philosophus. ubi autem manifesta est multiplicitas, non uult, ut instantiam afferamus. sed, ut alio modo procedamus, dicendum est hoc fieri, quoniam qui multiplicitatem ignorat, arbitratur id, quod multiplex est, esse uniuocum, & ideo allata instantia ipsum destrui existimat. at ubi multiplicitas est manifesta, nihil prodest instantia, eo quòd in omnibus significatis non est eadem ratio, sicut in uniuocis.

septimus locus ab amphibologia. si orationem ambiguam secũdum aliquod significatum ueram non esse ostẽdamus: neque ita indistincte prolata uera erit.

SEPTIMVS LOCVS.

Rursus quæcunque non secundum æquiuocationem dicuntur. IN huius septimi loci expositione primo philosophi contextum connectemus cum superioribus. secundo explicabimus sententiam philosophi, & locum exercebimus. tertio quædam circa contextum annotabimus.

CONNECTITVR hic locus cum superiori, quoniam eorum, quæ multipliciter dicuntur, quædam penes dictionem sunt multiplicia, quæ appellantur æquiuoca; quædam sunt multiplicia penes significatum, quæ appellantur

ἀμφι-

ἀμφίβολα, uel ambigua. cum ſuperius docuerit philoſophus; quomodo diſſerendum ſit ad problemata, in quibus eſt aliquid æquiuocum: nunc de his agit, in quibus eſt aliquid ambiguum. quæ autem dicit philoſophus, in quinque partes diuidi poſſunt. primo enim proponit locum, explicatq́; appoſito exemplo: ſecundo admonet, an ſemper proſit omnia ſignificata ipſius multiplicis explicare: tertio, quoniam ſicut & in æquiuocis dictum fuit, ambiguitas quandoque latet, quandoque eſt manifeſta; docet, quomodo in his procedendum ſit: quarto, quoniam hic locus & ad conſtruendum confert, & ad deſtruendum, quomodo in conſtruendo procedendum ſit, & quomodo in deſtruendo: poſtremo admonet hunc locum præcipue utilem eſſe in ipſis relatiuis.

ſi autē ipſam in aliquibus ſignificatis eſſe uerā oſtendamus, abſolute quoque ipſam, ut uerā accipere poterimus.

LOCVS autem eſt, quòd conſiderare debemus, utrum in problemate ſit aliquid ambiguum: atque eius ſignificata ſpectare, oſtendereq́; uel in omnibus ſignificatis, uel in aliquibus non ita eſſe, quemadmodum in problemate ſumptum eſt, exempli cauſa, ſi ſit poſitum problema, ſcientiam aliquam eſſe aliquorum plurium, ut quòd medicina ſit ſcientia ſanitatis, & boni habitus, quoniam hæc oratio plurium eandem eſſe ſcientiam eſt multiplex, debemus ipſum diſtinguere. eſt autem eadem plurium ſcientia, uel ut finis, & eorum, quæ ſunt ad finem, quemadmodum domificatiua eſt ſcientia domus, ut finis: & eorum, per quæ domus ſit, ut eorum, quæ ſunt propter finem. eodē modo & medicina eſt ſciētia ſanitatis, ut finis: & eorum, quæ ſunt effectiua ſanitatis, ut uictus rationis, pharmacorum uſtionis, ſectionis, ut finis gratia. ſecundo modo dicitur eandem eſſe plurium ſcientiam, ut finium, ſicuti dicimus contrariorum eandem eſſe ſcientiam, ut medicinam ſanitatis, & morbi; muſicā ſonori, & inſonori; gymnaſticam boni habitus, & mali habitus. qui enim cognoſcit bonum habitum, & malum habitum, non ita ea cognoſcit, ut alterum ſit finis, alterum effectiuum finis, ſed utraque ut fines. ſicut enim bonus habitus eſt finis eorum, quæ boni habitus ſunt effectiua, ita malus habitus finis eſt eorum, quæ mali habitus ſunt effectiua. quare gymnaſtica hæc utraque cognoſcit ut fines, etſi enim gymnaſtica non ſibi proponat malum habitum efficiendum (nulla eſt enim ars præter dialecticam, & rhetoricam, quæ utrunque oppoſitorum intendat) attamen malus habitus eſt finis: neque enim magis bonus habitus finis eſt eorum, quæ ipſum efficiunt, quàm malus habitus eorum, quæ ſunt ipſius effectiua. quare qui hæc cognoſcit, utraque cognoſcit ut fines. tertio modo dicitur eandem eſſe plurium ſcientiam unius quidem per ſe; alterius uero per accidens. quælibet enim ſcientia quædam cognoſcit per ſe, quædam per accidens: per ſe ea, quæ primario conſiderat: per accidens uero ea, quæ his accidunt, ſicuti medicina per ſe quidem eſt ſanitatis: per accidens autem boni coloris, & bonæ reſpirationis, quæ ſanitati accidunt: præterea medicina per ſe quidem cognoſcit eum, in quo uitioſi humores redundant, purgandum eſſe, & ægrotantem leuiter eſſe nutriendum. per accidens autem cognoſcit, quòd hæc exhibenda ſint, ut purgantia, aut illa ut leuiter nutrientia. accidit enim quòd hoc quidem ſit purgans: illud uero leuiter nutriens. eodem modo geometra per ſe quidem cognoſcit triangulum habere tres angulos pares duobus rectis: per accidens autem cognoſcit, quòd æquicrurum, quoniam triangulo accidit, quòd æquicrurus ſit: cum igitur hæc oratio dicens, quòd plurium ſit eadem ſcientia, ſit ita multiplex, ut oſtendimus, ſi poſitum ſit, quòd aliqua ſcientia ſit plurium oſtendentes nos, quòd non eſt plurium, uel in omnibus ſignificatis, uel in aliquibus deſtruemus ipſum problema: & hic diuiſio-

exemplum.

ne illa uti debemus, qua in superiori loco usi sumus. uel enim latet multiplicitas, uel manifesta est. Si latet, consideremus an in omnibus significatis destrui posit problema, uel in aliquibus tantum: si in omnibus destrui potest, aperte distinguere possumus significata: si in aliquibus tantum, non debemus distinctionem explicare, sed solum instantias afferre. si autem ambiguitas nota sit, uel in omnibus significatis destrui debet problema, aut si non posit, ostendendum saltem ipsum non simpliciter esse uerum, ut positum est, sed in aliquo significato uerũ esse, in aliquo falsum: atque ita & problema affirmatiuum destruemus, & problema negatiuum. affirmatiuum quidem, ut si positum esset, quòd medicina sit scientia sanitatis, & boni habitus: si ostendamus, quòd non est horum scientia, ut finis, & effectiui ipsius finis, neque ut duorum finium: neque enim bonus habitus est contrarius ipsi sanitati: neque est finis eorum, quæ salubribus opponuntur. semper autem quando aliqua scientia plurium est, ut finium illa plura sunt contraria: neque est unius per se, alterius per accidens: neque enim sanitati accidit bonus habitus, non igitur medicina est scientia sanitatis, & boni habitus. eodem modo destrueremus, quòd domificatiua sit scientia domus, & sanitatis pariter destrueremus, quòd rhetorica sit iusti scientia, ostendentes enim quòd non est scientiæ iusti, ut finis, neque ut effectiui ipsius finis: neque enim ipsum iustum finis rhetoricæ est effectiuum, sed neque est scientia iusti per accidens, neque enim iustum accidit fini rhetoricæ. problema hoc destruemus, quòd rhetorica sit iusti scientia: eodem modo si in problemate ponatur eundem esse appetitum aliquorum plurium, ostendentes nos, quòd non sit, neque ut finis, & eorum, quæ gratia finis: neque ut per se, & per accidens problema destruemus. est autem appetitus, ut finis, sicut est in ægro appetitus sanitatis. eorum uero, quæ sunt gratia finis, ut in eodem est appetitus medicamenti, sectionis, aut ustionis. ideo enim hæc appetit, quia per hæc efficitur sanitas. est autem appetitus plurium per se, & per accidens, quemadmodum si dicamus, quòd qui dulcibus delectatur appetens uinum dulce, appetat uinũ, & appetat dulce: sed dulce quidem per se, uinum uero per accidens. accidit enim ei, quòd ipse appetit esse uinum, quod enim non appetat uinum quatenus uinum, sed quatenus dulce est. signum est, quòd austerum uinum non appetit, quamuis etiam austerum uinum sit: præterea quòd alia etiam dulcia, quæ uinum non sunt, eodem modo appetit. negatiuum etiam problema destrueremus (quod construere est) ut si positum esset problema, quòd medicina non sit scientia sanitatis, & boni coloris: ostendemus, quòd est sanitatis quidem per se, boni uero coloris per accidens. Notandum autem, quòd non semper prodest omnia significata ipsius ambiguæ orationis explicare; sed solum explicari debent ea, quæ nobis utilia sint. si enim propositum nobis sit construere problema, ea solum significata explicabimus, in quibus propositum probare possumus, cetera prætermittemus. etsi uelimus problema destruere, ea solum significata sunt explicanda, in quibus ostendere possumus non inesse, quod sumptum est inesse. ut si probare uelimus, quòd medicina sit scientia sanitatis, & boni coloris, ostendemus, quòd eadem scientia dicitur plurium, quando unius est per se, alterius per accidens: & quòd medicina est sanitatis per se, boni coloris per accidens; contra uero si hoc problema uelimus destruere, quòd medicina sit scientia boni habitus, & boni coloris, assumemus, quòd eadem scientia plurium dicitur; uel ut finis, & eorum, quæ sunt gratia finis; uel ut finium. ostendemusq; quòd medicina neutro modo est scientia boni habitus, & boni coloris: itaque propositum concludemus.

quid notãdũ.

annotauit

annotauit demum Aristoteles, hunc locum utilem esse in relatiuis. confert enim in his, quæ plurium esse dicuntur. aliquid autem aliorũ dici, ad aliquid est: unde omnia etiam exempla allata sunt ad aliquid.

Circa contextum philosophi quatuor præcipue sunt annotanda. primo, quòd in principio, ubi dicit, quatuor esse annotãda circa contextũ philosophi.

Rursus, quæ non secundum æquiuocationem dicuntur multipliciter, sed alio modo. multa uerba deficiunt, quæ subintelligenda sunt ex sexto loco. supplere enim debemus. positum autem sit, quod inest, aut non inest alterum demonstrare eorum, quæ multipliciter dicuntur, si utrunque non contingat. Secundo, quoniam dicit philosophus, geometram per se quidem cognoscere, quòd omnis triangulus habeat tres angulos pares duobus rectis. per accidens autem, quòd æquicrurus triangulus, eo quòd æquicrurus accidat triangulo. mirum uideri posset, quomodo species dicatur accidere generi, dicendum est, quod accidens dupliciter accipi solet; uel quòd distinguitur à substantia, & nouem prædicamenta complectitur; uel quòd non est de rei essentia, & hoc modo hic loquitur philosophus. cum enim species non sit de essentia generis, ipsi dicitur accidere, hoc etiam modo dictum fuit in prædicamentis hominem accidere dominio, & secundo de anima albo accidere diarii filium.

Tertio notandum est, quòd uerba illa,

Diuidere autem quotupliciter utile est. dupliciter exponuntur. prima expositio est, ut hoc documentum accipiamus de proposito exemplo. cum enim, sicuti diximus, pluriũ eandem esse scientiam, tria habeat significata, non semper hæc omnia debemus explicare, sed ea, quæ possimus construere aut destruere. Alia est expositio longe melior, ut non de hoc particulari exemplo, sed de omnibus, quæ hoc loco tractari possunt, intelligamus. pleraque enim alia sunt præter ea, quæ diximus scientiam scilicet, & appetitum, quæ pluriũ esse dicuntur, quòd innuere uoluit philosophus illis uerbis, uerba philosophi dupliciter exponenda.

Et quæcunque alia plurium dicuntur. exempli causa, scire omnia dupliciter dicitur, uel scilicet uniuersaliter, & secundum commune id, quod in omnibus reperitur; uel secundum omnia particularia. uniuersaliter scimus quòd omnes. qui plura accipiunt suffragia, uicerunt, & scit uniuersaliter geometra, quòd omnis triangulus habet tres angulos pares duobus rectis: secundum autẽ particularia scimus, exempli causa, quòd omnia animalia hic existentia homines sunt. cum igitur cognoscere omnia dupliciter dicatur, si uelimus eum refellere, qui dicit se scire, quòd omnes, qui plura retulerunt suffragia, uicerunt, debemus ad aliud significatum orationem deducere, & aliquem proferre, quem ipse non cognouerit: hunc quidem non cognoueras, non ergo omnes, qui plura retulerunt suffragia, uicisse sciebas. eodem modo obiici poterit, si quis uelit refellere aliquem scire, quòd omnis triangulus habeat tres angulos pares duobus rectis, cuius rei meminit Aristoteles in primo Posteriorum, & Theophrastus in libro suo de his, quæ multipliciter dicuntur, proferet enim aliquem absconditum triangulum dicens, hunc quidem triangulum non nosti, neque igitur sciebas, quòd haberet tres angulos duobus rectis pares, non ergo sciebas, quòd omnis triangulus habeat tres angulos duobus rectis pares. soluuntur autem hæc argumenta ex distinctione prius relata. alia præterea sunt, quæ plurium esse dicuntur, ut sensus. plurium enim est sensus aliorum quidem propriorum, aliorum uero communium, & aliorum per accidens. eodem modo causa plurium dicitur, uelut efficiens, uelut finis, uelut materia, uelut forma: atque hinc ostendere poterimus, quòd auditus colores non cognoscit; neque enim ipsos cognoscit, ut sensibi

obiectio.

solutio obiectionis.

le

se proprium, neque ut commune, neque ut per accidens; neque enim sono accidit color: pariter ostendemus uacuū non esse caussam motus. cum enim caussa quadrupliciter dicatur, uacuum nullo modo potest esse caussa motus.

OCTAVVS LOCVS.

octauus locus à transmutatione nominis. aliquando nomen eius, quod est in quæstione positum, mutandum est in aliud, quod idem significare uideatur. sed aptius sit ad propositum demonstrandū.

Amplius transferre ad euidentius nomen. In hoc loco tradendo philosophus primo exponit locum allatis exemplis: deinde ostendit ipsum esse constructiuum, & destructiuum.

VT AUTEM hunc locum explicemus, primo dicendum, quinam sit locus iste; deinde eius usus est ostendendus tum in destruendo, tum in construendo. locus igitur est ex transumptione nominis, quòd scilicet debemus nomen in problemate existens ad nomen notius transmutare: itaque tentare argumentari. facilius enim hoc modo transmutantes nomen poterimus construere, & destruere. si enim destruere uelimus, exempli causa, & ostendere, quòd sapiens non est curiosus, curiosi nomen transmutabimus in cupidum superfluarum rerum. (ita enim licet minus apte dicimus, quòd dicunt Græci πολυπράγμονα, καὶ φιλοπράγμονα.) hoc enim nomen curiosum nondum culpam aliquā uidetur significare. illa enim dicitur curiosus, qui in multis negociis uersatur. hoc autem fieri potest absque nota, at esse cupidum superfluarum rerū affectionem quandam, & studium immiscendi se in plurimis negociis significat, & ea cognoscendi, quæ non deceat, quòd sine uitio esse non potest, ac perinde à sapiente alienum est. eodem modo poterimus ostendere, quòd sapientum opiniones non sunt ueræ, transmutantes nomen uerum ad certum, & exactum, ostendentesq;, quod omnis opinio sapientis est exacta, eo quòd exactum significare uidetur, quòd ex necessariis constat. pleræque autem sapientum opiniones de rebus contingentibus sunt, non ergo omnis opinio sapientis est uera. eodem modo ostendere poterimus sapientem non esse temperantem, transmutantes hoc nomen, in hoc nomen continentem. Si in hoc nomine continente potentiæ animæ non consonant inter se, sed pars appetitiua rationali repugnat, quantum potest licet ab ea coerceatur. in sapiente autem potentiæ animæ consonant inter se, ergo sapiens non est continens, quare neque temperans, cum idem sit temperantia, & continentia. si autem uelimus construere, id est affirmatiuam partem probare, ostendere poterimus sapientem esse cupidum superfluarum rerum, transmutantes hoc nomē in curiosum, ostendentesq;, sapientem esse curiosum, eo quòd corruptibilium omnium rerum cælestium, & immaterialium naturam perscrutetur, & inquirat. si igitur curiosus est, ergo est superfluarum rerum cupidus, quòd si uelimus probare omnes sapientum opiniones esse exactas, quoniam hoc nomen exactum non suppeditat nobis argumenta, ideo ipsum transmutabimus in uerum, ostendemusq;, quòd omnes sapientum opiniones sunt ueræ: non enim est sapiens, qui falso opinatur, si sunt ueræ, ergo sunt exactæ, cum exactum, & uerum idem sit. pariter ostendemus ipsum sapientem esse continentem, transmutantes continentiam in hoc nomen temperantiam. si enim in sapiente est consensus quidam potentiarum animæ: consensus autem potentiarum animæ est temperantia, ergo sapiens est temperans, quare & continens. facile enim admittetur hæc ratio ab eo, qui nesciat, quid differat continentia à temperantia. hoc loco usus est Demostenes in oratione de Alonesso persuadere uolens Atheniensibus, ne gratias haberent Philippo pro insula ab ipso recepta, quam scilicet cum ab Atheniensibus possideretur,

pyratæ occupauerant, & expulsis pyratis Philippus obtinuerat. mutauit enim Demosthenes uerbũ dedit, in uerbum reddidit. hoc etiam loco usus est Thucydides cum in libro tertio in oratione Cleonis apud Athenienses inducens Cleonem excitantem Athenienses aduersus Mithyleneos mutauit uerbum ἀπόστασιν in ἐπανάστασιν. est autem ἀπόστασις, ut ait Thucydidis interpres, quã do aliqui aliquid mali passi deficiunt. ἐπανάστασις uero quando aliqui honorati, & nulla iniuria affecti seditionem, & inimicitiam exercent aduersus eos, qui nulla iniuria affecerunt. & hic notandum est apud Alexandrum legi debere ex Thucydide ἐπανάστασιν, non autem ut legitur μετανάστασιν: nisi forte uelimus dicere, quòd Alexander idem uoluerit per μετανάστασιν. sed non curauit idem prorsus uerbum referre. Communis etiam loquendi consuetudo hac nominis transumptione crebro utitur, ut cum mutamus diuidere in dilacerare, comedere in deuorare, ridere in cachinari. præterea & cum astutum prudentem appellamus, & audacem fortem, & uituperare uolentes mitem appellamus inertem, & liberalem prodigum, & qui parcus est, & gubernandæ familiæ peritus, appellamus illiberalem, & auarum. hoc modo Callicles apud Platonem in Gorgia temperantes appellat stolidos, & sensus expertes.

demosthenẽ, & Thucydidẽ mutasse uerbum in alium uerbum.

CIRCA hunc locum notandum est, quòd ubi dicit philosophus transmutare in notius nomen, per notius non intelligit id, quod sit magis manifestum. ita enim idem esset notius, & ignotius, ut cum probamus sapientem esse continentem: & cum rursus probamus sapientem non esse temperantem, sed per notius intelligit id, quod nobis est aptius ad deducendum argumentum aduersus problema.

NONVS LOCVS.

HIC philosophus locum proponit, simul & docet, quando ipso debeamus uti: deinde exemplum quoddam affert.

LOCVS est, ut cum aliquid de specie probare uolumus ad genus confugiamus, sub quo species illa continetur. hoc autem faciendum est, quando propositum est ostendere contraria eidem inesse, ut si probare uelimus, quòd circa sensum sit rectitudo, & peccatum, quoniam sentire est quoddam iudicare. iudicamus enim non solum sensu uerum, & intellectu, ideo iudicium erit genus ipsius sensus. cum autem in iudicio sit rectitudo, & peccatum, aliquando enim recte, aliquando perperã iudicamus: ideo & circa sensum hæc erunt. rursus si probare uelimus, quòd in opinione sit ueritas, & falsitas, quoniam opinio est species existimationis, ostendentes, quòd generi insunt hæc contraria, ostendemus, quòd insunt etiam opinioni.

nonus locus est à genere. à genere ad speciem licet argumentari negatiue, nõ autem affirmatiue.

DECIMVS LOCVS.

Rursum ex specie genere, etc. IN hoc loco tradendo philosophus primo proponit locum, atque exemplum affert: deinde comparat hunc locum cum superiori: ostenditq; priorem illum non conferre ad construendum, sed ad destruendum: hunc uero conferre ad construendum. non autẽ ad destruendũ. EST autem locus, quòd si uelimus de genere aliquid probare, debemus species sub eo genere contentas inspicere. si enim alicui speciei cõuenit id, quod generi uolumus attribuere, patet, quòd generi etiam conueniet. exempli causa. si quæratur, utrum dispositio sit studiosa, & praua, inuenientes hæc ambo in aliqua specie dispositionis, ostendemus, quòd ipsi etiam dispositioni

decimus locus à specie. à specie ad genus licet argumentari affirmatiue, non autem negatiue. et hoc intelligatur, quãdo genus, & species sũt prædicata propositionum.

ni insunt,ut quoniam ars est species dispositionis. (dispositio enim est genus, quod complectitur scientias, artes, & uirtutes) & uidemus, quòd arti inest studiosum, & prauum. quædam enim sunt artes studiosæ, quædam prauæ; inerit igitur & dispositioni, quæ est genus artis studiosum, & prauum. Notandum autem est,quòd etsi à genere procedatur ad speciem, ut docuit superior locus, & à specie ad genus, ut in hoc dictum fuit, prior tamen locus non est aptus ad construendum: aptus autem est posterior. ad destruendum autem prior est aptus, posterior ineptus: prior quidem non est aptus ad construendum, quoniam non est necesse, ut quæcunque generi insunt, speciei etiam insint. quæ enim insunt generi, quædam per se insunt, quædam uero ei accidũt, per se insunt generi, quæ eius definitionem ingrediuntur. ipsi uero accidere dicuntur omnia suarum specierum accidentia, & omnes differentia, licet essentiales sint, ut animali accidit album, quoniam cygnus animal existens albus est, pariter ipsi accidit rationale, quoniam homo animal existens rationalis est. quæcunque igitur per se insunt generi, & in eius substantia sunt, omnia insunt & speciei, ut quoniam animal est mixtum uiuens, & sensitiuum, ideo & homo: & ratio est, quoniam genera uniuoce prædicãtur de speciebus. at uero quæcunque accidunt generi, non etiam necesse est,ut unicuique speciei insint: etsi enim animali insit album, quoniam cygnus albus est, non iccirco est necesse, ut coruus albus sit. contraria autem generi insunt, ut accidentia. neque enim posibile est, quòd in substantia alicuius insint contraria, sed quoniam eorum, quæ sub genere sunt, quædam sunt alba, quædam nigra, quædam bona, quædam praua: ideo hæc contraria generi dicuntur inesse. non igitur sufficit ad ostendendum, quòd speciei contraria insint ostendere, quòd insint generi, eo quòd contraria generi accidunt. at uero quæcunque generi per se insunt, omnia speciei etiam inesse necesse est: ita igitur patet superiorem locum non esse aptum ad construendum. quare autem hic posterior locus aptus sit, ratio est, quoniam quæcunque insunt speciei, necesse est, ut generi etiam insint, cum species sub genere sit, at in destruendo prior locus à genere, scilicet ad speciem aptus est. quòd enim non inest generi, neque speciei inest. si enim non est animal, neque homo est,aut leo: procedere autem à specie ad genus destruendo non possumus. quadrupes enim non inest homini, inest tamen animali; & ratio est, quoniam genus fusius est, & in plusquam species. si quid igitur non inest ei, quod est in plus,neque ei inerit, quod est in minus. at si quid huic inest, & illi inerit.

quid eliciendum. HINC igitur elicitur, quòd à genere ad speciem ualet consequentia negatiue, non autem affirmatiue. contra uero à specie ad genus ualet argumentũ affirmatiue, non autem negatiue. sed contra has regulas sunt arduæ difficulcultates. primo enim, quòd à genere ad speciem non procedat illatio negatiue: probatur, quoniã hæc potest esse uera, animal non currit, cane, exempli causa, non currente; tamen non licebit inferre, ergo homo non currit. secundo quòd à genere ad speciem procedat illatio affirmatiue, patet: ualet enim, omne animal currit, ergo omnis homo currit. tertio quòd à specie ad genus non liceat procedere affirmatiue, patet, quia non licet dicere, homo est sub animal, ergo animal est sub animali. quarto quòd à specie ad genus liceat procedere negatiue, patet, quia possumus dicere, homo non currit, ergo animal non currit. ita igitur omnes hæ quatuor regulæ destruũtur.

quid notãdũ. ut hæ difficultates dissoluantur, notandum est, quòd hic sermo est de propositionibus impræfinitis, non autem de præfinitis. et quoniam impræfinitæ aliæ sunt negatiuæ, aliæ affirmatiuæ, ipsarum affirmatiuarum, ut constat, eadem

dem ratio est, cum ipsis particularibus. negatiue autem impræfinitæ hoc loco accipiuntur pro uniuersalibus: neque hoc mirum est, quemadmodum enim in ipsis particularibus si negatio applicetur uerbo, efficitur particularis negatiua; si autem applicetur præfinitioni, uel actu, uel potestate, efficitur negatiua uniuersalis. idem contingit in impræfinitis: si enim negatio intelligatur adiecta uerbo, æquipollet particulari: si autem intelligatur adiecta præfinitioni, æquipollet uniuersali. hic igitur quoniam sermo est de ipso genere simpliciter, ideo negatio intelligitur adiecta præfinitioni: atque ideo fit, ut uniuersali negatiuæ æquipolleat. his suppositis facile soluentur obiectæ difficultates, cũ enim primo dicitur illationẽ illam non ualere, animal non currit, ergo homo non currit, supposito canem currere. Dicendũ est, quòd non ualet, quoniam antecedens est falsum acceptum, sicut hoc loco accipi debet, scilicet pro uniuersali negatiua. Ad secundum cum dicitur ualere, omne animal currit, ergo omnis homo currit. Dicendum est, quòd hic non est sermo de propositionibus præfinitis, præcipue de uniuersali affirmatiua, & de particulari negatiua: de aliis enim est sermo per accidens, quoniam scilicet his impræfinitis, de quibus loquimur, æquipollent. Ad tertium cum dicitur non ualere, homo est sub animali, ergo animal est sub animali. Respõdet Alexander, quòd immo ualet, quoniã aliquod animal est sub animali. cum enim homo sit quoddam animal, & sit sub animali, ergo quoddam animal est sub animali. Ad quartum ubi dicitur ualere, homo non currit, ergo animal non currit. Dicendum est, quòd accipiendo impræfinitam negatiuam, sicuti diximus ipsam accipi debere, quòd nullo modo hæc illatio procedit.

HAEC quidem probabiliter dici possunt pro solutione dictarum difficultatum: sed longe melius dicere possumus, quòd hic intelligendum est, genus, & speciem esse prædicata, non autem subiecta, quòd ostendit & propositum, & exempla Aristotelis. si autem sint prædicata absque aliqua dubitatione procedunt traditæ regulæ, quòd scilicet à genere ad speciem proceditur: argumentum negatiue, ut lapis non est animal, ergo non est homo, nõ autem affirmatiue. non enim ualet, est animal, ergo est homo. à specie uero ad genus procedit illatio affirmatiue, ut est platanus, ergo est arbor, non autem negatiue, quia non ualet, non est platanus, ergo non est arbor. at ubi genus, & species accipiuntur pro subiectis propositionis, tunc uel propositiones sunt præfinitæ, uel impræfinitæ: si sint præfinitæ, dicendum est, quòd ab uniuersali affirmatiua, uel negatiua de genere ad uniuersalem de specie procedit illatio. ab uniuersali autem affirmatiua, uel negatiua de specie procedit illatio, non ad uniuersalem de genere, sed ad particularem. à particulari autem affirmatiua, uel negatiua de specie ad particularem de genere procedit illatio, non autem è conuerso. de impræfinitis autem eadem est ratio, sicut de particularibus.

EST alia difficultas, quòd uidetur philosophus sibi ipsi contradicere, cum in superiori loco dixerit, posse nos procedere à genere ad speciem affirmatiue, ut in dispositione est rectitudo, & peccatum, ergo & in scientia: in posteriori uero loco hoc negat.

DICERE possumus, quòd philosophus corrigit, quod ibi dictum fuerat, uel quòd dictum illud probabile est, & aliqua ex parte uerum. hoc autem omni ex parte uerum, & exactum.

LOCVS VNDECIMVS.

Locus undecimus à prædicationeſpecierum. cuicunque attribuitur aliquod genus accidéris, neceſſe eſt & aliquam eius ſpeciem attribui.

Quoniam autem neceſſe eſt quorum genus prædicatur. QVAE dicit philoſophus in tradendo hoc loco, in quatuor partes diuidi poſſunt. primo declarat propoſitionem quandam ad loci intellectionem & uſu neceſſariam, quæ eſt, quòd ſi genus alicui ineſt, neceſſe eſt, ut eidem aliqua eius ſpecies inſit. ſecundo locum exponit, ſimulq; exemplum affert. tertio admonet hunc locum eſſe conſtructiuum, & deſtructiuum. quarto documentum quoddam affert. quòd ſi non poſsimus dignoſcere, utrum ſpecies aliqua inſit ei, de quo genus dicitur, quod ad definitiones deueniamus.

PROPOSITIO igitur ad hunc locum neceſſaria eſt, quòd de quocunque genus prædicatur de eodem, aliquam eius ſpeciem neceſſe eſt prædicari. Et ratio eſt, quoniam genera non habent ſuum eſſe per ſe ipſa, ſed in ipſis ſpeciebus, de quibus prædicantur: neque poteſt genus ſubſiſtere ſpecie aliqua non exiſtente. cum autem tribus modis genus alicui tribui poſsit uel eſſentialiter, ut hoc corpus eſt animal; uel accidentaliter, ut hoc corpus habet colorem, aut huic corpori ineſt color; uel denominatiue, ut hoc corpus eſt figuratum: ideo quomodocunque genus attribuatur, ſemper oportet, quòd aliqua etiam eius ſpecies prædicetur. ſi enim hoc corpus eſt animal, oportet, ut ſit uel equus, uel canis, uel alia ſpecies animalis. et ſi habet colorem, oportet, ut uel albedinem habeat, uel nigredinem, uel aliam coloris ſpeciem. et ſi figuratum eſt, ut ſit uel ſphæricum, uel cubum, uel alia ſpecie figuræ formatum. Sed dicet quis non eſſe uerum, quòd de quo genus eſſentialiter prædicatur, de eodem prædicetur aliqua ſpecies: de equo enim prædicatur animal, de quo non prædicatur aliqua animalis ſpecies: idem enim prædicaretur de ſe ipſo. Reſpondet Alexander, exceptionem quandam adducens, quòd ſi genus eſſentialiter prædicatur de aliquo, de eodem prædicatur etiam aliqua ſpecies, dummodo illud non ſit ſpecies propinqua eius generis: uel dicit, quòd de hac etiam poſſumus dicere, ſpeciem aliquam prædicari, idem ſcilicet de ſe ipſo. Notandum tamen eſt, quòd etſi hæc propoſitio ſemper uera ſit, quòd de quocunque prædicatur genus, de eodem prædicatur aliqua ſpecies, uel genus prædicetur eſſentialiter, uel accidentaliter, uel denominatiue; tamen cum hoc loco loquatur philoſophus de prædicatis accidentalibus, ideo ad præſentem conſiderationem non confert primum illud membrum, quando genus prædicatur eſſentialiter. hæc igitur eſt propoſitio, quæ eſt neceſſaria pro intellectione, & uſu huius loci.

obiectio.

reſponſio Alexandri.

LOCVS autem eſt, quòd ubi in problemate aliquo genus attribuitur alicui, debemus ſpectare ſpecies illius generis: & ſi oſtendamus nullam ſpeciem de eo prædicari, problema deſtruemus. ſi oſtendamus aliquam prædicari, ipſum conſtruemus, exempli cauſa, ſi poſitum ſit problema, quòd anima ſit numerus ſe ipſum mouens ſecundum Xenocratem, aut quòd ſit ſubſtantia per ſe mobilis ſecundum Platonem, uel potius (quoniam hæc problemata ſunt potius definitioni annexa, ut in quibus quæratur, utrum illæ ſint animæ definitiones) ſi ſit problema, utrum animæ, quæ ſubſtantia eſt, accidat moueri. ſi ipſum uelimus deſtruere, diſtinguemus ſpecies motus, oſtendemusq;, quòd nulla motus ſpecie mouetur: neque enim augetur anima, quoniam id, quod augetur aliquo addito augetur, quòd eſt extra ipſum auctum: præterea id, quod augetur, tranſmutatur à propria ſubſtanria, & ab eo, quod erat prius: ſed neque minuitur, neque generatur, neque corrumpitur, neque loco mouetur, eo quòd nihil incorporeum pati poteſt: ſed neque alteratur, quoniã altera-

ſecundũ Xenocratẽ animam eſſe numerum ſeipſum mouentem. ſecundũ uero Platonẽ eſſe ſubſtantiam per ſe mobilem.

alteratio est secundum sensiles qualitates, quas anima, quæ est incorporea, suscipere non potest. at si hoc problema uelimus cōstruere, quòd anima moueatur, ostēdemus ipsam irasci, tristari, lætari, discere, recordari, & opinari: hæ autem sunt alterationes quædam. ita si uelimus probare, quòd Deus non sit perturbationum capax, cum præcipue perturbationis species sint lætitia, tristitia, species, & timor: lætitia quidem ex præsenti bono; spes uero ex futuro; tristitia ex præsenti malo; ex futuro autem timor. si igitur ostendamus nullam harum perturbationum inesse Deo, probabimus Deum omnino non affici, aut perturbari.

SED quoniam plerunque contingit, ut ex huiusmodi inspectione specierū nondum possimus propositum probare, quia scilicet æque difficile sit probare, quòd aliqua species insit, uel non insit, sicuti quod genus: ideo ubi hoc contingat, debemus deuenire ad definitiones ipsarū specierum. facile enim est ex definitionibus argumentari: & quoniam plerunque contingit, quòd si unam tantum habeamus definitionem, non possumus aliquid probare; ideo studere debemus, ut plures definitiones eiusdem rei habeamus: & si non omnes ueras (quoniam unius rei una tantum definitio potest esse uera) probabiles saltem. ubi enim non tractare de rebus ex rei natura, sed tantum disputare propositum est, probabiles definitiones non minus aptæ sunt, quàm ueræ, & exactæ, exempli causa, si nequeamus uidere, utrum aliqua species motus, utputa alteratio animæ insit, definiamus alterationem, ut quòd alteratio est transmutatio secundum sensibiles qualitates, & si hæc definitio non profit ad construendum, uel destruendum propositum, alias inquiramus. Alexander autem uult definiendum esse ipsum genus propositum, non autem ipsas species.

CIRCA contextum philosophi primo notandum est, quòd ubi dicit, de quibus genus prædicatur, per hoc intelligit, ubi genus de aliquo essentialiter prædicatur: deinde alia duo membra enumerat, uel dicamus, quoniam ad hunc locum non pertinet, ubi genus essentialiter prædicatur, quòd uerba illa uniuersaliter dicta sint: & quòd postea exponat, quando genus accidentaliter prædicatur, & quando denominatiue consulto prætermittens, ubi prædicatur essentialiter, eo quòd ad hunc locum non conferat, sed meliorem esse primam expositionem indicant exempla philosophi. secundo notandum est, quòd philosophus enumerans species motus, enumerat etiam generationem, quæ tamen non est motus, sed mutatio: sed ipse utitur nomine motus communius accepto. tertio notandum est, quòd pars illa, *Non abundanti autem*. alio etiam modo exponitur ab Alexandro, quòd scilicet philosophus tradat alium locum, qui fere idem est cum tertio ubi docebat, quòd definitiones efficeremus tum accidentis, tum eius, cui accidit. sed diceret quis, quare eundem locum bis tradit philosophus. respondet Alexander, quòd non est omnino idem. hic enim præcipue docet, quòd pluribus eiusdem rei definitionibus abundare conuenit, ut ex ea, quæ proposito nostro utilis est. destruere aut construere problema possimus, exempli causa, si construere uellemus, quòd infinita sint æqualia, quoniam æqualis plures possunt esse definitiones: aliis prætermissis eam accipiemus, quòd æqualia illa sunt, quæ se mutuo non excedunt, cum autem infinita non excedant se mutuo: erunt igitur æqualia. si autem idem problema destruere uelimus, aliam definitionem accipiemus, ut quòd æqualia sunt, quorum sunt æquales mensuræ. cum autem infinita nullam habeant mensuram, non erunt igitur æqualia. ita quoque probare possemus uoluptatem non esse bonum definien-

quid notandum circa cō textum philosophi.

obiectio. respōsio Alexandri.

do ipsam, quod est irrationalis quædam animæ effusio, aut quòd est motus quidam leuis. probaremus autem ipsam esse bonum, definiendo eam, quòd sit actus propensionis cuiusdam naturalis, quæ impediri non potest, cum ea, quæ sunt secundum naturam, bona sint: sed melior est alia expositio, quam nos secuti sumus, quòd hic non tradatur nonus locus, sed sit par undecimi loci.

LOCVS DVODECIMVS.

Locus duodecimus ab antecedéti-bus, & consequentibus. si id, quod propositũ antecedit, sit ipsum quoque esse, necesse est. si id, qđ propositũ cõsequitur, nõ sit, ipsũ quoque propositum nõ erit.

Hic philosophus primo locum exponit: deinde docet, quomodo ipso uti debeamus tum in construendo, tum in destruendo.

Locvs quidem est, quòd oportet considerare illa, quibus positis necessario ponitur propositum, quæ antecedentia dicuntur: præterea illa, quæ si propositum ponatur, necessario ponuntur, quæ appellantur consequentia. primus quidem modus confert ad construendum: secundus autem confert ad destruendum. primus quidem confert ad construendum, quoniam si antecedens sit, necesse est esse consequens: hoc autem est ipsum propositum problema. secundus autem confert ad destruendum, quoniam si consequens non sit, antecedens esse impossibile est. quare si uelimus ex hoc loco construere aliquod problema, ut quòd uoluptas sit bonum, inquirendum est aliquod, ad quod sequatur hoc nostrum propositum, ut quòd uoluptas sit secundum naturam. si enim hoc demonstremus, demonstratum erit & propositum, quòd consequitur illud antecedens hoc modo, Plato in Menone ostensurus, quòd uirtutes doceri possint, assumpsit quoddam, ad quod hoc consequatur, quòd scilicet uirtutes sint scientiæ. hoc autem antecedens ita probauit, qui secundum animam est optime dispositus, conuenientium omnium, & conducibilium sciẽtiam habet: qui autem uirtutem possidet, optime est secundum animam dispositus. qui igitur uirtutem possidet, conuenientium omnium, & conducibilium scientiam habet. uirtus igitur est conuenientium omnium, & conducibilium sciẽtia. hoc loco rhetores etiam plerunque utuntur: quempiam enim homicidii forte accusantes ostendere conantur, quòd ei fuerit inimicus, quòd ei insidiatus fuerit, quòd eo in loco ac tempore armatus uisus fuerit. si autem uelimus destruere, inquiremus aliquid, quòd consequatur id quod propositum est destruere: atque ostendemus illud non esse. hinc enim consequetur, neque propositum esse posse, ut si probare uelimus, quòd non omnis uoluptas sit bonum, quoniam ad hoc consequitur, quòd latronum, & ebriorum uoluptates sint bonum, si ostendamus hoc non esse, id etiam destruemus, quòd omnis uoluptas sit bonum: ita si probare uelimus, quòd diameter sit lateri incommensurabilis, quoniã ad hoc consequitur, quòd imparia paribus sint æqualia: ideo hoc consequẽs destruentes, propositum etiam destruemus.

hic annotandas esse regulas.

Hic autem annotandæ sunt regulæ illæ, quibus hic locus inniti uidetur, quod à positione antecedentis ad positionem consequentis ualet argumentum: & quòd à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, quæ intelligendæ sunt ubi inter antecedens, & consequens sit necessaria connexio.

DECIMVSTERTIVS LOCVS.

Hic philoſophus & locum proponit, & ipſum duobus exemplis explicat. Locus eſt deſtructiuus, quòd quando poſitum eſt aliquid, aliud quid ex neceſſitate conſequi debemus conſiderare, num ſecundum tempus diſſentiant, ita ſcilicet, ut aliquo tempore alterum eorum ſit altero non exiſtente. ita enim problema deſtruemus, exempli cauſa, ſi poſitum eſſet, quòd nutritum neceſſario augeatur. ſi oſtendamus quædam animalia aliquando nutriri, & non augeri, ſicuti ſunt ſceneſcentia animalia, problema deſtruemus: ita ſi poſitum eſſet, quòd addiſcere neceſſario conſequatur meminiſſe, oſtendẽtes nos, quòd qui addiſcit, quandoque non meminit, problema deſtruemus. hoc autẽ ex eo oſtendemus, quòd memoria eſt ſolum præteritorum: ſcientia autem & præſentium, & futurorum. Aſtrologus enim futuræ eclipſis ſciẽtiam habet, ita etiam oſtendimus, quòd ſenſus non eſt ſcientia, eo quòd ſenſus ab ortu ſit. ſcientia autẽ poſterius: & quòd appetitus non eſt electio, quia appetitus, ſicut & ſenſus à natiuitate ſit: electio autem poſterius: & quòd ſentire non eſt eſſe ſenſitiuum, eo quòd dormientes etiam ſunt ſenſitiui, non tamen ſentiunt.

Locus decimus tertius ex tempore. ſi aliquid p̃dicatum aliquo tempore non conſequitur ſubiectum, neque ex neceſſitate ipſum cõſequetur.

Hic autem eſt notandum, quòd cum antecedens, & conſequens dupliciter accipiantur uno modo pro propoſitionibus, ut ſit antecedens propoſitio, quæ præcedit notam illationis; uel quæ particulæ conditionali propinquior eſt: conſequens eſt propoſitio, quæ ſequitur notam illationis; uel quæ à particula conditionali remotior eſt, alio modo accipiuntur antecedens, & conſequens pro terminis, ut antecedens ſit ſubiectum, prædicatum ſit conſequens. In ſuperiori loco philoſophus primo modo ipſa accepit: hic autem ſecundo modo, ut omne nutritum ex neceſsitate augetur.

DECIMVSQVARTVS LOCVS.

Amplius ſophiſticus modus eſt ducere ad id. Quæ in hoc loco tradendo dicit philoſophus, in quinque partes diſtinguntur. primo proponit locum: deinde oſtẽdit, quando orationis mutatio ſit neceſſaria: tertio, quando neceſſaria quidem non ſit, apparet tamen neceſſaria: quarto, quando neque ſit, neque appareat neceſſaria: ultimo, quòd ab hoc ultimo modo cauendum eſt, & quo modo confundendi ſint, qui ita digrediuntur.

Locus decimus quartus ex digreſſione, ſeu ex orationis tranſmutatione, quandoque transferre debemus diſputationẽ ad id, ubi argumentis abundamus.

Locvs autem eſt tranſmutare orationem, ſeu diſputationem ab ipſa propoſita quæſtione ad alia quædam, ubi argumentis, & probationibus abundemus. atque hæc tranſmutatio quandoque eſt neceſſaria, quandoque neceſſaria quidem non eſt; uidetur autem neceſſaria. alias uero neque eſt, neque uidetur neceſſaria: qui modus eſt omnino ſophiſticus: neceſſaria quidẽ eſt tranſmutatio, quando interrogante dialectico propoſitionem aliquam conferentem ad demonſtrandum propoſitum reſpõdens eam non admittit: quare digredi oportet ad hanc propoſitionem confirmandam. contingit autem, quòd pro huius confirmatione argumentis plurimum poſsit, exempli cauſa, ſi quis hoc problema conſtruere uolens, quòd omnis uoluptas ſit bonum ad hoc confirmandum aſſumat, quòd omne, quod eſt ſecundum naturã, bonum eſt: is autem, qui reſpondet, & diſputationem ſuſtinet, non admittat hanc propoſitionem: quare neceſſe ſit interrogantẽ eam probare, quòd efficere poterit hoc modo, quod eſt unicuique præter naturam, eius eſt corruptiuum, & malum. ſi igitur quod eſt præter naturam eſt malum, ergo quod

eſt

est secundum naturam est bonum. si enim unum contrarium de uno contrario dicitur, alterum quoque contrarium de altero contrario dicitur. hæc enim transmutatio orationis est necessaria, ut patet, quoniam nisi hoc admittatur, quòd ea, quæ secundum naturam sunt, bona sint, non potest probari propositum. eodem modo si quis uelit probare animam esse immortalem, & assumat ad hoc probandum, quòd anima mouetur, ut scilicet postea ostendat, quòd mouetur ex se ipsa: qui autem disputationem sustinet, hoc non admittat, quòd anima moueatur; ideo opus sit digredi ad hoc probandum. hoc autem ostendat, quoniam anima intelligit, discit, sentit, lætatur, tristatur, sperat, timet. Contingit præterea hanc transmutationem propositionis esse necessariam, quando respondens non solum simpliciter non assentitur alicui propositioni, quæ assumpta sit ad probandum propositum, sed etiam per inductionem eam destruere conatur, ut si aduersus eam propositionem quòd id, quod est secundum naturam, sit bonum, obiiciat, quòd mori est secundum naturam, non tamen bonum: ita algere, & ægrotare, cum non sint ex constituto, sed secundum naturam, non tamen bona sunt. necesse igitur est digredi ad hæc probanda, quod fieri posset hoc modo, non esse, quod natura fit, est etiam secundum naturam, sed eorum, quæ natura fiunt, id, quod est optimum, dicitur esse secundum naturam. eodem modo si quis ostensurus nullam uoluptatem esse bonum, hanc propositionẽ assumat, quòd nullum bonũ est generatio: assumpturus postea, quòd uoluptas est quædam generatio: sed hanc propositionem ipse respondens per inductionem tentet destruere, ostendens, quòd sanari est generatio quædam, & tamen bonum eodem modo & discere. hic enim oportet ipsum problema relinquere, & ad hanc propositionem defendendam digredi, sine qua ipsum problema construi non potest: ita igitur patet, quomodo necessaria aliquando sit disputationis transmutatio. aliquando autem necessaria quidem non est, apparet tamen necessaria: hoc autem fit, quando disputans de aliquo quidem in problemate existente uerba facit, quod tamen non confert ad ipsum problema uel construendum, uel destruendum. Respondens autem uel ei simpliciter non assentiatur, uel ipsum etiam per inductionem tentet destruere: quare ad hoc comprobandum digreditur interrogans: in eo autem comprobando argumentis abundat. tunc enim speciem quidem præ se fert se de aliquo disputare, quod sit ad problema necessarium, cum tamen ita non sit, exempli causa, si problema sit, utrum mundus sit sphericus: hic autem disserat, utrum mundus unus sit, uel plures; uel utrum factus sit, aut æternus; uel si problema sit, utrum uoluptas sit secundum naturam: hic autem de natura disserat ostendens quidnam sit natura, uel quòd omne, quod natura fit, alicuius gratia fit: respondens autem aduersus hæc obiiciat: uidetur enim esse necessarium digredi ad hæc probanda, quoniam negata sunt, & fuerant assumpta, ut necessaria ad problematis probationem, cum tamen nihil ad ipsum conferant. Aliquando autem transmutatio problematis, neque est necessaria, neque apparet necessaria: ut si quis cum propositum esset ostendere, quòd solum honestum sit bonum, inquirat à respondente, nunquid ipsi uideatur honestum aliquid esse, & ipso hoc concedente tentet deinde hoc destruere argumentorum scilicet copiam habens ad hoc destruendũ: patet enim si quis parum consideret hoc neque esse necessarium, neque utile ad propositam quæstionem. Hic autem ultimus modus omnino est euitandus, cum sit à dialectica methodo quammaxime alienus. Dialecticus igitur si interroget, eo nunquam uti debet. si autem respondeat, & sustineat disputationem, & qui

Aliquando transmutationem propositionis esse necessariam.

interrogat, eo utatur, tunc admittere debet ea, quæ dicuntur ab ipso disputante, quamuis ipsis non assentiatur, significans tamen se illa concedere, nō quòd uera sint, sed ut de re disputetur. contingit enim quammaxime confundi ipsum interrogantem, si cum ipsi omnia concedentur: nihil propterea circa propositum problema posſit concludere.

LOCVS DECIMVSQVINTVS.

Amplius omnis qui dixit unum quoduis etc. HVNC locum dicit Alexander eundem esse cum loco paulo superius tradito à consequentibus. ibi enim dicebat nos considerare debere, quidnam consequatur, si ponatur propositum, & illud destruere. eo enim destructo propositum etiam destruetur idem: etiā hic dicit, quoniam scilicet ad unumquodque multa consequuntur. si eorum aliquod, quæ consequuntur, destruatur, ptopositum problema destruemus. differt tamen hic locus ab eo, quòd ibi dicebatur, inquirenda esse quænam consequantur, propositum, & destruenda. hic autem inuentionem, & copiā ipsorum consequentium docet. hic autem locus apte coniungi posset cum eo loco duodecimo, immo uidetur esse eius pars. primo autem philosophus locum tradit, atque exemplis illustrat: deinde dat quoddam documentum.

Locus decimusquintus dictus à consequentium magnitudine aliquo consequentium destructo, quæ semper multa sunt, propositum quoque destruitur.

LOCVS est, quoniam ad quodlibet problema necesse est multa consequi, ut tentemus eorum aliquid destruere: ita enim problema etiam destruetur ad unum, quodlibet autem positum multa consequuntur, ut cum quis subiectum aliquod ponit, ponit etiam eius genus, quin & eius specificas differentias. hæc enim eius substantiam ingrediuntur, quin & eius propria, quæ ab essentia fluuntur, ut qui dicit hominem animal, etiam dicit & uiuens, & bipes, & risibile, & rationale. si igitur esset problema propositum, quòd uirtus per se sufficiens sit ad felicitatem, quoniam ad hoc sequitur, quòd sanitas eligibilis non sit, neque diuitiæ, neque scientiæ, neque aliud quid præter uirtutem. Si aliquid horum destruatur, ipsum etiam problema destruetur: ita si poneretur animam esse corpus, quoniam ad hoc consequitur, quòd corpus per corpus permeet, & quòd erit uel elementum, uel ex elementis constans: si quid horum non erit, neque illud erit, ex quo hæc sequuntur: ita si ponatur, quòd per uacuum fiat motus, quoniam hoc posito consequitur, quòd corpora inæqualis ponderis æqualiter moueantur, & quòd comparabile sit uacuum pleno: propterea quòd inæquali tempore per idem spatium mouebitur aliquid in pleno, & uacuo: si quid horum destruatur, problema etiā positum destruetur.

DOCVMENTVM autem à philosopho traditum est, quòd non semper debemus ad ipsa consequentia deuenire: sed tunc cum facilius est ipsa consequentia destruere, quàm ipsum problema propositum. aliquando enim facilius est destruere ipsum problema, aliquando uero facilius est destruere consequentia. si enim uellemus ostendere iniustitiam non esse utilem, facile hoc probaremus stantes in ipso problemate, ut eo modo, quo probauit Plato, quoniam animæ ægritudo non est utilis, at iniustitia est animæ ægritudo, ergo iniustitia non est utilis. uel hoc modo omne uitium nocuum ei est, quòd ipsum habet, sed iniustitia est uitium, ergo iniustitia non est utilis. si autem hoc uellemus ostendere ex consequentibus, ut ex eo, quod ad hoc consequitur, auaritiam utilem esse, quòd uerum non est, deduceremus orationem in difficiliorem locum: auaritia enim turpis quidem esse uidetur, utilis tamen.

documētum à philosopho traditum.

LOCVS

LOCVS DECIMVSSEXTVS.

Locus decimusſextusex cõtrariis immediatis. ſi alterum contrariorũ medio carentiũ ſuſceptiuo non inſit, alterũ inerit; et ſi alterum inſit alterum non inerit.

In hoc loco tradendo primo philoſophus locum exponit: deinde oſtendit ipſum eſſe conſtructiuum, & deſtructiuum.

Locvs quidem eſt, quoniam contraria immediata talia ſunt, quòd eorum alterum neceſſe eſt ineſſe ſuo ſuſceptiuo. ſi in problemate aliquod eorum ponatur, & probemus ſuum contrarium ineſſe, probabimus illud non ineſſe, quod poſitum eſt: & ſi probaremus unum non ineſſe, probaremus alterum ineſſe, exempli cauſa, quoniam de numero prædicatur par, & impar, quæ ſunt contraria immediata. ſi quis probet numerum aliquem eſſe parem, probabit ipſum non eſſe imparem: et ſi probet ipſum non eſſe parem, probabit ipſum eſſe imparem: at ſi probet ipſum eſſe imparem, probabit, quòd non eſt par: & ſi probet, quòd non eſt impar, probabit, quòd eſt par. ita ſi propoſitum ſit animalis corpus, & probemus, quòd ſanum ſit, probabimus, quòd non eſt ægrum; etſi probemus, quòd ægrum ſit, probabimus, quòd non eſt ſanum. ita ſi poſitum eſſet problema aliquam eſſe magnitudinem infinitam, quoniam omnis magnitudo finita eſt, uel infinita, ſi oſtendamus, quòd omnis magnitudo ſit finita, oſtendemus nullam eſſe infinitam: atque hoc modo proceſsit Ariſtoteles in primo de cælo oſtendens, quòd omne corpus tam ſimplex, quàm compoſitum, eſt finitum.

quid notãdũ.

Notandvm autem eſt, quòd hic locus aptari etiam poteſt ipſis contradictoriis, & ipſis contrariis mediatis. contradictoria quidem cum illis contrariis conueniunt, quoniam eorum oppoſitio eſt immediata. differunt tamen ab illis, quoniam contrariorum, quæ medio carent, oportet alterum ineſſe ſuo ſuſceptiuo: at contradictoriorum alterum oportet de quocunque uerificari. ſi igitur alterum eorum conſtruitur, alterum deſtruitur, & è contra: ut ſi probetur, quòd diuitiæ ſint bonum, deſtruitur negatio: et ſi probetur, quòd non ſint bonum, deſtruitur affirmatio. contrariis etiam mediatis aptatur hic locus, non tamen eſt etiam conſtructiuus, ſed ſolum deſtructiuus. ſi enim oſtendatur unum ex his contrariis ineſſe ſubiecto, deſtruitur, quòd alterum ipſi inſit: neque enim contraria in eodem ſubiecto eſſe contingit, non tamen ſi oſtendamus alterum non ineſſe ſubieſto, neceſſe eſt, quòd alterum inſit, cum utrunque abeſſe poſsit, & mediorum aliquid ineſſe. ſi igitur aliquis ſit felix, omnino non erit infelix, non tamen ſi felix non ſit, oportet, quòd ſit infelix, quoniam felicitas, & infelicitas nõ opponuntur ſine medio, ſed contingit etiam, quòd quis ſit ſtudioſus, & non felix, & ſi quis eſt uirtute præditus, omnino non eſt uitioſus: at ſi non ſit uirtute præditus, non oportet, quòd uitioſus ſit, quoniam uirtus, & uitium non ſunt contraria immediata.

Alexandri notatus.

Notatqve Alexander, quòd contrariis mediatis conuenit quartus ille modus indemonſtrabilis, id eſt quartus modus ſyllogiſmorum hypotheticorum. contrariis autem immediatis conuenit quintus. primus enim eſt, quando ex duobus primum ponitur, ut ſecundum ponatur. ſecundus modus eſt, quando ſecundum tollitur, ut primum tollatur. tertius eſt, quando primũ ponitur, ut ſecundum tollatur. quartus eſt, qui conuenit contrariis mediatis, quando alterum eorum ponitur, ut reliquum tollatur. quintus eſt, qui immediatis conuenit, quando unum tollitur, ut reliquum ponatur: atque hi duo poſtremi fiunt ex diſiunctiuis propoſitionibus. priores autem modi fiunt ex cõditionalibus. Duo quidem primi ex affirmatiuis. tertius uero ex negatiuis.

LOCVS

LOCVS DECIMVSSEPTIMVS.

Amplius argumentari transferendo nomen etc. PRIMO philoſophus locum proponit: deinde duobus exemplis ipſum explicat.

LOCVS igitur eſt, ut nomina transmutemus ad orationem, quæ eſt ſecundum etymologiam. ſi enim probemus etymologiam nominis alicui conuenire, eidem quoque ipſum nomen conueniet: & ſi cui etymologia non cõueniet, neque nomen ei conueniet. quare erit hic locus conſtructiuus, & deſtructiuus: non ſemper autem præſtat hoc loco uti, ſed quando magis fauet, & conuenit propoſito noſtro etymologia, quàm nomen. ſi igitur uellemus oſtendere, quòd uirtute præditus ſit εὔψυχος, & non ſolum magnanimus, huius nominis etymologiam aſſumemus. ſi igitur εὔψυχος, qui bene affectam anima: habet, iuſtus autem & prudens, & quilibet uirtute præditus bene affectam animam habet: quilibet igitur uirtute præditus εὔψυχος eſt. quòd autem εὔψυχος ſit ille, qui bene affectam animam habet, oſtendemus, ſi opus erit ex ſimilium appoſitione, ut quoniam εὔελπις etiam ille dicitur, qui bene ſperat, & alia eodem modo rurſus, ſi uellemus oſtendere, quòd ſapiens ſit εὐδαίμων, id eſt felix, huius nominis etymologiam accipiemns, ut quòd εὐδαίμων ille eſt, qui bonum dæmonem habet. cum autem dæmon nihil aliud ſit, ut declarauit Xenocrates, quàm uniuſcuiuſque anima, ille erit εὐδαίμων, qui bonam animam habet: at ſapiens talis eſt. ſapiens igitur erit εὐδαίμων. eodem modo oſtenderemus, quòd in brutis non eſt προαίρεσις, id eſt electio. et quòd ſapiens non eſt ἐγκρατὴς, id eſt continens: & quòd amicus non eſt εὔνοος, id eſt beneuolus, & alia conſimilia eodem modo tractanda.

locus decimusſeptimus ex etymologia loco nominis accipiẽda, quandoque eſt eius etymologia, ſi magis nobis cõducat.

NOTAT autem Alexander, quòd hic locus dialecticus quidem eſt, & probabilis: non tamen ſemper uerus. neque enim magnanimus ille dicitur, qui maguam habet animam: neque εὔχειρ ille dicitur, qui pulchras habet manus, ſed pugil eo nomine ſignificat.

quid Alexander notet.

LOCVS DECIMVSOCTAVVS.

Quoniam autem rerum aliæ etc. PRIMO philoſophus locum tradit. ſecundo huius loci partes explicat, quomodo ſcilicet redarguatur, qui ponit in pluribus eſſe, quod eſt ex neceſsitate. & quomodo redarguatur, qui ponit ex neceſsitate eſſe id, quod eſt in pluribus: & qui ponit id, quod eſt in paucioribus eſſe ex neceſsitate: & qui ponit id, quod eſt æqualiter eſſe ex neceſsitate, uel in pluribus. tertio uero oſtendit, quòd hoc aliquando fit addita determinatione, ut plurimum raro æqualiter ex neceſsitate aliquando uero nulla addita determinatione.

ASSVMITVR autem ad traditionem huius loci diuiſio quædam, quòd ſcilicet eorum, quæ ſunt, quædam ſunt ex neceſsitate, quædam non ſunt ex neceſsitate: ſed contingentur atque horum quædam, ut plurimum contingunt, quædam raro, quædam æqualiter ex neceſsitate, ut quòd homo ſit animal; quòd cælum ſit incorruptibile. contingentia autem, ut plurimum, ſunt, ut hominem naſci cum quinque digitis, & ſceneſcentem caneſcere. raro autem eueniunt his oppoſita hominem ſcilicet naſci cum quatuor, aut ſex digitis, & in ſenectute non caneſcere. æqualiter autem contingunt, ut hominem peregrinari, aut non peregrinari, lauari, aut non lauari. ſuppoſita igitur hac diuiſione, locus eſt, quòd ſi quid aliquo horum modorum ineſſe ponatur, ſi probemus nos, quòd alio modo inſit, tale problema deſtruetur: ſed quoniã

locus decimusoctauus à differẽtiis. ſi quid alicui ineſt ex neceſſitate, nõ ineſt contingenter: & è contra: & ſi quid ineſt in pluribus, non ineſt æqualiter, aut raro: & è contra. & ſi quid ineſt æqualiter, non ineſt raro: & è contra.

hoc pluribus modis fieri potest, ideo singuli sunt percensendi, uel igitur id, quod ponitur, erit ex necessitate, uel in pluribus, uel in paucioribus, uel æqualiter. si sit ex necessitate, uel ponitur esse in pluribus, ut si quis diceret, ut plurimum hominem esse rationalem, & demonstrationes, ut plurimum esse ueras: hic autem redarguetur, quoniam ponit id, quod inest omni non inesse omni. si enim ut plurimum inest, oportet igitur, ut aliquando non insit: præterea eo quod ponit id, quod est impossibile esse possibile. si enim necesse est hominem esse rationalem, ergo impossibile est hominem non esse rationalem. at qui dicit, ut plurimum hominem esse rationalem, dicit aliquando contingere ipsum non esse rationalem: præterea eo quòd dicit id, quod est semper, aliquando non esse; aliquando uero id, quod est ex necessitate, potest poni esse in paucioribus, ut si quis diceret raro contingere hominem esse rationalem. atque hic tanto magis errat, quàm superior, quanto id, quod est semper, magis differt ab eo, quod est raro, quàm ab eo, quod est ut plurimum. aliquando autem id, quod est ex necessitate ponitur esse æqualiter: & qui ita ponit eodem modo, debet redargui. Id autem quod est in pluribus, uel ponitur esse ex necessitate, ut siquis diceret ex necessitate hominem canescere in senectute, atque is redarguetur, eo quòd omni dicit inesse id, quod omni non inest, & quòd id, quod est possibile, dicit esse impossibile: aliquando uero id, quod est in pluribus, poni potest esse in paucioribus, ut siquis diceret raro contingere, quòd homo in senectute canescat: aliquando etiam poni potest pro æquali, ut siquis diceret æqualiter contingere, quòd homo canescat in senectute. Id autem quod est in paucioribus, uel ponitur esse ex necessitate, ut siquis diceret ex necessitate contingere, quòd fodiens inueniat thesaurum, aut quòd iens peregre ex necessitate incidat in latrones, atque is redarguetur, quoniam dicit id, quod ut plurimum contingit, impossibile esse contingere; uel id, quod est in paucioribus, ponitur esse in pluribus, ut siquis diceret, ut plurimum contingere, quòd sub canis sydere pluuiæ fiant, uel quòd ut plurimum monstruosi homines nascantur, uel ponitur ut æqualiter, ut siquis dicat æqualiter contingere, quòd homo non canescat in senectute. Id autem quod æqualiter contingit, uel ponitur esse ex necessitate, ut siquis dicat necessarium esse hominem peregrinari: aut ponitur esse in pluribus, ut siquis dicat, ut plurimum contingere, quòd homo peregrinetur, aut ponitur esse raro, ut siquis dicat raro contingere, quòd homo lauetur. Tot igitur modis confunduntur hæ rerum differentiæ. notandum autem est, quòd aliquando modus, seu determinatio apponitur, scilicet uel ex necessitate, uel ut plurimum, uel raro, uel æqualiter: sicuti in omnibus exemplis superius allatis apposita fuit: & tunc facilis est redargutio. aliquando uero nulla apponitur determinatio, & tunc id, quod ita simpliciter profertur, existimare debemus poni ex necessitate, quoniam id, quod est ex necessitate, uere & proprie est: quod autem uere, & proprie est, simpliciter etiam esse dicitur. qui enim proprie sapiens est, etiam simpliciter dicitur sapiens: qui autem proprie non est, sapiens non dicitur proprie sapiens, sed cum aliqua determinatione, ut sapiens poeta, sapiens architectus. cum igitur necessarium proprie, & uere sit, merito simpliciter dicitur esse: qui igitur id, quod contingenter inest, simpliciter, & sine aliqua determinatione diceret inesse rationabiliter, redargueretur, ut siquis diceret exheredatos malos esse. hic enim uidetur dicere uniuersaliter esse ex necessitate, quòd exheredati mali sint, quod tamen non ita est. contingit enim aliquem etiam bonũ exheredari, ut de Temistocle dicitur, atque hinc

patet,

patet, quòd siquis aliquid simpliciter inesse diceret, non posse nos dicere, quòd posuerit illud esse contingens: sed dicente aliquo simpliciter hominem esse animal, siquis instaret, quòd dixerit contingens esse hominem esse animal, manifesta esset calumnia. hæc tamē obiectio aduersus eos efficax esset, qui existimant id, quod contingenter inest, simpliciter inesse dici debere, ut simpliciter dicendum esse hominem canescere in senectute, uel nasci cum quinque digitis.

CIRCA contextum philosophi notandum est, ipsum ex duodecim membris diuisionis solū quatuor primaria recensuisse, uidelicet quando id, quod est ex necessitate, ponitur ut in pluribus; & hic prætermisit, quando ponitur, ut in paucioribus: & quando ponitur, ut æqualiter forte, quoniam qui sciet primum illud refellere, tanto magis alia poterit refellere. postea posuit aliud membrum, quando id, quod est in pluribus, ponitur, ut ex necessitate, & hic prætermisit, quando ponitur, ut in paucioribus, & quando ponitur æqualiter: deinde posuit aliud membrum, quando id, quod est in paucioribus, ponitur ex necessitate: & hic etiam prætermisit, quando ponitur in pluribus: & quando ponitur æqualiter, ultimo ponit reliquum membrum, quando id, quod est æqualiter, ponitur ex necessitate: & ut notaret, quod & hic, & in superioribus supplenda erant membra illa, quæ ipse prætermisit. ideo addidit etiam, quando illud, quod est æqualiter, ponitur ut in pluribus. quid notandum circa cō textum philosophi.

HOC loco dubitat Alexander, si id, quod contingit inesse, & non inesse, accidens est: id autem, quod est necessarium, sit uel genus, uel proprium, uel definitio, quomodo hic locus collocetur inter locos accidentis? quoniam ille, qui ostendit id, quod ponitur esse ex necessitate, non esse ex necessitate, ostendit, quòd non inest uel ut genus, uel ut proprium, uel ut definitio: at destruere genus non pertinet ad problema accidentis, sed ad problema generis: & destruere proprium pertinet ad problema proprii: & destruere finitionem ad problema definitionis. male igitur hic locus ad problema accidentis reducitur. Soluit Alexander, quòd hic locus non destruit aliquid esse genus, aut proprium, aut definitionem in eo, quòd talia sunt, sed uniuersaliter, eo quòd illud ex necessitate non sit: destruens autem, quòd non est ex necessitate, construit, quòd est accidens, & propterea ad alia problemata nō reducitur hic locus, quia illa prædicata non destruit in eo, quod falsa sunt. reducitur autem ad problema accidentis, eo quòd construit accidens: atque hinc elicit Alexander rationem quare hic locus conuertatur. primus autem, cui hic est maxime similis, non conuertatur. si enim primus conuerteretur, efficeretur locus generis, aut proprii, aut definitionis. si scilicet hoc modo diceret inspicere, si id, quod accidens est secundum alium quendam modum assignetur. licet enim hic locus ita conuersus construat accidens, non tamen erit locus accidentis, quoniam cum primaria dialectici intentio sit destruere, & hic locus licet construat accidens, aliquod tamen aliorum destruit, ideo ab eo potius quod destruit, quàm ab eo, quod construit, denominationem sumit. dubitatio Alexandri. solutio dubitationis Alexandri.

LOCVS DECIMVSNONVS.

Amplius et si eadem sibi accidens posuerit. Innititur hic locus cuidam propositioni, quæ talis est, quòd impossibile idem sibi ipsi accidere: accidens enim in subiecto est, & aliud est ab eo, cui accidit, & potest ipsi abesse, & adesse. nihil locus decimusnonus ex πολυωνυμία prædicatum attributum alicui subiecto, à quo differt solo nomine, non erit eius accidens.

hil autem potest esse subiectum sui ipsius; neque potest esse aliud à se ipso; neque potest sibi ipsi inesse, & non inesse. hoc igitur supposito locus est, quòd siquis ex nominum multitudine, quæ eandem rem significant deceptus, existimans scilicet, quòd sicuti nomina distincta sunt, res etiam distinctæ sint, quæ ab illis nominibus significantur. dicat unum eorum alteri accidere, refelli debet, ex eo quòd dicit idem accidere sibiipsi, ut si quis diceret, quòd ensis accidat gladio, aut indumento uestis uel lætari, gaudere. hæc enim subiecto idem sunt, licet nomina sint diuersa. hoc modo deceptus est Prodicus, & Stoici, qui aliud esse uolebãt, χαρὰν: aliud ἡδονήν: aliud τέρψιν: aliud εὐφροσύνην. dicebant enim χαρὰν esse rationalem delectationem: ἡδονὴν uero irrationalẽ. εὐφροσύνην esse delectationem, quæ ex sermonibus accipitur: τέρψιν autem, quæ percipitur auribus. sed aberrant hi, eo quòd circa nominum usum non sunt leges imponendæ. loqui enim debemus, ut multi sentire ut sapientes: his autem nominibus pro eodem uulgo utimur.

VIGESIMVS LOCVS.

Locus uigesimus ex cõtrarietatũ cõplexione ꝓpositionum, quæ alterum terminum cõtrarium habent, uel subiectum, uel prædicatũ. si una est uera, reliqua erit falsa: & si una falsa reliqua uera. earũ uero, quæ utrunque habent contrarium, si una est uera, reliqua quoque erit uera. si una falsa, & reliqua.

Quoniam autem contraria connectuntur quidem etc. IN hoc loco tradendo philosophus primo ostendit, quomodo sex fiant contrarietatum complexiones. secundo, quòd ex his quatuor tantum contrarietatem inter se habent. tertio elicit ex dictis, quòd eidem plura possunt esse contraria. quarto ostendit locum, quòd scilicet ex his complexionibus eam accipere debemus, quæ utilis sit ad problema construendum, uel destruendum.

AD huius loci traditionem explicandæ primo sunt cõtrarietatum complexiones. cum igitur duo sunt contrariorum paria, quæ inter se connectũtur, fiunt sex complexiones; quarum quatuor tantum contrarietatem habent. Sint enim, exempli causa, hæc duo conrrariorum paria, iustum, & iniustũ; bonum, & malum; uel alterum quodque de altero quoque dicetur. & hoc dupliciter, uel utrunque contrariorum, de altero tantum subiecto dicetur; uel idem contrarium de utroque contrario subiecto dicetur. si alterũ quodque de altero quoque dicatur, duæ fient coniugationes. prima est iustum, est bonum, iniustum est malum. secunda huius conuersa iustum est malum, iniustũ est bonum. Si utrunque contrariorum de altero subiecto dicatur, duæ aliæ fient coniugationes, iustum est bonum, iustum est malum, & iniustum est bonum, iniustum est malum. si idem contrarium de utroque contrario subiecto dicatur, duæ aliæ fiunt coniugationes, nempe iustum est bonum, iniustum est bonum, & iustum est malum, iniustum est malum. præter has autem impossibile est plures fieri complexiones ex duobus cõtrariorum paribus. ex his autem sex complexionibus quatuor solum posteriores habent contrarietatem inter se. prima autem nullam habet contrarietatem. neque enim ei, quæ dicit iustum est bonum, contraria est ea, quæ dicit iniustum est malum, & ratio est, quoniam quæ æqualiter sunt, eligibilia non sunt contraria: sed hæc sunt æqualiter eligibilia, ergo non sunt contraria. quòd autem sint æqualiter eligibilia, patet, quoniam eorum utrunque ab eodem more procedit. uir enim probus, & iustum esse bonum, & iniustum malum existimat: præterea quæ simul uera sunt, contraria esse non possunt: at hæc simul sunt uera: non igitur contraria. Sed neque propositiones illæ iustum est malum, iniustum est bonum sunt contrariæ, quoniam æqualiter sunt euitandæ, & ab eodem more procedunt. quæ autem sunt contraria, ita se habent, quòd si eorum alterum est detestandum, alterum est eligendum. euitandum autem

euitando

euitando non est contrarium, sed hoc quod dictum est, dubium habet, quo modo scilicet uerum sit, quòd utrunque contrarium non posit esse euitandum, cum in Ethicis ostensum sit, quòd unaquæque uirtus in mediocritate quadam consistens duo habet circa se extrema uitiosa, quæ utraque sunt detestanda. Dicendum est, quòd si contrariorum alterum in excessu consistat, alterum uero in defectu, quod hoc modo possunt utraque esse euitanda, & hac ratione, quæ circa uirtutem sunt, extrema sunt pariter euitanda: at si contraria in excessu, & defectu non consistant, tũc semper erit uerum, quod dictum est, quòd scilicet si eorum alterum fugiendum sit, alterum erit eligendum. cum igitur ea, de quibus sermo est, non consistant in excessu, & defectu, & utraque male sint: non igitur erunt contraria. quatuor autẽ reliquæ complexiones contrarietatem inter se habent. in tertia enim complexione propositioni, quæ dicit iustum est bonum, contraria est ea, quæ dicit iustũ est malum: quod autem sint contrariæ ex eo patet, quòd ex contrario more, & habitu procedunt. eadem ratione in quarta complexione propositioni, quæ dicit iniustum est bonum contraria est, quæ dicit iniustum est malum, quin & quæ sunt in quinta propositiones sunt contrariæ, iustum est bonum, iniustum est bonum; & quæ in sexta iustũ est malum iniustum est malũ: atque hinc corrolarium quoddam elici debet, quod eidem plura possunt esse contraria. ei enim propositioni, quæ dicit iustum est bonum contraria est ea, quæ dicit iniustum est bonum; & ea, quæ dicit iustum est malum: atque huius rei ratio est, quoniam in unaquaque harum propositionum duo sunt contraria, unum subiectum, & alterum prædicatum: ideo unicuique duæ erunt propositiones contrariæ: altera scilicet subiectum habens contrarium, idem autem prædicatum: altera uero habens prædicatum contrarium, idem autẽ subiectum, & ideo plures duabus uni non erunt contrariæ. semper autem si una ex his propositionibus contrariis erit eligenda, aliæ duæ sibi contrariæ erunt fugiendæ. Præterea si una earum fuerit uera, reliquæ duæ sibi contrariæ erunt falsæ, & è conuerso. si una earum erit falsa, & euitanda, reliquæ duæ sibi contrariæ erunt ueræ, & eligendæ. illæ autem duæ, quæ uni sunt contrariæ, nullam inter se habent contrarietatem, quæ omnia ex subiecta descriptione fient manifestiora.

PRIMA CONIVGATIO.

Iustum est bonum.	Amicis benefacere.
Iniustum est malum.	Inimicis malefacere.
SECVNDA.	
Iustum est malum.	Amicis malefacere.
Iniustum est bonum.	Inimicis benefacere.
TERTIA.	
Iustum est bonum.	Amicis benefacere.
Iustum est malum.	Amicis malefacere.
QVARTA.	
Iniustum est bonum.	Inimicis benefacere.
Iniustum est malum.	Inimicis malefacere.
QVINTA.	
Iustum est bonum.	Amicis benefacere.
Iniustum est bonum.	Inimicis benefacere.

SEXTA.

SEXTA.

Iustum est malum.	Amicis malefacere.
Iniustum est malum.	Inimicis malefacere.

DEMVM Aristoteles dixit accipiendum esse contrariorum quodcunque est ad positionem utile. cum enim positæ sint sex coniugationes contrariorum, si earum aliquam uolumus construere, aut destruere, eam accipere debemus, quæ utilis est ad hoc efficiendum, quæ scilicet melius, & facilius probari potest. hæc autem uel erit contraria, ut quæ de eodem subiecto contrarium enunciat prædicatum, uel quæ de contrario subiecto idem enunciat prædicatum. exempli causa, si quis poneret, quòd iustitia malum sit, quoniam huic duo sunt contraria, nempe iustitia est bonum, & iniustitia est malum: si facilius probare possimus, quòd iniustitia sit malum, hanc accipiemus, & probabimus: forte quoniam iniustitia est uitium, & quoniam est animæ ægritudo, & corruptrix ciuilis societatis, & omnis conuentus; & propterea est contra humanam naturam, cum homines sint natura associabiles. hoc igitur ostendentes destruemus propositum problema, quòd iustitia sit malum: aliquando etiam propositio utilis ad problema construendum, uel destruendum non erit contraria, ut quæ de contrario subiecto contrarium enunciant prædicatum, exempli causa, si positum esset problema, utrum uoluptas sit bonum, ostendentes nos, quòd dolor est malum, ostendemus, quòd uoluptas est bonum. hæc enim, quæ de contrario subiecto contrarium enunciant prædicatum, sunt simul uera, uel simul falsa.

exemplum.

LOCVS VIGESIMVS PRIMVS.

Amplius si est aliquid contrarium accidenti considerandum est etc. HIC locus, qui est ex contrariis medium habentibus, apte collocaretur ante præcedẽtem post eum scilicet, qui est ex contrariis immediatis. dicitq́; Alexander, quòd in aliquibus codicibus ita positus legitur.

locus uigesimusprimus ex contrariis mediatis. cõtrariorũ medium habentium si unum subiecto inerit, alterum ei non inerit. exemplum.

EST autem locus, quoniam impossibile est, quòd eidem insint contraria, quando aliquid ponitur alicui accidere: debemus considerare, an illud accidens habeat aliquid contrarium, & ostendere, si possumus, quòd illud contrarium insit ei subiecto, cui accidens illud inesse positum est. si enim hoc ostendatur, positum problema destruetur, exempli causa, si positum esset iniustitiam utilem esse, quoniam hoc accidens contrarium habet, nempe inutile ostendentes nos, quòd iniustitia est inutilis, eo quòd omnis animæ ægritudo inutilis est habenti ipsam, propositum problema destruemus.

DICIT autem Alexander, quòd hic locus idem est cum præcedente. differt autem ab eo solum secundum dictionem: attamen si recte cõsideremus, non solum differt secundum dictionem, sed etiam secundum rem, quoniam ille est, quando tam subiectum, quàm prædicatum habet contrarium. hic autem est, quando prædicatum tantum habet contrarium.

quid Alexander dicat.

VIGESIMVS SECVNDVS LOCVS.

Aut si quid tale dictum est etc. HIC locus est, ut consideremus, nunquid ad propositum problema consequatur contraria eidem inesse. cum enim impossibile sit, quòd contraria eidem insint. si hoc ostẽdemus problema illud, ad quod hoc impossibile sequitur, destruemus, exempli causa, si quis poneret ideas in

locus uigesimus secũdus ex contrariorum consecutione. si posito quòd accidens alicui insit, consequatur contraria eidem inesse, accidens illud non inerit.

in nobis esse ita scilicet, ut sint nostræ formæ, ad hoc cõsequetur, quòd ideæ simul sint immobiles, & motæ intelligibiles, & sensibiles, quod est impossibile. quod enim est immobile, nullo modo potest moueri. & quod est intelligibile non potest esse sensibile, quoniam id, quod est intelligibile, est separatum à materia: quod autem est sensibile, est materiæ immensum: quod autem posito ideas in nobis esse hæc consequantur, patet. in eo enim quòd ideæ sunt immobiles, erunt & intelligibiles, cum sint materiæ expertes. in eo uero, quòd in nobis sunt, mouebuntur saltem per accidens: quoniam motis nobis ea omnia mouentur, quæ sunt in nobis. erunt etiam sensibiles, quoniam forma uniuscuiusque sub sensum cadit saltẽ per accidens. si igitur ideæ sunt formæ in nobis, erunt igitur sensibiles: ita igitur ostenditur impossibile esse, quòd ideæ sint in nobis. eodem modo destrueremus, quòd omnia in omnibus mixta sint, ut sensit Anaxagoras, eo quòd ad hoc consequitur contraria simul esse: destrueremus pariter, quòd unum tantum sit ens, & infinitum, ut sensit Parmenides, quoniam ad hoc consequatur, quòd ens sit unum, & multa. infinitum enim quantitatis est: quantitas autem est accidens. erit igitur substantia, & quantitas, ergo multa. pariter destrueremus, quòd omnia moueantur, eo quòd ad hanc positionem sequatur idem simul moueri, & quiescere. hoc enim quod dicitur omnia moueri, in eo, quòd uerum, & firmum permanet, immobile est: in eo uero, quòd & ipsum ex omnium numero est, mouetur, mouetur igitur, & quiescit: ita ostenderemus falsum esse dicere, scit Dio, quòd mortuus est, quia contingeret ipsum uiuere, si hoc sciret. Pariter ostenderemus, quòd hæc non sit propositio. ego dico falsum, eo quòd omnis propositio est aut uera, aut falsa: at si hæc esset propositio, contingeret ipsam simul esse ueram, & falsam. quodcunque enim supponatur, uel quòd sit uera, uel quòd sit falsa; alterum etiam consequetur: si enim supponatur, quòd sit uera, ergo erit falsa. ita enim uerificatur, si falsa sit, si autem supponatur, quòd sit falsa, erit etiam uera. ita enim est falsa, quoniam id, quod dicit, non est falsum, sed uerum. Consimili modo multas alias propositiones destrueremus. sed aduertendum est hoc ultimum exemplum esse sophisticum, eo quòd nulla propositio neque nomen impositum est ad significandum se, sed alia. quare hæc propositio, ego dico falsum, non est intelligenda de se ipsa, sed de aliis, quòd si quis de se ipsa uelit intelligere, hoc erit præter naturam, atque hac ratione infinita prope sophismata dissoluentur.

omnia in omnibus mixta esse secundũ

NOTANDVM autem est, hunc locum esse solum destructiuum, non esse constructiuum.

VIGESIMVS TERTIVS LOCVS.

locus uigesimustertius ex contrariorum susceptiuo. si subiectum positi accidentis nõ est etiam susceptiuũ contrarii neque positum accidens ipsi inerit. si autem sit susceptiuũ contrarii, alterũ quoque contrarium ipsi inesse poterit. exemplum.

Rursum si positum accidens etc. PHILOSOPHVS primo locum proponit: deinde duobus exemplis ipsum explicat. tertio ostendit, quomodo utilis sit ad destruendum, & quomodo ad construendum.

LOCVS est, quoniam idem subiectum est contrariorum susceptiuum. si quis dicat aliquid alicui accidere, considerare debemus, utrum illi accidenti sit aliquid contrarium: & si subiectum illud non sit eius contrarii susceptiuum ostensum erit, quòd neque eius accidentis positi potest esse susceptiuum, exempli causa, si quis dicat, quòd odium consequatur iram, id est iræ insit, patet, quòd in qua animæ parte posita est ira, in eadem odium. cum igitur ira sit in irascibili animæ parte, quam θυμώδη Græci appellant, in eadem

dem erit & odium: debemus igitur uidere, utrum odio sit aliquid contrarium. et quoniam amicitiam odio contrariam dicimus, debemus uidere, utrum amicitia sit in irascibili animæ parte. si enim in ea non sit, neque odiũ in ea erit, cum idem subiectum debeat esse utriusque contrarii susceptiuũ. cum autem amare, & amicitia non sit in irascibili animæ parte, sed in concupiscibili; neque igitur odium in ea erit. Rursus si quis diceret ignorantiam esse in appetibili animæ parte, quoniam ignorantiæ contraria est, scientia sequetur appetibilem animæ partem scientiæ esse susceptiuam, quòd si hæc sciẽtiam non suscipit, sed ratiocinatrix pars, neque igitur ignorantiæ erit susceptiua: ex hoc loco ostendere poterimus, quòd nulla moralis uirtus sit scientia, quoniam si moralis uirtus esset scientia, esset in rationali animæ parte, in qua est & ignorantia. Non est autem in hac, sed in possibili, non ergo uirtus moralis est scientia. Alio autem modo confert hic locus ad destruendum, alio uero ad construendum: ad destruendum enim simpliciter confert. si enim quis ostendit subiectum non esse susceptiuum unius contrarii, neque alterius erit susceptiuum. confert autem ad construendum, non quòd accidens alicui insit, sed quòd inesse potest: & quòd subiectum est eius susceptiuum, ut quoniam materia est susceptiua formæ, erit etiam susceptiua priuationis, quæ est formæ contraria.

obiectio.

solutio.

NOTANDVM hic est, quòd cum ignorantia duplex sit negationis, & prauæ dispositionis: ignorantia negationis priuatiue opponitur scientiæ: ignorantia uero prauæ dispositionis scientiæ est cõtraria. hic igitur philosophus cum dicit, Erit enim scientiæ susceptiuum siquidem, & ignorantiæ. Intelligit de ignorantia contraria scientiæ, quoniam hoc loco de contrariis loquitur, uel dicamus cum eadem sit ratio de contrariis, & habitu, & priuatione, quoniam sicut idem est subiectum utriusque contrarii susceptiuum, ita idem est susceptiuum habitus, & priuationis. ut igitur admoneret philosophus hunc locum utilem esse & in contrariis, & in habitu, & priuatione, ideo hoc secundum exemplum attulit de habitu, & priuatione.

dubitatio.

SED dubitaret quis, quòd ex hoc loco ostendere possemus, niui non inesse albedinem, aut frigiditatem, quoniam non est susceptiua nigredinis, aut caliditatis. & igni non inesse caliditatem, quoniam non est susceptiuus frigiditatis: & deum non esse susceptiuum uitæ, quoniam neque mortis est susceptiuus.

DICENDVM est hunc locum intelligendum esse in his contrariis, quorum nullum est subiecto connaturale: at niui connaturalis est frigiditas, & albedo: & igni caliditas, & Deo uita. possumus etiam dicere, Deum non esse uitæ susceptiuum, quoniam est ipsius uitæ fons, & αὐτὸς ζωή.

LOCVS VIGESIMVSQVARTVS.

locus uigesimusquartus ex contradictoriis. si negatio accidentis non inest negationi subiecti: neque accidens subiecto inerit. si autem illud inest, & hoc inerit.

Quoniam autem oppositiones sunt quatuor. IN hoc loco tradendo philosophus docet argumentari ex contradictoriis. et quoniam in his uult, quòd argumentemur ex consequentia è conuerso, & summamus hoc ex inductione: ideo primo declarat, quidnam sit hæc consequentia è conuerso. deinde declarat, quomodo hoc sumendum sit ex inductione. tertio ostendit hunc locum esse constructiuum, & destructiuum.

LOCVS igitur est, ut procedamus ex consequentia è conuerso. est autem hæc consequentia è conuerso, quando accipimus oppositum eius, quod est in posita positione prædicatum, & de eo prædicamus oppositum subiecti, ut

honestum

honestum est delectabile, ergo non delectabile non est honestum. dicitur autem consequentia è conuerso, quoniam non constituuntur termini eo ordine, quo in priori propositione sunt cõstituti: ut si diceremus, honestum est delectabile, ergo non honestum non est delectabile; sed ordinem commutamus, ex subiecto prædicatum efficientes, & ex prædicato subiectum. in his enim si uera est affirmatio, uera quoque est huiusmodi negatio: et si uera est hæc negatio, necesse est ueram esse affirmationem modo dicto ei oppositam. & si earum altera falsa est, alteram quoque oportet esse falsam. ad ostendendum autem, quòd reciproca sit hæc consequentia è conuerso, dixit philosophus procedendum esse ex inductione, id est quòd si per singularia discurramus, inueniemus ipsam in omnibus procedere, ut si homo est animal, ergo quod non est animal, non est homo: et si honestum est delectabile, ergo quod non est delectabile, non est honestum: & si factum habet principium, ergo non habens principium non est factum. et huius rei ignorantia errauit Melissus, qui ita argumentabatur, factum habet principium, ergo non factum non habet principium: neque enim hoc modo licet argumentari, quia plerunque falleret, sicuti hoc loco fallit. multa enim sunt, quæ non facta sunt, quæ habent principium, & quemadmodum ex affirmatione negatio consequitur: ita uicissim ex hac negatione illa affirmatio, ut si quod non est animal, non est homo, ergo homo est animal: & si quod non est delectabile, nõ est honestum, ergo honestum est delectabile: & si non factum non habet principium, ergo factum habet principium: atque hinc patet, quomodo hic locus utilis sit ad destruendum, & ad construendum: ad destruendum quidẽ, quoniam si ostendamus falsam esse negationem, ostendemus falsam quoque esse affirmationem modo dicto ei oppositam. si enim falsum est, quod non est bonum non esse uoluptatem, falsum quoque erit uoluptatem esse bonum. falsum autem erit, quod non est bonum non esse uoluptatem. si uerum erit, quod non est bonum esse uoluptatem: quòd autem hoc sit uerum, patet, quoniam intemperantium uoluptates non sunt bonum, & tamen uoluptates sunt, ergo uoluptas non est bonum. Hoc modo destrueremus, quòd dentur lineæ indiuisibiles, ut quidam dixerunt, si enim indiuisibile partes nõ habet, ergo quod partes habet, non est indiuisibile. cum igitur omnis linea partes habeat, (solum enim punctum partes non habet) ergo nulla linea erit indiuisibilis. Vtilis est autem ad construendum, quia si ostendamus ueram esse negationem, uera pariter erit affirmatio: ut si quod non est animal, non est homo, ergo homo est animal: & si quod non est bonum, non est eligibile, ergo bonum est eligibile, & si quod, non est utile non est bonum, ergo bonum est utile: & sicuti ostendimus ex negatione destrui, & construi affirmationem, ita ex affirmatione construitur, & destruitur negatio. quod facile ex dictis intelligi potest.

Melissum ignorantia errasse.

NOTANDVM est hunc locum consimilem esse secundo modo syllogismorum hypotheticorum. sicut enim ibi ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis: ita in hoc loco oppositum prædicati dicitur de opposito subiecti. & hanc conuersionem uolunt quidam eam esse, quæ dicitur à iunioribus conuersio per contrapositionem.

hunc locum similem esse secundo.

NOTANDVM etiam est, quòd uniuersaliter quidem fit consequentia è cõuerso, sicuti diximus ab opposito, scilicet prædicati ad oppositum subiecti. sed quandoque etiam consequentia procedit ex opposito subiecti ad oppositum prædicati, ut in propriis, & definitionibus. si enim homo est risibilis, ergo

go quod non est homo, non est risibile: & si album est disgregatiuum uisus, ergo quod non est album, non est disgregatiuum uisus, sed hic consequentiæ modus in propriis tantum, & definitionibus procedit. prior autem non solum in his, sed etiam in generibus, differentiis, & accidentibus.

LOCVS VIGESIMVS QVINTVS.

locus uigesimus quintus ex consequẽtia in contrariis. si alicui subiecto habenti contrarium inesse ponitur accidens habens contrarium, oportet, ut alterum quoque contrarium alteri insit contrario, uel eodẽ ordine, uel commutato. si hoc nõ sit, neque illud erit. si autem hoc sit positum, quoque accidens inerit subiecto, uel è contra.

In contrariis autem considerandum. PHILOSOPHVS primo locum proponit ex consequentia in contrariis, & docet quomodo ipso utamur. secundo ostendit, quomodo ad idem fiat consequentia. tertio quomodo fiat è conuerso. postremo quomodo sit constructiuus, & quomodo destructiuus.

LOCVS est si alicui contrario aliquod inest contrarium, alteri quoque contrario alterum contrarium inerit. ut si uirtus est eligenda, uitium est aspernandum. hoc autem dupliciter potest contingere, quòd scilicet alteri contrario alterum insit contrarium uel scilicet ad idem, uel è conuerso, id est uel eodem ordine, uel ordine commutato. eodem quidem ordine procedit consequentia, quando duabus existentibus contrariorum coniugationibus ad membra unius membra alterius consequuntur, ut fortitudo, & timiditas sunt contraria, & uirtus, & uitum, & ad fortitudinem consequitur uirtus. ad timiditatem uero uitium, ita ad honestum consequitur delectabile. ad turpe autem consequitur molestum: & ad ingenerabile consequitur incorruptibile: ad generabile autem corruptibile. contraria enim sunt, ut dicit Alexander, generabile, & ingenerabile, corruptibile, & illa sunt antecedentia, hæc uero consequentia. Ordine autem commutato procedit consequẽtia, quando duabus existentibus coniugationibus contrariorum non ad mẽbra unius membra alterius consequuntur, sed ad unum membrum primæ cõiugationis unum membrum secundæ consequitur: & rursus ad alterum membrum secundæ alterum membrum primæ consequitur, ut bonus habitus, & malus habitus sunt contraria: & sanitas, & ægritudo, & ad bonum habitum consequitur sanitas. omnis enim qui bonum habitum habet, sanus est: sed ad malum habitum non consequitur ægritudo, sed è conuerso ad ægritudinem consequitur malus habitus. omnis enim qui est æger in malo habitu est, non tamen quicunque est in malo habitu, est æger, quia plerique sani sunt mali habitus. eodem modo uitium, & uirtus sunt contraria, & felicitas, & infelicitas: & ad uitium consequitur infelicitas: ad felicitatem uero consequitur uirtus, quoniam qui est felix, oportet, ut sit uirtute præditus, non tamen qui uirtute est præditus, omnino est felix. quemadmodum enim imperito artifici imperitia satis est, ut in agendo erret: perito uero nõ sufficit ars, ut recte operetur, sed accommodatis etiam instrumentis indiget. idem esse uidetur in uirtute, & uitio. Sicut autem superius admonuit philosophus procedendum esse per inductionem: idem hoc loco docet, neque minus, quã ille est hic locus aptus ad construendum, & destruendum: ad construendum quidem, quoniam si ostendamus, quòd ad contrarium consequatur contrarium, oportet, quòd aliud etiam contrarium consequatur, uel eodem ordine, uel commutato, ut quoniam ad caliditatem consequitur rarefactio, necesse est, quòd ad frigiditatem consequatur condensatio, uel è contra.

AD destruendum autem, quoniam ostendentes, quòd alterum contrarium ad alterum nullo modo consequitur: neque scilicet eodem ordine, neque commutato, ostendemus, quòd neque ad alterum, alterum consequi ullo

modo

modo potest: ut si ostendamus, quòd ad bonum non consequitur album, neque ad album bonum, ostendemus etiam, quòd nullo modo ad nigrum malum consequitur.

LOCVS VIGESIMVS SEXTVS.

Similiter autem contrarijs, & in priuationibus etc. SICVTI dictum est procedere consequentiam in contrariis, eodem modo procedit in priuatione, & habitu: præterquam, quòd in his nunquam fit consequentia ordine commutato; sed semper eodem. Si igitur ad uisum sequitur sensus, ergo ad cæcitatem sequitur insensibilitas, quæ aptius à Græcis dici tur ἀναισθησία. & si ad auditum sequitur intelligere, ad surditatem sequetur non intelligere: & si ad ordinationem sequitur forma, ad inordinationem sequetur priuatio: & si ad uitam sequitur sentire, ad mortem sequetur non sentire.

locus uigesimus sextus ex consequẽtia in priuatione & habitu. si habitus consequitur habitum, & priuatio consequetur priuationem eodem ordine, & econtra: & si hoc nõ fit, neque illud erit.

SED dubitaret quis, quòd ad uisionem sequitur uita. si quis enim uidet, idem uiuit; non tamen ad cæcitatem sequitur mors: ex loco autem tradito sequi deberet. Soluit Alexander, quod oportet considerare ne ad utrunque contrariorum, quæ sunt in una coniugatione, alterum eorum consequatur, quæ sunt in altera coniugatione. tunc enim locus traditus non procedet, & ratio est, quoniam in eo dicitur, si ad alterum alterum consequatur: hic autem alterum consequitur non ad alterum, sed ad utrunque, sicuti sequitur uita ad uisum, & cæcitatem. & sicuti etiam sequitur ipsa uita ad somnum, & uigiliam, & in uniuersum ad omnes sensus, et suas priuationes: intelligendus igitur est locus, quando alterum ad alterum solum consequitur, & non ad utrunque. & hinc etiam patet, non sequi. prodigalitas est uitium, ergo auaritia est uirtus, quoniam alterum horum contrariorum, consequitur nõ ad alterum, ut locus dicit, sed ad utrunque.

NOTANDVM etiam est hunc locum, sicuti & superiores, esse constructiuum, & destructiuum.

LOCVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

Similiter autem habitui & priuationi etc. HIC philosophus primo locum proponit: deinde duo affert exempla: tertio affert instantiam: ultimo eã dissoluit. SICVTI dictum fuit in priuatiue oppositis consequentiam semper procedere eodem ordine, & nunquam commutato: ita & in relatiuis procedit. quare si ad principem sequitur regere, ergo ad subditum regi: & si ad regere sequitur bene afficere, ergo ad regi sequetur bene affici: & si ad scientiam sequitur existimatio, ergo ad scibile sequetur existimabile: & si ad triplum sequitur multiplex, ergo ad tertium, uel subtriplum, (quibus uocibus tertiam partem intelligimus, quam Græci appellant τριτημόριον) sequetur submultiplex, quod ipsi dicunt πολλοστημόριον, id autem est submultiplex, quod est aliqua pars eius, ad quod refertur: & si ad duplum sequitur excedens, ergo ad dimidium sequitur excessum. Sed aduersum hunc locum obiicere aliquis posset, quoniam uerum quidem est, sensibile est scibile, non tamen licet inferre, ergo sensus est scientia. sed soluitur hæc obiectio, eo quòd falsum assumit, quòd scilicet sensibile sit scibile. indiuiduorum enim & singularium sensus quidem est, non tamen scientia, quoniam scientia est ipsorum uniuersalium. si igitur singularium non est scientia, sed solum sensus: ergo sensibile non est scibile. quare argumentum illud retorqueri potius potest ad probandum,

locus uigesimusseptimus ex consequẽtia in relatiuis. si relatiuum inest relatiuo, correlatiuum quoque inerit correlatiuo.

obiectio.

solutio.

quòd ſenſibile non ſit ſcibile. ſi enim ſenſus non eſt ſcientia, ergo neque ſenſibile eſt ſcibile.

INTELLIGENDVM autem eſt, quòd ſenſibilium non eſt ſcientia per ſe, ſed per accidens, quatenus ſenſibilia per abſtractionem fiunt uniuerſalia.

NOTANDVM autem eſt hunc etiam locum conferre ad conſtruendum, & deſtruendum, ſicuti & ſuperiores: adiecta tamen conditione ſuperius dicta, quòd ſcilicet ad alterum oppoſitorum conſequatur, alterum tantum & non utrunque, & ideo non ſequitur: uerum eſt complexum, ergo falſum incomplexum, quia utrunque ſequitur ad complexum.

LOCVS VIGESIMVS OCTAVVS.

locus uigeſimus octauus ex coniugatis, et caſibus. ſi alicui ex coniugatis aliquid accidens ineſt, aliis quoque coniugatis accidentis coniugata inerunt. et ſi alicui non ineſt, neque alijs inerit. & ſi aliquid accidens alicui ineſt, coniugatis quoque contrarii ſubiecti coniugata contrarii accidentis inerunt.

Rurſus in coniugatis & caſibus, &c. PRIMO philoſophus proponit, quòd ex coniugatis, & caſibus conſtruere poſſumus, & deſtruere: deinde declarat, quænam ſint coniugata: tertio quinam ſint caſus: quarto docet, quòd caſus etiam referuntur ad coniugata, & quare coniugata appellentur: quinto locum exponit: poſtremo docet, quòd non ſolum ipſum propoſitum, & eius coniugata conſiderare debemus; ſed & eius oppoſita.

VT intelligi poſsit, quomodo argumenta deſumenda ſint ex coniugatis, & caſibus tum ad deſtruendum, tum ad conſtruendum. uidendũ prius eſt, quidnam ſint coniugata, & quid ſint caſus. Ea, quæ ab aliquo ita denominantur, ſicuti iuſtum, & iuſtus à iuſtitia; & forte, & fortis à fortitudine. Præterea ea, quæ ab eo denominantur, cuius ſunt effectiua, uel conſeruatiua, ſicuti ſalutare, & ὑγιεινόν coniugata dicuntur & inter ſe, & cum eo, à quo dicuntur. in qua re differunt à denominatiuis, quoniam denominatiua dicuntur ſolum à ſuo primitiuo, non dicuntur autem denominatiua inter ſe, neque cum eo. caſus autem dicuntur ea, quæ ab aliquo ita dicuntur, ſicuti à prudentia prudenter, à iuſtitia iuſte. differunt autem caſus à coniugatis, quòd coniugata res quaſdam ſignificant: uel enim ſignificant aliquid factum ab ipſo primitiuo, ut iuſtum, uel ipſum habens, ut iuſtus, uel eius effectiuum, aut conſeruatiuum, ut ſalutare, & nomina ſunt. caſus autem non ſignificant res, ſed modum actionis, uel diſpoſitionis cuiuſdam, & ſunt aduerbia. coniugata tamẽ, quando latius accipiuntur, comprehendunt etiam caſus. nam & caſus ſub eodem quodammodo iugo cum ſuo primitiuo uidentur comprehendi, ut iuſte cum iuſtitia, muſice cum muſica. coniugata enim σύςοιχα à græcis dicta, nomen inde ſumpſerunt, quod in eadem ſunt coordinatione, quam ipſi dicunt συςοιχίαν. coniugata igitur erunt, ut fortitudo, forte, fortiter: iuſtitia, iuſtus, iuſtum, iuſte, & huiuſmodi alia. ita igitur patet, quid ſint coniugata, quid caſus eſt, quòd caſus ad illa deducantur.

LOCVS autem ex coniugatis eſt, ſi alicui ex coniugatis accidens aliquod ineſt, aliis quoque idem accidens inerit: & ſi alicui non ineſt, neque aliis inerit. Quare erit & conſtructiuus, & deſtructiuus. ſi igitur uellemus conſtruere, quòd iuſtitia ſit laudabilis, oſtendentes, quòd uir iuſtus ſit laudabilis, aut quòd iuſte fit, laudabiliter fiat, propoſitum oſtendemus.

SI autem uelimus deſtruere, oſtendemus, quòd alicui ex coniugatis accidens propoſitum non ineſt: ut ſi uellemus oſtendere, quòd iuſte ſit non fieri inutiliter, oſtendemus, iuſtitiam non eſſe inutilem, eo quòd nulla uirtus eſt inutilis: iuſtitia igitur cũ ſit uirtus non erit inutilis. quare neque quod iuſte fit, inutiliter fit. Hic autem philoſophus, cum dixiſſet, quòd ſimul cũ aliis cõiugatis iuſtitiæ, & ipſum iuſte erit ex laudabilibus: ſubdit quòd iuſte dici debet

bet laudabiliter secundũ eundem casum, ut scilicet coniugata apte enuncientur, quòd iustitia laudabilis dicatur, iustum laudabile, & iuste laudabiliter. NOTANDUM etiam est, quòd quemadmodum denominatiua cum suis primitiuis conueniunt & nomine, & significatu: & rursus ab eisdem, & nomine & significatu differunt. Ita debent se habere & ipsa coniugata.

DEFINIVIT ea in Topicis Cicero, hoc modo coniugata dicuntur, quæ sunt ex uerbis generis eiusdem. eiusdem autem generis uerba sunt, quæ orta ab uno uarie commutantur. uoluitq; quòd coniugata à Græcis appellentur σύζυγα ἀπὸ τῆς συζυγίας, sed ab Aristotele, & à Peripateticis appellantur σύστοιχα ἀπὸ τῆς συστοιχίας.

Ciceronem in Topicis definisse coniugata.

Considerandum autem non solum in eo &c. HIC philosophus non tradit nouum locum, ut quidam arbitrantur, sed hæc est pars prioris loci, ubi docet, quòd non solum coniugata ipsius propositi consideremus, sed etiam cõiugata oppositi: sicut enim superius dictum fuit in loco ex consequentia in contrariis, si contrarium sequitur ad contrarium, oportet, ut inter reliqua quoque contraria sit consequentia; uel eodem ordine, uel commutato. si igitur uelimus probare, quòd bonum non ex necessitate est delectabile, non solum considerare debemus, utrum id, quòd bene fit, laudabiliter fiat: sed etiam debemus uidere, utrum malum sit molestum, & utrum id, quod male fit, moleste fiat. si autem hoc non sit (sunt enim quædam mala delectabilia,) ergo neque bonum erit omnino delectabile: & si probare uelimus iustitiam non esse scientiam, non solum considerare debemus, utrum id, quod iuste fit, scienter fiat; sed etiam utrum iniustitia sit ignorantia; & utrum id, quod iniuste fit, ignoranter, & imperite fiat; quoniam autem id, quod iniuste fit, scienter magis fit, quàm imperite. consulto enim & insidiose pleraque iniusta fiunt. si igitur quod iniuste fit, scienter fit, ergo iniustitia non est ignorantia: neque igitur iustitia erit scientia. Notat postea Aristoteles hunc locũ, qui scilicet loco ex coniugatis suppetias fert superius fuisse explicatum.

LOCVS VIGESIMVS NONVS.

Amplius in generationibus &c. DIVIDITVR hic locus in quatuor partes, quas etiam quatuor locos posset aliquis appellare. unus est ex generatione, secundus ex corruptione, tertius ex effectiuis, quartus ex corruptiuis. Ex generatione talis est locus, quorum generatio est bona, & ipsa bona sunt; & quorum generatio mala est, ipsa quoque mala sunt, ut si sanitatis, uirtutis, aut eruditionis generatio bona est, hæc quoque bona sunt; & si ægritudinis, aut paupertatis generatio mala est, hæc quoque mala sunt. Ex corruptione autem opposito modo consequentia procedit, quorum enim corruptio bona est, ipsa sunt mala, & è conuerso; quorum corruptio mala est, ipsa sunt bona, ut si sanitatis, corruptio mala est, sanitas igitur bona est, & si morbi corruptio bona est, morbus igitur est malus.

locus uigesimus nonus ex generatione, & corruptione, effectiuis, & corruptiuis: quorum generatio est bona, ipsa sunt bona: & eorũ, quæ bona sunt, generatio est bona.

LOCVS autem ex effectiuis est, quorum effectiua, siue conseruatiua sunt bona, ipsa quoque bona sunt, ut quoniam moderata uictus ratio, quæ sanitatem conseruat, bona est, sanitas igitur bona est: & quoniam moralis educatio est bona, uirtus, ad quam ea conducit, bona est. ex corruptiuis autẽ, quorum corruptiua sunt bona, ipsa sunt mala, ut quoniam medicamentum est morbi corruptiuum, est igitur bonum.

DVBITAT hoc loco Alexander, utrum sicuti quorum effectiua bona sunt,

dubitatio Alexandri.

ſunt, ipſa quoque bona ſunt, an etiam quorum effectiua ſunt, mala ipſa quoque ſint mala. ſi enim hoc concedatur, recte concludent Stoici, quod à malo fit, non poteſt eſſe bonum, ſed diuitiæ à malo plerunque fiunt, ut lenocinio, aut furto, ergo diuitiæ non ſunt bonum. Reſpondet Alexander, quòd dicere poſſumus hunc locum eſſe probabilem, ſed non ſemper uerum, quòd ſcilicet quorum effectiua ſunt mala, ipſa quoque ſint mala. nihil enim prohibet aliquod bonum ab aliquo malo fieri, ut ſanitatem ab uſtione, aut ſectione. aliam præterea affert ſolutionem, quòd philoſophus ſolum dixit, quorũ effectiua bona ſunt, ipſa quoque bona ſunt: non autem addidit quorum effectiua ſunt mala, ipſa quoque mala: ſicut enim ex ueris omnino uerum ſequitur, ac impoſsibile eſt ſequi falſum, non tamen ex falſis neceſſe eſt falſum ſequi. poteſt enim & uerum ſequi, ita & quod à bonis fit, omnino bonum eſt: at quod à malis non eſt neceſſe, quòd ſit malum, ſed poteſt etiam eſſe bonum, ſicut efficitur ſanitas ex uſtione, & ſectione; & diuitiæ ex lenocinio.

ſolutio.

Notandum præterea eſt, quòd ſicuti non eſt neceſſe, quorum effectiua ſunt mala, ipſa quoque eſſe mala: ita neque eſt neceſſe, quorum corruptiua ſunt mala, ipſa eſſe bona. poteſt enim malum à malo tolli, ut ſi prauus aliquis illato uulnere pereat: etſi uulnus ſit malum, non tamen ille erat bonus. Sed notandum eſt, quòd licet hi duo loci, uidelicet quorum effectiua ſunt mala, ipſa quoque mala ſunt: & quorum corruptiua ſunt mala, ipſa ſunt bona, non ſint omnino ueri, quoniam tamen probabiles ſunt, poſſunt interdum uſui eſſe dialectico.

quid notãdũ.

NOTANDVM etiam eſt aliud eſſe generationem; aliud uero effectiuum: ſicut & aliud corruptionem; aliud uero corruptiuum. Generatio eſt, ut ſanari, & ad uirtutem inſtitui; effectiuum uero, ut dieta, & diſciplina. per generationem enim intelligere debemus ipſum fieri; per effectiua uero ea, quibus aliquid fit.

PRAETEREA notandum eſt, quòd à generatione, & corruptione non ſolum dictis modis procedit conſequentia, quòd ſcilicet ſi generatio bona eſt, ipſum quoque bonum eſt: & ſi generatio mala, ipſum eſt malum. ſed etiam ſi res bona eſt, eius generatio bona eſt: & ſi res mala eſt, eius generatio mala eſt: idem dicendum de corruptione. Sed hi loci ſunt potius ex generato, aut corrupto, quàm ex generatione, aut corruptione: & hunc etiam conſequentiæ modum annotare uoluit philoſophus, cum dixit, Si, ipſa bona ſunt, & generationes.

LOCVS TRIGESIMVS.

locus trigeſimus ex proportione eorum, quæ cõſimiliter ſe habent ad aliqua, uel aliquibus eadẽ debet eſſe ratio.

Rurſum in ſimilibus, ſi ſimiliter ſe habent. HIC locus eſt ſumptus ex ſimilitudine, ſeu analogia: & eſt, quòd eorum, quæ conſimiliter ſe habent ad aliquid, uel in aliquo, eadem debet eſſe ratio, ut quoniam ſcientia, ita ſe habet ad ſcibilia, ſicut opinio ad opinabilia. ſi ſcientia eſt una plurium, ergo & opinio eſt una plurium: & ſi hoc ſit in opinione, erit etiam in ſcientia: & ſi ita ſe habet uiſus ad ipſum uidere, ſicut auditus ad ipſum audire, oſtendemus quoniam uiſum habere per ſe non ſufficit ad uidere. ſpatio enim & lumine præterea opus eſt, ergo neque auditum habere per ſe ſufficiet ad audiendum: & ſi hoc non ſit per ſe ſufficiens, neque illud: & ſi eorum unum ſit per ſe ſufficiẽs, ergo & alterum. atque ita hic locus erit aptus non ſolum ad conſtruendum, ſed etiam ad deſtruendum. Admonet autem Ariſtoteles, ut hoc loco utamur in exiſtentibus, & in apparentibus, id eſt in his, quæ uere ſimilia ſunt, & in

& in his, quæ probabiliter sunt similia: atque in his, quæ uere similia sunt. uerum semper concludetur, ut si dicamus, sicuti se habet punctus ad lineam, ita unitas ad numerum. in his autem, quæ probabiliter sunt similia, non omnino uerum concludetur. probabiliter autem similia sunt, ut scientia ad scibilia, ita opinio ad opinabilia: & ut uisus ad uidere, ita tactus ad tangere. non sunt autem uere similia, quoniam scientia est immutabilis fidei. opinio autem non est talis, uisus ut propria sensibilia percipiat, medio indiget, & hoc illuminato. tactus autem his non indiget, sed præterea quædam sunt, quæ apparentem habent probabilitatem, ut secundum figuram dictionis: sicuti si diceremus timere, & docere similia sunt, ergo sicuti docere actionem significat, ita & timere: aut diuidere, & intelligere similia sunt, ergo sicuti diuidere ita, & intelligere actionem significabit, sed hæc similitudo sophistica est, & eius usus ad dialecticum non pertinet.

NOTANDUM est, quòd cum similitudo duplex sit, quædam absolute dicta, quæ in qualitate consistit. sunt enim similia ea, quorum qualitas est una, sicut ea sunt eadem, quorum substantia est una: & ea, quorum quantitas est una, sunt æqualia. alia est similitudo, quæ in relatione ad aliud consistit, quæ dicitur proportio, siue analogia, quæ duplex est, ut in fine primi libri dictum fuit, uel ad aliquid, uel in aliquo. Hic igitur philosophus de proportione loquitur, non de similitudine absolute dicta. quid notãdũ.

LOCVS TRIGESIMVS PRIMVS.

Considerandum autem & si in uno, & si in pluribus. HVNC locum dicere possumus sumptum esse ex uno, & pluribus. est autem, quòd si aliquod accidens attribuitur alicui, & illud subiectum in uno dicitur, in pluribus etiam dici debet, exempli causa, si docere unum est prodesse uni, ergo docere multos est prodesse multis. si autem hoc non sit, neque illud erit: & si recordari alicuius est cum eius imaginatione, ergo recordari plurium est cum plurium imaginatione: & si unus homo est rationalis, & plures erunt rationales: & si scire est ratiocinari, seu cogitare, ergo plura simul scire est plura, simul cogitare: si autem impossibile est plura simul cogitare, ergo scire non est cogitare. quòd autem impossibile sit plura simul cogitare, patet, quoniam quicunque cogitat, seu ratiocinatur unum quid cogitat. sicut enim impossibile est plures orationes simul proferre, ita & simul cogitare multa. cogitatio enim seu discursus est oratio quædam ipsius animæ secum ipsa loquẽtis.

locus trigesimusprimus est ex uno, & pluribus. si aliquid accidens alicui, & unum de uno dicitur, etiam plura de pluribus dicentur.

NOTANDUM est dupliciter exponi ab Alexandro uerba illa, Aliquoties enim dissonant. Prima expositio est, quòd hoc dixerit philosophus, ob loci correctionem, ut scilicet annotaret, quòd aliquoties dissonant, id est quòd aliquando hic locus non concludit uerum, sicuti in hoc exemplo: neque enim si impossibile est multa scientem multa cogitare: propterea scire non erit cogitare. Alia expositio longe melior est, quòd dixerit illud, Aliquoties enim dissonant. non ob calumniam loci, sed ut indicaret, in quibusnam hic locus utilis sit ad destruendum. ubi enim aliquid in uno quidem se habet, nõ tamen in pluribus incipientes nos à pluribus ostẽdemus, quòd neque in uno est, ut uidebatur, sicut in proposito exemplo.

uerba philosophi ab Alexandro dupliciter exponi.

ATQVE hinc apparet hunc locum esse aptum ad construendum, & ad destruendum: & quomodo construentes, & quomodo destruentes procedere debeamus.

LOCVS

LOCVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

locus trigesimus secũdus ex magis & minus. si aliquid accidẽs inest alicui subiecto, & magis ipsius accidentis inerit magis ipsius subiecti, quòd si magis non insit magis, neque simpliciter inerit simpliciter.

Amplius ex magis, & minus &c. QVATVOR locos nobis præbet philosophus in comparatiuis, qui desumuntur ex magis, & minus: & sunt omnes & destructiui, & constructiui. primus est, quando unum de uno dicitur: & hæc secundum magis, & minus comparationem recipiunt. secundus est, quando unum de duobus dicitur. tertius est, quando duo dicuntur de uno.. quartus, quando duo dicuntur de duobus. Primum igitur primo explicemus, cum aliquod accidens alicui attribuitur, & eorum utrunque magis, & minus suscipiat. si magis inerit magis, & simpliciter inerit simpliciter. si autem magis non insit magis, neque simpliciter inerit simpliciter, exempli causa, si quæratur utrum uoluptas sit bonum, quoniam utrunque suscipit magis, & minus: & uoluptas, scilicet et bonum inspicere debemus, nunquid maiori uoluptati maius insit bonum. si enim maiori uoluptati maius bonũ inest, uoluptati quoque bonum inerit: si autem maiori uoluptati maius bonũ non inest, neque uoluptati bonum inerit: & si quæratur, utrum iniuriam facere sit malũ, inspicere debemus, utrum maiorem facere iniuriam sit maius malum. si enim maiorem facere iniuriam est maius malum, quàm minorem, ergo facere iniuriam est malum. si autem illud maius malum non sit, sicuti illis uidetur, qui tyrannum esse malum non putant: neque igitur iniuriam facere malum erit. eodem modo diceremus, si magis algere est maius malum, ergo algere est malum: et si magis esse pauperem est maius malum, ergo esse pauperem est malum: et si magis affectare laborem est maius malum, ergo affectare laborem est malum.

EST autem hic locus utilis ad construendum, & destruendum: sed si destruere uolumus, debemus incipere ab ipso magis: destruentes enim, quòd magis non inest ostendemus, quòd neque simpliciter, neque minus inest. si autem construere uelimus, debemus incipere ab eo, quod simpliciter inest. si enim simpliciter inest, etiam magis inest: & si minus inest, etiam simpliciter inest: & hæc omnia conspici possunt in exemplis prius allatis.

ADMONET autem philosophus, ut hoc assumamus ex inductione, utrum scilicet intensioni subiecti intensio prædicati insit: ut si uelimus ostendere, utrum maiori uoluptati maius bonum insit, debemus inductiue percurrere, quænam sint maiores uoluptates, ut quòd maiores uoluptates sunt ueneris, cibi, & potionis. Sunt enim aliis omnibus uehementiores, quare maiores. si autem hæ non sunt maius bonum, neque igitur uoluptas erit bonum. possumus etiam illud, Hoc autem ex inductione sumendum, alio etiam modo interpretari, quod ad construendum procedere debeamus, ex eo quòd simpliciter inest ad id, quod magis ad destruendum uero opposito modo est assumendum ex inductione: ita enim esse in singulis patebit.

LOCVS TRIGESIMVS TERTIVS.

locus trigesimus tertius est, si quid nõ insit cui magis inesse cõsentaneũ est, neque inerit cui minus, si autem insit cui minus inesse consentaneum est, inerit quoq; cui magis.

Alius uno de duobus dicto &c. HIC est secundus locus sumptus ex magis, et minus, quando aliquod unum de duobus dicitur: et est, quòd si cui magis consentaneum est inesse, non inest: neque cui minus inesse uidetur, inerit. contra uero, si cui minus consentaneum est inesse, inest: ergo et cui magis inesse uidetur, inerit. cum igitur aliquod pluribus attribuitur, si destruere uelimus, debemus probare, quòd cui magis uidetur inesse, non inest. ita enim probabimus, quòd neque cui minus uidetur inesse, inerit; ut si probare

uelimus

uelimus diuitias non esse bonum, ostendemus quòd sanitas, quæ magis uidetur esse bonum, bonum non est forte, quoniam sanitas plerisque sit malorum causa: bonum autem non sit mali alicuius causa, uel quoniam non efficiat bonos possidentes: bonum autem bonos efficiat possidentes. si igitur sanitas non est bonum, neque diuitiæ bonum sunt. si autem construere uelimus, ostendemus, quòd cui minus uidetur inesse, inest, ergo & cui magis ut exercitium, quod minus uidetur esse bonum, quàm diuitiæ, est tamen bonum, quia sanitatis est effectiuum, ergo & diuitiæ sunt bonum.

LOCVS TRIGESIMVS QVARTVS.

Rursum duobus de uno dictis. HIC est tertius locus sumptus ex magis, & minus, quando duo de uno dicuntur: quare est quodãmodo conuersus prioris. in eo enim unum de duobus dicebatur, quando igitur duo accidentia eidem attribuuntur. si id, quod magis ei uidetur inesse, non inest: neque id, quod minus uidetur inesse, inerit. si autem id, quod minus uidetur inesse, inest, ergo & id, quod magis inesse uidetur, inerit. si igitur destruere uelimus, ostendere debemus id, quod magis uidetur inesse, non inesse: ut si uelimus ostendere, quòd dux non possit expugnare ciuitatem, ostendemus, quòd neque rex: & si uelimus ostendere, quòd uir prudens non est fortis, ostendemus, quòd neque audax, qui magis uidetur, est fortis. si autem construere uelimus, ostendemus, quòd id, quod minus uidetur inesse, inest: ut si uelimus ostendere, quòd discere sit iucundum, ostendemus, quòd discere sit utile, quod minus esse uidetur: & si uelimus ostendere, quòd iniuriam facere, turpe sit, ostendemus, quòd inutile est, quod minus uidetur.

locus trigesimus quartus est si id, quo magis alicui consentaneũ est inesse ipsi, non insit, neq; id, quod minus uidetur inesse ipsi, inerit, ꝙ si id insit alicui, quod minus ipsi inesse uidetur, ipsi quoq; inerit, quod magis inesse cõsentaneũ est.

LOCVS TRIGESIMVS QVINTVS.

Amplius duobus de duobus dictis etc. HIC est quartus locus sumptus ex magis, & minus, quando duo de duobus dicuntur: & est, quod quando duo de duobus dicuntur alterum, scilicet de altero. si id, quod magis alteri uidetur inesse, non inest ei, neque reliquum, quod minus reliquo uidetur inesse, ipsi inerit, si autem id, quod minus uidetur inesse alteri, inest, id etiam, quod magis uidetur inesse reliquo inerit, quare non minus, quàm superiores confert hic locus ad construendum, & destruendum. ut si prodigus magis uidetur liberalis, quàm illiberalis prudens, non est autem prodigus liberalis: neque igitur illiberalis est prudens. & si sanitas magis uidetur esse bonum, quàm paupertas malum, non est autem sanitas bonum: neque igitur paupertas malum. & si minus uoluptas uidetur esse bonum, quàm labor malum, est autem uoluptas bonum, ergo labor est malum. & si modestus minus uidetur esse iustus, quàm immodestus iniustus: est autem modestus iustus, ergo immodestus iniustus.

locus trigesimus quintus est si id, quod uni inesse magis consentaneam est, ipsi non insit, neq; id, quod alteri minus consentaneũ est, inesse ipsi inerit. si autem hoc insit, illud quoque inerit.

LOCVS TRIGESIMVS SEXTVS.

Amplius ex eo, quod similiter inest. TRES alios locos præbet philosophus in his, quæ comparationem recipiunt, qui sumuntur ex similiter inesse, atque hi tres loci correspondent tribus posterioribus locis ex magis, & minus. primus enim est, quando unum duobus inest. secundus, quando duo uni insunt. tertius, quando duo insunt duobus. quare autem non sit etiam ali-

O quis

locus trigesimus sextus est ex similitudine. si id, quod consimiliter aliquibus inesse probabile est, alteri eorũ insit, alteri pariter inerit, & si alteri nõ insit, neq; alteri inerit.

quis locus, qui correſpondeat primo eorum, qui ſumuntur ex magis, & minus, ratio eſt, quoniam in eo dicebatur, quando aliquod accidens ineſt alicui ſubiecto, eius quoque intenſio inerit intenſioni ſubiecti. hoc autem inueniri non poteſt in his, quæ ſimiliter inſunt. non enim id, quod magis eidem ineſt, ſimiliter ineſt. primus igitur locus ex his, quæ ſimiliter inſunt, eſt quando unum aliquibus duobus ſimiliter ineſſe uidetur. ſi enim oſtendatur alteri eorum non ineſſe, neque alteri inerit: & ſi oſtendatur alteri ineſſe, alteri quoque inerit: ut ſi ſimiliter parendum eſt legibus, & parentibus. parentibus autem obedire debemus, ergo & legibus, & ſi uoluptas, & diuitiæ ſimiliter bona ſunt, ſi uoluptas non eſt bonum, ergo neque diuitiæ.

SECVNDVS locus eſt, quando duo uni ſimiliter ineſſe uidentur, & in his etiam. ſi alterum ſit, alterum quoque erit: & ſi alterum non ſit, neque alterum erit; ut ſi tyrannidi ſimiliter ineſt bonum, & utile; ſi bonum ei non ineſt, ergo neque utile: & ſi uiro forti ſimiliter ineſt confidere, quando oportet, & timere, quando oportet, ſi ipſi non ineſt timere, quando oportet, ergo, neque confidere, quando oportet, & ſi hoc ineſt, & illud inerit.

TERTIVS locus eſt, quando duo duobus ſimiliter ineſſe uidentur; ſi alterum alteri non ineſt: neque reliquum reliquo inerit. ſi autem alterum alteri ineſt: reliquum quoque inerit reliquo: ut ſimiliter ineſſe uidentur, uiro forti audacia, & timido ſecuritas. non ineſt autem forti audacia, ergo neque timido ineſt ſecuritas: & ſi ſimiliter uoluptas eſt bonum, & labor malum; labor autem non eſt malum, neque igitur uoluptas eſt bonum.

LOCVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

locus trigeſimus ſeptimus ex appoſitione ſi aliquid addatur alicui, efficiatq; ipſum quale prius non erat, ipſum quoque additum tale eſt.

Amplius autem ex appoſitione. DVOS locos tradit Ariſtoteles ex appoſitione alterius ad alterum, qui ſolum ſunt conſtructiui; quorum primus eſt, quãdo aliquid alicui additum illud tale efficit, quale prius non erat, ipſum quoque additum tale erit, quale totum efficitur: ut ſi quis additum alicui ipſum efficit album cum prius album non eſſet, ipſum igitur additum album eſt, eodem modo ſi quid additum alicui ipſum efficit fragrans, aut dulce: ipſum quoque eſt fragrans, aut dulce. Hoc modo Plato oſtendit animam eſſe uitam: anima enim corpori adueniens ipſum efficit uiuens: ſi autem anima eſt uita, erit igitur immortalis, eo quòd non erit ſuſceptiua ſui contrarii, mortis ſcilicet. nullum enim contrarium ſui contrarii eſt ſuſceptiuum.

LOCVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

locus trigeſimus octauus exiſtens in ſuſcipientibus magis, & minus.

Rurſum ſi quid magis, & minus dicitur. HIC locus etiam ipſe eſt in ſuſcipientibus magis, & minus, et comparationem ſecundum hoc utilis: et eſt ſimiliter ſolum probatiuus, ut prædicti, ſed non deſtructiuus. nam quòd magis aliquid, uel minus eſt aliquo, hoc etiam ſimpliciter eſt, non uelut natura eius exiſtentis talis, ſed uelut talis exiſtentis ipſi. quatenus magis aliquo, uel minus eſt, ut ſi magis aliquo eſt, uel minus hoc aliquid dulce, et ſimpliciter eſt dulce: nam ſi non eſſet uniuerſaliter dulce, nec magis, & minus aliquo dulci diceretur. nihil enim quòd nõ participat aliquo ipſum dicitur aliquo magis, & minus habere, ut ſi non participat albo, neque magis aliquo, uel minus eſt album, eo quòd minus proprie nos utimur. ſi autem non participaret aliquo, nullo certe ſecundum ſe magis, uel minus eſt, quòd magis, & minus eſt aliquo, hoc etiam illo ſimpliciter participat. Quãdo igitur quæremus, ſi ineſt

est alicui aliquid horum magis, & minus suscipientium, quærendum est, si alicuius aditum secundum hoc, quo quærimus, si inest eidem magis, uel minus. Nam si aliquid huic inesse ostenderetur, ostensum quoque erit, quòd etiam simpliciter illi ipsi inest, ut si quæreretur: si magis eligibilis est sanitas, quàm uirtus, certe uirtus est eligibilis. & minus album est pallium, quàm nix, quod certe est album. sed uidetur locus habere instantiam: nam dicitur terra leuior terra, & non simpliciter ipsi inest leue, nisi non proprie leuiora dicunt de terra: sed pro hoc minus grauia. Item neque paupertas simpliciter uirtus quanquam dicatur eligibilior morbo, nisi quod in talibus non est proprie eligibilius, sed pro minus fugiendo. igitur ad constructionem (ut dixit) locus est utilis, sed minime ad destructionem. nam hoc non est uerum, si aliquid non suscipit magis, & minus, hoc nec simpliciter est: uel si quid simpliciter non est hoc magis, & minus esse aliquo. nam neque substantia suscipit magis, & minus, neque aliqua quantitas, ut in prædicamentis ostensum est: ideo non necessarium est non esse hominem quendam, cum nec sit, nec magis, nec minus homo.

locum hunc ad cõstrutionem esse utilem.

Eodem autem modo considerandum est. Cum dixerit locum constructiuum ab ipso magis, & minus, quod enim magis & minus aliquo est, hoc etiam simpliciter est, tanquam aliquam habeant similitudinem cum prædicto loco, apponit hunc ab eo secundum aliquid, & illum à quando, illumq; ab ubi. ut enim quod magis alicui inest, & simpliciter illi inest: sic etiam quod secundum aliquid inest alicui, uel quando, uel ubi, uidetur & simpliciter inesse illi. nam secundum quid aspiciens animal, & simpliciter aspicit: similiter etiam secundum aliquid audiens, & secundum aliquid odorans, uel gustans. item unumquodque corpus generabile aliquando existens, & simpliciter est. item si alicubi est hyppocentaurus, uel Sylla, & simpliciter erit. item æstate sanus simpliciter sanus est: & sanus in Græcia, & simpliciter sanus est, & corpus ubi existens, & simpliciter est. Igitur in talibus exemplis consonant loci, non tamen in omnibus sunt ueri: oportet porro ipsis ut uerisimilibus, sed non ut habentibus uim uti. uerisimilitudo autem est constructionis ipsorum, qua usus est ipse: nam si uniuersale, id est simpliciter impossibile est inesse alicui, hoc nec secundum aliquid, nec aliquando, nec ubi potest inesse eidem, consentaneum uidetur, quod secundum aliquid uel ubi, uel aliquando inest alicui, hoc simpliciter etiam inesse, non tamen hoc uerum est. non enim sequitur conuersionem simpliciter inesse, sed posse inesse, quod uerum est. Quod enim secundum aliquid inest alicui, patet, quia etiam potest inesse eidem. similiter & quando, & ubi, quare uerum erit existens secundum aliquid posse, & simpliciter inesse. nam quòd non uerum simpliciter inesse manifestum etiam ipse facit: nam quando Aethiops partim, aliqualiterq; albus existens, quippe secundus dentes est albus, minime simpliciter est albus. nam simpliciter hoc dicitur, ut ipse inquit, calumnians locum, quod sine adiectione dictũ uerum est. quod uero eget additione, ut sit uerum, hoc non est simpliciter, ob id Aethiops simpliciter non est albus, quia sine adiectione non est hoc uerum: Aethiops est albus, sed addito ipso secundum quid, fit uerum.

Simpliciter autem est, quod nullo addito dicis. Cum dixerit instantias contra prædictos locos. Etenim secundum aliquid quidam existentes studiosi non sunt simpliciter tales, & aliquando non corruptum aliquid non est simpliciter incorruptibile, & ubi quidem confert uti tali diœta, ut in locis morbidis. simpliciter autem non, quòd nullum horum simpliciter est, uel dicitur ostendens simpliciter quid est, indicauit prædictas instantias, quòd recte dictum

eſt formans. quod enim ſine adiectione alicuius uere eſt dicere ſimpliciter eſſe. hoc autem eſt tale. Exemplo autem dicti bono, & malo ipſi uſus eſt. nā quòd ſine adiectione bonum hoc ſimpliciter bonum, & quod per ſe mouetur ſine adiectione, hoc ſimpliciter mouetur. quod uero indiget adiectione, ut uere de ipſo prædicetur moueri, hoc non ſimpliciter mouetur, de quo enim uerum eſt dicere, per accidens mouetur, & non poteſt adiectione uere de ipſo moueri. prædicare, hoc non mouetur ſimpliciter, & in propoſitis ſane quibus cum additione dictis uel hac, aliquo, uel ubi, uel aliquando. poſſumus & ſimpliciter additionem auferentes inferre, uere & ſimpliciter hæc dicerentur, ut ſecundum oculos uidere uerum eſt, immo huius uidentis ſecundum oculos uidere ſine adiectione uere prædicatur, ſed minime ſi natura liberale uere prædicatur omnino, & ſimpliciter liberale ſine adiectione, & in aliis ſimiliter.

EXPLANATIO LIBRI III TOPICORVM ARISTOTELIS.

VT EA rectius assequamur, quæ in hoc tertio libro à philosopho traduntur, explicemus prius eius propositum, & quomodo hic liber cum superiori cōnectatur, & si quæ alia his sunt annexa.

primum polliceturse expli caturum Aristotelis propositum; deinde connexionē istius libri cum superiori.

PROPOSITVM igitur philosophi in hoc tertio libro est locos tradere, ex quibus ad comparatiua problemata disputare possimus. sunt autem comparatiua problemata, in quibus quæritur, utrum aliquid sit alio melius, aut eligibilius, aut iustius, aut calidius, aut tale aliquid.

quid philosophus in primo libro tractauit.

CONNECTITVR autem hic liber cum superiori hoc pacto. philosophus in primo libro, ubi docuit, quænam essent problemata accidentis, dixit, quòd accidenti adnectuntur problemata comparatiua. cum igitur in secundo libro de problematibus accidentis locutus fuerit, ideo in hoc tertio de comparatiuis acturus est.

SED hic uidendum est, qua ratione comparatiua problemata accidenti annectantur; deinde quænam sit comparatiuorum problematum materia, atque hic huius tractationis usum ostendemus. tertio in quibus prædicamentis reperiantur. quarto uidebimus, quot modis fiant comparatiua problemata.

cur problemata comparatiua accidenti annectantur.

ANNECTVNTVR comparatiua problemata accidenti, quoniam in solis accidentibus fieri potest comparatio. in comparatione enim semper est magis, & minus. at magis & minus in solis est accidentibus. neque enim genus his, quibus proximum est, magis aut minus inesse potest, neque proprium, neque definitio. accidens uero, eo quòd est extra eius substantiam, cui inest, ideo & magis, & minus inesse potest, quemadmodum etiam inesse potest secundum partem, qua etiam re alia prædicata destituuntur.

materiā problematū per omnem philosophiā esse diffusam.

HORVM autem problematum materia per omnem philosophiam diffusa est. nam & in moralibus plurima sunt talia problemata. ea enim omnia, in quibus quæritur, utrum aliquid sit alio eligibilius, ad moralem philosophiā pertinent, ut utrum sanitas sit eligibilior diuitiis, aut scientia gloria. ad naturalem autem philosophiam ea spectant, in quibus de re aliqua naturali quæritur, ut, utrum luna sit maior terra, utrum melior sit sensus an scientia, utrum simplicior motus sit circularis, aut rectus. in logica etiam facultate multa huiusmodi sunt, ut utrum maiorem efficiat fidem inductio, aut syllogismus, & quis prior syllogismus sit categoricus, aut hypotheticus, & quænam syllogistica figura sit melior. præterea & in omni fere arte inueniuntur huiusmodi problemata. Musicum problema est utrum acutior concentus sit Lidius, an Frigius, & quòd heroicum metrum sit aliis præstantius. utrum autem eligibilior sit medendi ratio, quæ sectione fit, an quæ pharmaco comparatiuum problema est, & ad medicinam pertinet. Hæc præterea problemata ad oratoriam facultatem quammaxime conferunt. eorum enim plurima, quæ ab oratore tractantur, in comparatione consistunt. nam & in deliberationibus de eligibiliori semper agitur, & in iudicialibus controuersiis, ut plurimum de iustiori, qui igitur hæc, quæ hoc in libro traduntur, fuerit

problemata ad facultatē oratoriā conferre.

rit assecutus, in hisq; exerceatur eorum, quæ ad deliberatiuum, & iudiciale genus pertinent, probationes facile inueniet, quibus si reliqua dicendi ornamenta adiecerit, is, quicquid libuerit, facile persuadebit, atque ita patet huius partis usus, atque utilitas.

in quibus prędicamentis fiunt problemata comparatiua. Quę ad qualitatē, & quæ ad quãtitatē referuntur, recenset.

SEQVITVR, ut uideamus in quibusnam prædicamentis fiant comparatiua problemata. fiunt autem in omnibus prædicamentis accidentium, quæ nouem sunt. in substantia enim cum nulli accidat, non fit comparatio. omnis quidem comparatio ad aliquid est, ad id secundum quod fit comparatio. aliquando est qualitas, ut cum quæritur de aliquibus, quodnam sit albius, calidius, leuius, aut iustius. hæc enim omnia ad qualitatem referuntur. ad quantitatem autem, cum quæritur, utrum luna sit maior terra. ad relatiua pertinet, cum quæritur, utrum musica, an geometria sit magis scientia, & utrum uisus, an auditus sit magis sensus. ad ubi spectat, cum quæritur, ubi nam potissimum sit princeps animæ facultas in corde, an in cerebro. ad quando spectat, cum quæritur, utrum in æstate, an in æquinoctio præstet nauigare. ad agere, cum quæritur, quisnam melius sanet sectione utens, an pharmaco. ad pati, cum quæritur, quidnam facilius patiatur corpus ne, an anima. ad situm esse, cum quæritur, Sol ne, an Venus sit terræ propinquior. ad habere, cum quæritur, utrum plantæ, an animalia magis animam habeant, quin & modo quodam in substantia fiunt comparatiua problemata, ut cum quæritur, quænam sit magis substantia prima ne an secunda. ut enim fiat comparatio, sufficit qualiscunque intentio, uel sit secundum magis, & minus secundum latitudinem prædicamenti, uel secundum altitudinem, uel secundum maius, & minus, atque ita patet, ut quibus prædicamentis reperiantur comparatiua problemata.

quot, & quibus modis cõparationes fiunt: aut unũ secundũ plura: aut plura secundum unum.

SVPEREST, ut uideamus, quot modis comparationes fiant. comparantur igitur uel plura secundum unum, uel unum secundum plura, uel plura secundum plura. si plura secundum unum comparantur, uel hæc plura erũt seiuncta, & simpliciter prolata, uel coniuncta cum aliis quibusdam. et si coniuncta sint, uel cum diuersis erunt coniuncta, uel cum uno, atque eodem omnia. si autem plura comparentur secundum plura accidentia, uel illa coniuncta accipientur, uel seorsum. et si seorsum accipiantur, uel comparantur secundum plura accidentia coniuncta, uel seorsum accepta, plura quidem simpliciter posita secundum unum comparantur, si quæratur utrum sanitas eligibilior sit, an diuitiæ. plura autem cum diuersis coniuncta secundum unũ compa rantur, si quæratur, utrum eligibilior sit prudentia cum diuitiis, uel sanitas cum temperantia. plura autem cum uno atque eodem coniuncta secundum unum comparantur, si quæratur utrum eligibilior sit prudentia, uel sanitas cum diuitiis. unum autem comparatur secundum plura accidentia, si quæratur, utrum prudentia sit magis practica, an moralis, & utrum mathematica disciplina ad actionem magis conferat, an ad contemplationem. Plura simul accepta comparantur secundum plura accidentia, si quæratur, utrum prudentia cum sapientia coniuncta actiua potius sit, an contemplatiua. Plura uero seorsum, accepta comparantur secundum plura accidentia seorsum accepta, si quæratur, utrum prudentia ad actionem magis prosit, quàm sapientia ad contemplationem. comparantur autem secundum plura accidentia simul accepta, si quæratur, utrum prudentia, an sapientia magis sit actiua simul, & contemplatiua. tot igitnr modis fieri possunt comparatiua problemata.

dicit dissoluẽdam esse difficultatem ordinis à philosopho nõ seruati.

SED hic dissoluenda est quædam difficultas non dissimulanda, cur nam philosophus

losophus in hoc libro agens de comparatiuis problematibus non seruait omnes locos comparatiuos ad hunc librum, sed in præcedenti libro quosdam etiam enumerauit. comparatiui enim loci erant; & qui ex magis, et minus sumebantur; & qui ex similiter, et alter eorum, qui ex appositione; et qui ex eo, quòd magis quippiam inest, probabat inesse simpliciter. Dicendum est cum Alexandro, quòd hic non est propositum philosopho agere de comparatiuis locis, sed de comparatiuis problematibus, in quibus agitur, utrum aliquid magis, aut minus insit alicui. de his enim quomodo construi, et destrui debeant in hoc libro differet. Loci autem illi comparatiui in præcedenti libro relati non ostendebant comparatiuum aliquid, sed ex quadam comparatione ostendebant aliquid simpliciter inesse: non igitur idem est comparatiuum aliquid probare, et ex comparatiuo probare aliquid simpliciter inesse. Notandum tamen est, quòd illi etiam loci non solum ad ea problemata utiles sunt, sed etiam ad ipsa comparatiua, de quibus agendum est.

Vtrum autem eligibilius, & melius duorum plurium ue &c. In hac parte philosophus primo propositum suum in hoc libro proponit. secundo determinat, quænam problemata relicturus sit, et rationem affert, et quæ tractaturus: ostenditq́; quare de his recte agat, et de illis frustra ageret. pars est, quæ tota cõtinet propositum philosophi.

Propositvm eius est considerare, utrum duorum, uel plurium sit eligibilius, aut melius. Dixit eligibilius, aut melius, non quòd hæc nomina idem significent, sed melius, est quid communius. multa enim bona sunt, quæ non sunt eligibilia: nam et in diuina philosophia, et in naturali, et in logica facultate quæritur de meliori, in quibus tamen n on est aliquid eligibilius, ut cum quæritur, quænam substantia sit melior, immobilis, an mota: et cum quæritur quidnam sit melius inductio, an syllogismus. Dixit autem eligibilius, quoniam etsi de comparatiuis problematibus in uniuersum sit uerba facturus, tamen exemplum eligibilioris exemplum assumet. Dixit autem melius, quod est communius, ut ostenderet, etsi exemplo eligibilioris usurus sit, tamen non de hoc tantum doctrinam instituere, sed de aliis omnibus, in quibus comparatio reperitur.

Sed hic quæstio incidit, cur philosophus de comparatiuis problematibus in uniuersum loquens particulare exemplum assumpserit: deinde cur potissimum assumpserit eligibile. Dicendum est ipsum assumpsisse particulare exẽplum, ut hoc modo de aliquo determinato loquens apertiorem doctrinam faceret. qui enim uniuersaliter loquitur, cum uniuersalia à sensibus nostris maxime remota sint, obscurius loquitur, quàm qui in particularibus doctrinam exercet. assumpsit autem philosophus potissimum eligibile, quoniam utilissima est eligibilioris dignoscendi cognitio, ut quæ per uniuersam philosophiam diffusa sit, et ad uitam maxime conducat. prætereа longe plura argumenta sunt, et loci ad eligibilius ostendendum, quàm maius, aut callidius, aut quiduis aliud. quæstio. ratio, cur philosophus in uniuersum loquens de cõparatiuis problematibus particulare exemplum assumpserit.

Dixit autem, Duorum aut plurium, Quoniam comparatio unius secundum unum fieri non potest, sed oportet, ut duo, uel plura sint, quæ comparentur. quòd si unum sit, oportet, ut secundum plura comparetur, sicuti superius diximus, ut si quæratur utrum uirtus sit iucundior, an utilior. quòd necesse sit, ut duo, uel plura sint comparata; si comparatio unius secundum unũ fieri debet.

Sed dubitaret aliquis, quòd etiam unius secundum unum fieri possit comparatio, ut cum quæritur, nunquid aliquid sit albius, aut maius, aut dulcius nunc, quàm prius. Dicendum est, quòd in his etiam duo quodammodo fiũt, eo quòd additione temporis idem à se ipso differt.

In secunda parte admonet philosophus, quomodo nam se habere debeant problemata,

problemata, ad quæ traditurus est locos, quòd scilicet non debent esse in rebus, quæ magnam, & manifestam habent differentiam. et ratio est, quoniam ea, quæ magnam, & conspicuam habent differentiam, non sunt digna inquisitione. nullus enim quæreret utrum felicitas eligibilior sit, an diuitiæ: sed neque aliquis probabiliter posset ostendere, quòd diuitiæ eligibiliores sint, quàm felicitas: ne que si quis hoc tentaret apud quenquam, fidem inueniret. Debent autem comparatiua problemata in his rebus esse, quæ dubitationē habent, & obscuram differentiam, cuiusmodi sunt sanitas, & bonus habitus uidere, & audire, actiua uita, & contemplatiua, & huiusmodi alia. et ratio est, quoniam hæc sunt inquisitione digna; ideo dialectici est ea pertractare: præterea ad ea construenda, & destruenda suppetunt argumenta. tertio, cum in his excessum alterius ad alterum ostendimus, fidem possumus inuenire. mens enim audientium inconstans prius, & incerta, cui magis parti sanitatem ferret, excessum unius eorum conspiciens facile assentitur ita esse, ut probatum est.

in quibus inesse debent problemata cōpararitia.

LOCVS PRIMVS.

Primum igitur quod diuturnius aut firmius. HIC est primus locus ad probandū problema eligibilioris, qui sumitur ex tempore, & firmitate. estq;, quòd eorum, quæ, consimiliter se habent, quod est diuturnius, aut firmius eligibilius est eo, quod est minus tale. et licet hic locus unus sit, in duos tamen quodammodo diuidi potest, ut unus sit eorum, quæ alioqui consimiliter se habent, quod est diuturnius, eligibilius est. alter uero eorum, quæ alioqui consimiliter se habent, quod est firmius, eligibilius est: ex eo ostenderemus, bonam famam esse diuitiis eligibiliorem, eo quòd post mortem etiam permaneat. nullus autem post mortem possit esse diues. Eodem modo ostenderemus memoriam esse meliorem sensu, eo quòd sensus ad præsentia solum extendatur. memoria autem longo tempore perduret. ex firmiori autem ostenderemus scientiam esse eligibiliorem recta opinione, eo quòd illa sit firmior, & immutabilior; & quòd uirtus est eligibilior bona fortuna; & quòd id, quod est ab arte, melius est, quàm id, quòd est à fortuna; & id, quod consulto fit, melius eo, quod fit inconsulto; & id, quod est necessarium esse melius contingenti, si utraque bona sint; & id, quod est in nobis, id est quod in facultate, & arbitrio nostro positum est, melius est eo, quod non est in nobis; & quòd bonum consilium est melius bona fama; & quòd contemplatiua uita melior est actiua; & quòd mediocris uita, qualis est ciuilis, eligibilior est ea, quæ in alto sita est. firmior enim est, & minus impedimentis obnoxia. NOTANDVM autem est, quòd eodem modo ostendere possumus aliquid esse peius, uel euitabilius applicantes, scilicet hunc locum rebus malis. ex malis enim, quæ alioqui consimiliter se habeant, id, quod est diuturnius, aut firmius, peius eo est, quod est minus tale. et hoc modo ostenderemus peius esse malam famam paupertate, quòd sit magis diuturna; & indigentiam prodigalitate, quòd firmior sit; & illiberalitatem iactantia. illiberalitas enim est uitium firmius, & magis immutabile: ita & timiditas peior erit incontinentia, quòd incontinentia decremento ætatis sedatur. tunc enim sedantur appetitus, propter quos est incontinentia. timiditas autem decremento ætatis incrementum suscipit, ita & uitium peius est, & euitabilius mala fortuna, quòd firmius sit, & magis immutabile.

est primus locus ex tempore, & firmitate sumptus.

quomodo memoria sensu melior ostenditur.

ponit, quod peius est, uel euitabilius.

quando timiditas incrementum suscipit.

SED

Sed hic sunt dissoluendæ quædam dubitationes. Primo enim ex hoc loco ostendi posse uidetur sensum esse meliorem scientia, quòd sit diuturnior. à principio enim ætatis sentimus, scientia autẽ in perfectis tantũ fit, præterea ostendi posset gloriam, & celebritatem nominis eligibiliorem esse uirtute, & felicitate, eo quòd diuturnior sit, quod tamen falsum est: præterea ostendi posset sanitatem esse bono habitu eligibiliorem, quòd etiam sanitas sit bono habitu diuturnior: quamdiu enim est bonus habitus, est etiam sanitas, non è contra. Primũ soluit Alexander, quòd sicuti probamus sensum esse meliorem scientia, ita etiam probare possumus scientiam esse meliorem sensu ex eo, quòd firmior sit. quare debemus his locis uti, prout nobis utile sit. uidetur igitur Alexander sentire hunc locum esse solum probabilem, non autem semper uerum; sed uidetur etiam quòd tueri possimus ipsum esse semper uerum, si hanc conditionem adiiciamus, quòd scilicet id, quod tempore, aut firmitate exceditur, non excedat in aliquo alio, quod sit maius, et præstantius, quàm id, in quo exceditur, ubi igitur probamus sensum esse meliorem scientia, eo quòd diuturnior sit, hæc conditio desideratur. maius enim quiddam est id, in quo scientia excedit sensum, quàm sit diuturnitas, in qua sensus excedit scientiam. Secunda etiam dubitatio consimiliter soluitur, quòd scilicet gloria, & fama non est eligibilior uirtute, & felicitate, licet sit diuturnior, eo quòd magno, atque euidenti excessu illa excedunt gloriam. & hoc uerum est, tunc etiam, quando cum uirtute, aut felicitate nullus sit honor, aut gloria, quòd si cum illis sit gloria, ut semper fere contingit, hac etiam ratione præstabunt, quòd sint ipsius gloriæ causa. ubi enim duo sint eligibilia, quorum alterum sit alterius causa, primum illud licet sit minus diuturnum, erit tamen eligibilius. Tertia autem dubitatio hoc modo dissolui debet, quòd id, quod est diuturnius, eligibilius est, eo quòd est minus diuturnum, nisi contingat ipsum diuturnius in minus diuturno contineri. si enim ita sit eligibilius, erit, quod est minus diuturnum, eo quòd in se contineat ipsum diuturnius, & additamentum, præterea habeat eligibilis cuiusdam. hac igitur ratione sanitas non erit eligibilior bono habitu, sed contra potius bonus habitus sanitate, eo quòd sanitatem in se contineat, & præterea habeat aliud eligibilis additamentum.

Accingit se ad dissoluendas quasdam dubitationes

Alexandri opinio.

LOCVS SECVNDVS.

Et quod magis eligit prudens, aut uir bonus. In hoc loco tradendo philosophus primo locum proponit, cuius plures sunt partes. secundo documentum tradit.

Hic est secundus locus sumptus ab auctoritate, siue, ut Alexander dicit, ex iudicio, aut electione meliorum. plures autem habet partes: nam & id quod à prudentibus, & bonis uiris eligitur, eligibilius esse censendum est: præterea id, quod à legibus rectis sancitum est: præterea id, quod à studiosis circa aliqua electis iudicatur: præterea quod in unaquaque arte ab ipsis professoribus iudicatur, uel omnibus, uel pluribus: præterea in uniuersum quod ab omnibus, uel pluribus eligitur: præterea id, quod omnia appetunt, eligibilius esse censendum est, eo quòd est minus tale, unamquanque harum partium exemplis illustremus, quæ etiam omnes haberi possent pro partialibus locis, ut hic secundus locus sex quodam modo contineret.

in hoc secundo loco ab auctoritate, ex iudicio, aut ab electione meliorum sumpto multas proponit partes, quas inferius ordine suis exemplis declarat.

Ostenderemus igitur ex eo, quod à prudentibus uiris eligitur, aliquid esse eligibilius, si probaremus, quòd uirtute præditi præ aliis sint ho-

primam partem declarat quę est. à prudentibus uiris, &c.

nore afficiendi. ita enim prudentes uiri sentiunt, ita quoque probaremus, quòd reip. bona priuatis sint anteponenda, quòd ita sentiant uiri prudentes, quod etiam probauit Thucydides, & Plato. qui enim propriis bonis consulit, destructa patria simul cum ipsa periit, qui autem patriæ magis, quã propriis bonis consulit, rectius agit. patria enim seruata, ipse quoque magis seruabitur, ex eo autem quod bonis uiris uidetur, ostenderemus, quòd benefacere sit eligibilius, quàm bene recipere: & quod iniuria afficit eligibilius, quàm iniuria afficere: & quòd etiam boni uiri potius eligunt: & quòd gloriose mori eligibilius est, quàm turpiter in uita seruari: & quòd, pauperem esse iusta agentem, eligibilius est, quàm diuitem iniusta.

secundã, quæ est à rectis legibus, &c.

Ex eo autem, quod à rectis legibus sancitum est, ostenderemus aliquid esse eligibilius, ut quòd eligibilius sit publica conuiuia in urbibus celebrare: ita enim rectæ leges sanxerunt, ut Lycurgi, Zaleuci, & Solonis, & quòd, qui uirtute, non autem qui diuitiis præstant, ciuitatibus imperare, eligibilius est.

tertiam, quæ est. à studiosis &c.

Ex eo autem, quòd à studiosis circa aliqua electis iudicatur, aliquid esse eligibilius ostenderemus, ut quòd in exercitu præstet ordinem seruare, & non euagari, & parere duci, & illud homericum præoculis habere, optimum augurium esse patriam ulcisci, quin & illud, quod non est bona principum multitudo unus sit princeps, unus rex: eodem quoque modo ostenderemus, eligibilius esse utilia reip. facere, quam grata multitudini, quod ita studiosis circa politica uideatur.

quartã, quæ est. In unaquaque arte, &c.

Ex eo autem, quòd in unaquaque arte ab ipsis professoribus iudicatur, aliquid esse eligibilius ostenderemus, ut in medicina, quòd in uigore morbi tenuissimo uictu utendum sit, quòd initiis morborum à purgantibus medicamentis cauere præstet.

quintã, quæ est. In uniuersum, &c.

Ex eo uero, quod in uniuersam omnibus, aut pluribus uidetur, aliquid eligibilius ostenderetur, ut quòd esse eligibilius sit quàm discere, aut scire. esse enim omnes eligunt: discere autem aut scire non omnes: & quòd lætari eligibilius sit, quàm exerceri, & quòd sanitas sit eligibilior honore, omnes enim sanitatem eligunt, non omnes autem honorem, ex eo autem, quòd pluribus uidetur, ostenderemus diuitias esse eligibiliores honore, quòd pluribus ita uideatur, & quòd artem aliquam habere præstet, quàm nõ habere.

sextam, quæ est. Omnia appetunt.

Ex eo autem, quòd omnia appetunt, probari posset aliquid esse eligibilius, sicuti probauit Plato uoluptatem esse maximum omnium bonorum, eo quòd ipsam omnia appetant. nullum autem aliorum bonorum tale sit.

documentũ philosophi.

In secunda parte dat documentum philosophus, Quòd oportet ducere ad id, quod fuerit utile, quod dicendum est. Cum enim omnia dicta utilia esse non possint ad quidlibet probandum neque enim ex eisdem probare possumus uoluptatem esse eligibiliorem uirtute, & uirtutem esse eligibiliorem uoluptate, sed illud ostendemus ex opinione omnium, uel multorum. hoc autem ex opinione sapientum: ideo recte admonet, ut dictis locis utamur, quomodo utile nobis fuerit, unde colligitur hos locos probabiles esse non in omnibus ueros.

Circa contextum philosophi primo notandum est, quare dixerit, quod magis eligit, Prudens, aut uir bonus. Nunquid hæc forte dixit, tanquam idem significantia? sed non uidetur, quoniam uir bonus in plus est, quàm prudens. prudens enim est uir bonus, non tamen solus. nam & uir fortis, & iustus, & sapiens bonus est. possumus igitur dicere philosophum hæc dixisse, ut ostenderet, quòd non solum prudens, sed etiam quilibet alius uir bonus magis est fide dignus circa electiones, quàm qui tales non sunt: alio etiã

modo

modo exponere possumus. cum enim uirtutes aliæ sint morales, quæ in bono uiro sunt: aliæ uero rationales, & contemplatiuæ, quæ in sapiente sunt, quòd prudens significet eum, qui rationales uirtutis possidet. bonus autē, qui morales.

QVONIAM autem philosophus diuersum existimasse uidetur, quòd sanciunt rectæ leges, quàm quod prudentes uiri iudicant, dubitare aliquis posset, quoniam hæc non uidentur diuersa, cum bonæ leges ex prudentia instituantur. Dicendum est in eo differre prudentis uiri iudicium à recta lege, quòd lex in quibusdam est diffinitis, & determinatis, prudentis autem uiri iudicium temporibus, personis, alijsq; circunstantiis accommodatur, atque aliud in aliud est, unde & quandoque à recta lege dissentit prudentis iudicium. si enim lex sit, ut peregrinus mœnia ascendens capite plectatur. quispiam autem hostes repulsurus ascenderit mœnia, hunc, etsi lex damnare uideatur, absoluet tamen prudens uir respiciens, scilicet non ad legis scriptum, sed ad mentem potius ferentis legem, qui pro reip. salute eam tulisse existimandus est. tunc enim, licet à legis scripto discederet, quando non leuis coniectura, sed maxima aliqua, atque euidentissima ratio est, alias uero legis scriptum inuiolabiliter seruandum est.

dubitatio.

pœna legis sancitæ.

NOTANDVM præterea est dixisse philosophum, Quatenus tales sunt, quoniam peritis in propria professione credendum est: at si quid extra eam dicant, non iam loquuntur quatenus tales, ut si musicus de medicina aliquid decerneret, aut medicus de re bellica, quare fidem non merentur, neque enim sutor, ut prouerbio dicitur, supra crepidam debet iudicare.

NOTANDVM præterea est, quod illud, quod in unaquaque arte comprobatur, & eligitur ab omnibus artificibus, uerum per se est. id uero quod à pluribus, probabile quidem est, non tamen semper uerum. plerunque enim contingit, ut unius in arte aliqua præstantissimi iudicium melius sit iudicio plurium. quare hoc pacto in eadem re ad utranque partem poterimus argumentari à iudicio plurium, & à iudicio præstantioris.

omnes secundum suā professionem iudicate debēt. quod, si aliter, absurdū uidetur.

LOCVS TERTIVS.

Est autem simpliciter quidem melius, ac eligibilius. HVNC locum dicere possumus desumptum esse ab eligibiliori simpliciter, & alicui. est autem talis. Id, quod est secundum optimam scientiam, simpliciter est eligibilius, & melius. quod autem est secundum aliquam aliam scientiam est alicui eligibilius ei scilicet, qui scientiam illam profitetur, uel qui ea indiget. Exempli causa, quoniam philosophia scientiarum omnium est optima, ideo qua sunt secundum philosophiam, ut uirtutes contemplari, leges condere meliora erunt, & eligibiliora omnibus aliis, quæ secundum alias disciplinas sunt, ut mederi, fabricare, canere. et quoniam ea sunt omnibus eligibiliora, ideo dicuntur simpliciter eligibiliora. atque secundum alias disciplinas sunt, non dicuntur simpliciter eligibiliora, sed alicui, ut profitenti artem, & ei, qui arte illa indiget. medio enim sanare eligibilius, quàm contemplari, & agro, qui medica arte indiget, eligibilius est sanari, quod ab arte medica procedit, quàm contemplari, quod est secundum philosophiam.

hic locus secundum exēpla uidetur desumpt⁹ ab eligibiliori simpliciter.

LOCI huius fundamentum est, quòd sicuti facultas se habet ad facultatem, ita eligibilius secundum unam facultatem ad eligibilius secundum aliam facultatem se habere rationabile est.

fundamentū loci.

Hic autem philosophus scientiæ nomine communius utitur, prout quamlibet disciplinam, & artem comprehendit.

LOCVS QVARTVS.

à genere hic locus desumptus est.

Deinceps uero quod quidem hoc aliquid, eo quod non est in genere. Hic locus desumptus est à genere, estq;, quòd eorum, quæ comparantur. si unum sit in genere eius, secundum quod fit comparatio, hoc erit magis tale, eo quòd non est in ipso genere, sed solum tale genus ipsi accidit. exempli causa, si quæratur, utrum superficies, an album sit, magis quantum probabimus superficiem esse magis quantam, eo quòd in quantitatis genere sit. albo autem quãtitas accidat, eadem ratione albedo erit magis qualitas, quàm album. hoc pacto ostenderemus, quòd iustitia, & unaquæque uirtus melior est, quàm uirtute præditus, ut prudens, fortis, aut iustus. nam unaquæque particularis uirtus est in genere uirtutis, & in genere boni, ut dicit philosophus communius genus assumens. eorum uero, qui uirtutes possident, nullus est in uirtutis, aut boni genere, sed uirtus, & bonum ipsis accidit, hoc etiam modo ostendere possemus formam, esse perfectiorem composito, quoniam forma est in genere perfectionis, compositi autem perfectio est accidens.

exemplum.

quid, ὅπερ, significet. ens græce dicitur ὄν.

Circa contextum philosophi notandum est primo, quidnam significet illud ὅπερ, quo plerunque philosophus uti solet. significat autem ὅπερ idem, quod proprie, & uere, ut sit ὅπερ ἄνθρωπος idem, quod uere, & proprie homo, & ὅπερ ὄν uere, & proprie ens. proprie autem, et uere aliquid dicitur esse id, quod de eo prædicatur in quid, & id, quod prædicatur hoc modo proprie, & uere dicitur prædicari: quare color ἐν τῷ ὅπερ prædicatur de albedine: & albedo dicetur ὅπερ χρῶμα, id est uere, & proprie color. neque aliud quid dicitur uere, & proprie suum prædicatum, nisi id, quod sub eo prædicato, ut genere est, quare albus homo non poterit dici ὅπερ χρῶμα.

Atqve hinc patet huius loci fundamentum. id enim, quod est in genere boni, & eligibilis est uere, & proprie bonum, & eligibile. quòd autem est uere, & proprie tale magis est tale, quàm id quod neque uere, neque proprie tale est.

prima expõ.

Verba illa, Similiter & in aliis. Dupliciter exponuntur. Primo sicut color de aliquibus quidem prædicatur, uti genus, de aliquibus uero, ut accidens. dicimus enim color inest albedini, & color inest parieti eodem modo: et alia plura genera aliquibus insunt, uti genera aliquibus, ut accidentia. Secunda expositio est longe exactior, ut dicamus similiter & in aliis, sicut in eligibilibus, & bonis se habet, quòd id, quod est in genere boni, est magis bonum, ita & in aliis, quod erit in eo genere, secundum quod fit, comparatio magis erit tale, eo quòd in tali genere non est: quare color magis inerit albedini, quàm parieti.

expositio secunda.

annotatio Alexandri.

Notat præterea Alexander hunc locum non minus accõmodari ad ostendendum euitabilius, & deterius. id enim quod est in genere mali, peius est, & euitabilius, eo quòd non est in tali genere.

dubitatio.

Sed dubitaret quis, quòd huius loci nullus sit usus, eo quòd nunquam quæritur, utrum albedo sit magis color, an paries albus. nullus enim est, qui nesciat, quòd paries non est color, neque etiam quæri potest, utrum albedo sit magis colorata, an paries, eo quòd albedo non est colorata, quoniam genus nunquam prædicatur denominatiue de specie. Dicendum est, non propterea tolli loci usum, licet enim dictis modis non fiant problemata, at hoc modo

modo fiunt, utrum color magis insit albedini, an parieti, utrum perfectio magis insit formæ, an composito, utrum bonitas magis insit uirtuti, an studioso. sed quandoque est, quæritur, utrum uirtus sit magis bonum, an studiosus, sed tunc bonum æquiuoce sumitur. quòd enim dicitur de uirtute, significat bonitatem: quod autem dicitur de studioso, significat rem bonitate affectam.

Dubitant moderni, quoniam homo iustus uidetur magis bonum, quã iustitia, eo quòd plures continet bonitates. continet enim bonitates humanæ naturæ, & præterea iustitiæ. Soluunt, quòd hic locus est probabilis, non tamen uerus. sed dicendum est locum esse uerum, & quòd licet homo contineat plures bonitates, ea tamen, quæ inest iustitiæ, maior est, quàm simul omnes, quæ insunt homini iusto, eo quòd bonitas inest iustitiæ essentialiter, & ἐν τῷ ὅπερ. bonitates autem omnes, quæ homini insunt, insunt ei accidentaliter, neque insunt ἐν τῷ ὅπερ. dubitatio Modernorum. solutio.

LOCVS QVINTVS.

Et quod propter se eligendum. Hic locus desumitur à propter se, & propter aliud. est autem talis id, quod propter se est eligendum, eligibilius est, quàm id quod propter aliud, ut si sanitas eligibilis est propter se: exerceri autem eligibile est propter sanitatem: ergo sanitas est eligibilior. et si exerceri est eligibile propter uincere, aut coronari: ergo uincere, & coronari eligibilius est. et si somnus eligendus est propter uigiliam, ut enim possimus uigilare, somno, & quiete indigemus: ergo uigilia est magis eligenda. hunc locum multis exemplis probatur esse desumptum à propter se, & propter aliud.

Dubitant moderni, quòd sanitas est eligenda propter se: uirtus autem propter felicitatem, non tamen sequitur, ergo sanitas est eligibilior uirtute. Soluunt quòd id, quod eligitur propter se, est eligibilius eo, quod eligitur propter aliud, quando eligibile propter aliud ordinatur in eligibile propter se. Hæc solutio consentit quidem dictis Aristotelis, sed non dictis Alexandri, qui uult, ut hoc modo probare possimus, quòd amicus sit eligibilior pecuniis, eo quòd amicus est eligibilis propter se. cum enim amicus sit alter ipse, unusquisque autem sit sibi eligibilis propter se, ergo & amicus, et pecuniæ eliguntur propter aliud. uult etiam, ut eodem modo probare possimus, quòd philosophia sit eligibilior rhetorica, eo quòd rhetorica sit eligibilis propter aliud. philosophia autem propter se, neque tamen pecuniæ propter amicum, neque rhetorica propter philosophiam eligibilis est: ideo ex Alexandri sententia aliter est dicendum. dubitatio Modernorum. solutio.

Notandum autem est, ex ipsius Alexandri sententia bona quædam esse eligibilia propter se: quædam uero eligibilia propter aliud propter se, ut felicitas. et hæc dicuntur bona honorabilia à græcis τίμια. His adde, si libet: et si non addantur ab Alexandro bona delectabilia. quæ uero eliguntur propter aliud sunt, ut secari, exerceri, ditari, & hæc dicũtur bona utilia. alia uero sunt, quæ partim propter se, partim propter aliud sunt eligibilia, sicuti uirtutes, quæ propter felicitatem eliguntur, & propter ipsas alia eliguntur, eodem modo diuitiæ, & sanitas, & quæcunque alia bona sunt, ut potestates. atque hoc stante dicere possumus ex sententia Alexandri, quòd ea, quæ solum propter se sunt eligibilia, sunt magis eligibilia, quàm ea, quæ propter aliud, & propter se. & hæc magis, quàm ea, quæ solum propter aliud. quæ autem sunt æqualiter eligibilia partim propter se, partim propter aliud æstimari debent, ex præstantia eius, ad quod diriguntur. et hac ratione uirtus est eligibilior sanitate, quę annotanda sunt ex sententia Alexandri. quæ propter aliud eliguntur, enumerat.

nitate, quòd felicitas, ad quam uirtus dirigitur, præstantior sit actionibus, ad quas dirigitur sanitas. Id autem indubitatum est, quòd quando eligibile se propter aliud ordinatur in eligibile propter se, quòd ipsum propter se erit eligibilius.

dubitatio modernorum.

Dvbitant etiam moderni, quòd alio modo philosophus diuisit bonum in primo Rhetoricorum, in bonum iustum, bonum laudabile, & bonum utile. dicendum est, quòd ibi accommodauit boni diuisionem tribus generibus causarum. in deliberatiuo enim ex utili probamus: in demonstratiuo ex laudabili, & honesto: in iudiciali ex iusto, & æquo: & hoc quidem per se. per accidens enim in omni genere causæ probamus ex quocunque boni genere, ut in deliberatiuo, ex utili per se, per accidens ex laudabili, & iusto, quoniam accidit, quòd illud utile sit laudabile, & iustum.

LOCVS SEXTVS.

hic locus desumptus est à per se, & per accidens, & exemplis declaratur.

Et quod per se, eo quòd per accidens. Hic locus desumptus est à per se, & per accidens, & talis est, id, quod est eligibile per se, est eligibilius, quàm id, quod per accidens est eligibile. id autem est eligibile per se, quod ex propria natura, & sui præsentia est eligibile. per accidens autem quòd, cum secundum propriam naturam eligibile non sit, ex circumstantia aliqua efficitur eligibile, exempli causa, si amicos iustos esse, eligibile est per se. neque enim eligimus amicos esse iustos propter nos, aut quòd ex eo aliquod nobis adueniat emolumentum, sed quoniam amicitia est bene optare iis, quos amamus. bonum autem est iustitia habenti ipsam per se, igitur eligibile est amicos esse iustos: per accidens autem eligibile est. neque enim inimicitiæ proprium est bene cupere inimicis: ita enim idem esset amicitia, & inimicitia, non igitur per se cupimus inimicos esse bonos, sed per accidens, ne scilicet nobis noceant. quoniam enim accidit iustis uiris non nocere, ideo cupimus inimicos esse iustos. si igitur hoc per accidens est eligibile, illud uero per se, id igitur est eligibilius.

exemplum

quod proprium est amicitiæ.

hunc locum differre à superiori, licet Aristoteles notet eũdem esse cum superiori.

Notat deinde Aristoteles hunc locum eundem esse cum superiori. differre autem ab eo modo, eo quòd idem sit, quod est propter se, & quod est per se, idemq; quod est propter aliud, & quod est per accidens, quod in exemplis conspicuum est. amicos enim iustos esse est eligibile propter se, & per se. inimicos autem esse iustos est eligibile per accidens. accidit enim cum iusti sint, ut nobis non noceant, est etiam eligibile propter aliud, ne scilicet nobis noceant. eodem modo & sanitas est eligibilis per se, & propter se. exercitium autem est eligibile propter aliud sanitatem scilicet, & per accidens, eo quòd accidit his, qui exercentur sanari. differt autem hic locus ab eo modo, eo quòd in eo utimur propter se, & propter aliud. in hoc autem per se, & per accidens.

LOCVS SEPTIMVS.

locus iste desumptus est à causa per se.

Quòd causa boni per se, eo quòd per accidens. Hic locus desumptus est à causa per se: est autem talis. Si duo aliqua sint alicuius boni causa, unum per se, alterum uero per accidens: quod est causa per se, est eligibilius, et hoc modo uirtus erit fortuna eligibilior, quoniam uirtus propriorum operum, quæ κατορθώματα græci appellant, est per se causa. at fortuna, si boni alicuius sit causa, est causa per accidens, ut enim ostenditur in secundo Physicorum

semper

semper fortuna est causa per accidens. hoc etiam pacto ostendetur medicam artem esse eligibiliorem fortuna, quando utraque sanitatis causa sint. Admonet autem philosophus hunc locum, si rebus malis applicetur, aptum esse ad ostendendum aliquid esse euitabilius. quod enim est per se causa mali, euitabilius est, & peius, eo, quòd est causa mali per accidens. & hac ratione uitium erit peius mala fortuna, & nauis gubernator peior est, cuius præsentia nauis periclitatur, quàm ille, cuius absentia. ille enim per se est causa submensionis: hic uero per accidens. eadem ratio est de duce exercitus, de medico, & aliis consimilibus. Atque hinc eliciendum est locos esse, quos philosophus solum applicat rebus bonis ad ostẽdendum aliquid esse eligibilius, si rebus malis applicentur utiles esse ad ostendendum aliquid esse euitabilius. hoc enim innuere uoluisse uidetur philosophus hoc in loco.

admonitio philosophi.

ratio.

SVPPONIT autem hic locus quasdam esse causas per se, quasdam per accidens: causa per se est sicut ædificator domus: per accidens autem sicut Atheniensis, aut musicus. neque enim Atheniensis, aut musicus ædificat domum, ut talis, sed ut ædificator. Plures alias diuisiones causarum affert philosophus in secundo Physicæ auscultationis, quòd quædam sunt remotæ, quædam propinquæ, quædam actu, quædam potestate, quædam complexæ, quædam incomplexæ.

hoc in loco quædam causæ per se, quædam per accidens ostẽduntur exemplis.

DVBITANT moderni quoniam lapis est à causa per se, nempe à natura: at inuentio thesauri est à causa per accidens, scilicet à fortuna, & tamen inuẽtio thesauri est eligibilior lapide. facilis est solutio, quòd Aristoteles loquitur de causis, non de effectis.

dubitatio modernorum.

solutio facilis.

LOCVS OCTAVVS.

Et quod simpliciter bonum, eo quòd alicui. Hic locus sumptus est à simpliciter bono. est autem talis, si duo sint, quorum alterum sit simpliciter bonum, alterum uero sit bonum alicui: id, quod est simpliciter bonum, melius erit, & eligibilius, exempli causa, quoniam quædam sunt simpliciter salubria, ut exercitia, deambulationes, & uictus quidam: alia uero non sunt simpliciter salubria, sed alicui, ut puta ægrotãti cuiusmodi sunt sectio inædia, quies, & pharmacum; ideo dicemus illa esse meliora, & eligibiliora. pariter quoque, quoniam quædam sunt simpliciter bona, quæ omnibus secundum naturam se habentibus talia sunt, ut sanitas; quædam autem sunt simpliciter mala, alicui tamen bona, ut ægritudo, quæ Theageni bona fuit, ut refert Plato, quòd ipsum uanioribus studiis occupatum ad philosophandum compulit: sanitas igitur, quòd simpliciter bona sit, erit eligibilior ægritudine: ita quoque diuitiæ, & gloria simpliciter quidem bonæ sunt, ac proinde eligibiliores suis contrariis, quæ simpliciter quidem bona non sunt, sed aliquibus, ut illis, quibus tyrannus, aliquis propter pauperiem, & ignobilitatem parcit ab illis nihil quicquã sibi timens, sed solum à ditioribus, & potẽtioribus.

locus hic à simpliciter bono desumptus est. exemplum.

LOCVS NONVS.

Et quod natura est, eo quòd non natura. Hic locus desumptus est à natura. bonum est autem, quòd id, quod natura est bonum, melius est, quàm id, quod non est natura bonum, exempli causa, iustitia, sicut & omnis uirtus est, ex sui natura bona: at iustum non est ex sui natura bonum, sed est bonum adiectione iustitiæ. iustitia igitur est melior iusto.

à natura desumptus est iste locus. exemplum.

NOTANDVM

enumerat ea in hoc loco, quæ ſunt notanda. exempla.

NOTANDVM autē eſt, quòd ea, quæ natura non ſunt, uel ſunt à fortuna, uel ab arte, uel à moribus, aut legibus, aut aliqua inſtitutione, quæ ſunt caſu bona, deficiunt ab his, quæ ſunt natura bona, quoniam eorum bonitas eſt accidentalis, ut ſi lanceæ percuſsio abſceſſum aperiens aliquem ſanaret, quod etiam eſt arte bonum, deficit ab eo, quod eſt natura bonum, quoniam ars naturam imitatur, quatenus poteſt. nunquam autem eius perfectionem aſſequitur ita, & quæ inſtitutione aliqua bona ſunt, deficiunt, quia natura quacunque lege, & inſtitutione melior eſt.

LOCVS DECIMVS.

deſumptus ē hic locus à ſubiecto digniori.

Et quod meliori, & honorabiliori ineſt. Hic locus deſumptus eſt à ſubiecto digniori. eſt autem talis. bonum quod meliori, & honorabiliori ineſt, melius eſt, & eligibilius, ut quoniam Deo eligibilius eſt benefacere, quàm bene recipere, ideo & homini eligibilius eſt benefacere, quàm bene recipere: & quoniam animæ ineſt ſapientia, corpori autem ſanitas, & anima eſt melior corpore; ideo ſapientia eſt melior, & eligibilior ſanitate. eadem ratione & ſcire melius eſt, quàm ſentire: ſentire enim eſt magis corporeum: ſcire autem eſt animæ proprium.

LOCVS VNDECIMVS.

loc⁹ eſt à proprio melioris, & exemplis ornatur. exemplum.

Et quod melioris proprium melius, quàm quod peiori. Hic locus eſt à proprio melioris, quod ſcilicet eſt melioris, proprium melius eo eſt, quod eſt propriū deterioris. exempli cauſa, quoniam Deus melior eſt homine, & equo, ſi Dei proprium eſt immortalitas: hominis autem ſcientiæ ſuſceptiuum equi hinnibile, eſſe igitur immortale erit melius, quàm eſſe ſuſceptiuum ſcinetiæ, aut hinnibile eodem modo, quoniam anima eſt corpore melior, impetus igitur ille, quem ὁρμὴν græci dicuntur, qui eſt proprius animæ, erit melior, quàm inclinatio ad motum, quam eidem appellant ῥοπὴν, quæ eſt propria corporis.

OSTENDIT autem philoſophus id, quod eſt melioris, proprium eſſe melius hac ratione, quoniam id, quod eſt aliquo melius, utique eſt eo melius ſecundum aliquid, at ſecundum ea, quæ communia ſunt, & ſimilia in utroque non eſt melius, cum ſecundum ea nulla ſit inter ipſa differentia. quare oportet, ut ſecundum propria id, quod melius eſt, excedat deterius. ſi igitur ſecundum propria differentia eſt, & exceſſus melioris ad deterius, ergo, quod eſt proprium melioris, melius eſt eo, quod eſt proprium deterioris.

LOCVS DVODECIMVS.

quomō hic locus ſumatur, ab exemplis percipi poteſt.

Et quod in prioribus, & melioribus, uel honorabilioribus. Hic locus eſt, quòd eorum, quæ comparantur inter ſe ſecundum eligibile: ſi unum ſit in melioribus, aliud in deterioribus: uel unum in prioribus, aliud in poſterioribus: uel unū in honorabilioribus, aliud in minus talibus, melius erit id, quod erit in excedentibus. ſi igitur quæratur, utrum ſcientia, an opinio ſit melior, oſtendemus, ſcientiam eſſe meliorem eo, quòd ſit in rebus incorruptibilibus. opinio autem in rebus mutationi obnoxiis: incorruptibilia autem ſunt corruptibilibus meliora. & ſi quæratur, utrum ſanitas, uel fortitudo ſit melior, oſtendemus ſanitatem eſſe, meliorem, eo quòd in prioribus conſiſtat. ſanitas

tas enim in συμμετρίᾳ quædam consistit primarum qualitatum caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis. fortitudo autem consistit in συμμετρίᾳ partium similarium carnis, neruorum, ossium, spiritus. pulchritudo autem consistit in συμμετρίᾳ partium dissimilarium, faciei, colli, thoracis, dorsi, & aliarum. primæ autem qualitates sunt his omnibus priores, ut ex quibus similares partes fiant, & ex his dissimilares, eadem ratione ostendemus fortitudinem esse meliorem pulchritudine, quoniam similaria, in quibus fortitudo consistit, priora sunt dissimilaribus, in quibus consistit pulchritudo pariter. si quæratur, utrum contemplatio sit actione melior, ostendemus eam esse meliorem, eò quòd circa magis honorabilia uersatur. actio enim circa agibilia uersatur, quæ in nobis sunt, id est in facultate, & arbitrio nostro posita. contemplatio autem circa optima, & diuina.

in quo pulchritudo cõsistat.

ratio, quare fortitudo sit melior pulchritudine.

LOCVS DECIMVS TERTIVS.

Et finis his, quæ sunt ad finem, eligibilior uidetur esse. HIC locus desumptus est à fine. est autem, quòd semper finis est melior, & eligibilior iis, quæ sunt ad finem. & hoc modo sanitas erit melior exercitio, sectione, & dieta, quoniã illa sunt propter sanitatem, & felicitas erit melior uirtute, sanitate, & diuitiis, & aliis bonis, quòd ipsa sit finis. hæc uero omnia sint eius gratia, ita & scire melius est, quàm discere, et secundum aliquem habitum operari melius est, quàm ipsum habitum habere.

hic locus est desumptus à fine: in quo ostenditur finem esse meliorem his, quæ sunt ad finem.

LOCVS DECIMVS QVARTVS.

Et duorum, quod est propinquius fini. DESVMITVR hic locus à propinquitate finis, & est, quando duo aliqua sunt ad finem eundem directa id, quod est propius fini, melius est. & hoc modo, quoniam ars fræna efficiens, et ars equos instruens ad militarem artem diriguntur. melior erit, quæ equos instruit, quoniam est magis prope finem, & quoniam ars, quæ scindit ligna, & ædificatoria ad architecturam diriguntur, ideo ædificatoria, quæ fini est propinquior, melior est. Huius autem ratio est, quoniam id, quod est propius fini, finis quodam modo ratione habet, ergo id, quod est ante ipsum.

à propinquitate finis sumitur iste locus.

ratio huius loci.

LOCVS DECIMVS QVINTVS.

Et omnino quod ad uitæ finem eligibilius, quàm quod ad aliud. HIC locus desumitur à uitæ fine, & est, quòd conferens ad finem uitæ felicitatem, scilicet eligibilius est, & melius, quàm conferens ad alium quempiam finem. Et ratio est, quoniam quæ ad perfectissimum finem conferunt, eligibiliora sunt, quàm ad aliquid imperfectius conferentia, sed omnium perfectissimum est felicitas, cum cetera omnia aliquo modo ad felicitatem quodam modo referantur: quæ igitur ad felicitatem diriguntur, eligibiliora sunt, quàm ad aliquid aliud relata. Hac igitur ratione ostendetur uirtutem esse eligibiliorem honore regio, quòd uirtutis finis sit felicitas. honoris autem illius finis sit imperare populo, eadem ratione, & actio secundum prudentiam eligibilior est, quàm prudentiæ effectiua, quòd actio secundum prudentiam ad felicitatem referatur; illa uero ad prudentiam.

locus hic desumitur à fine uitæ.

LOCVS DECIMVSSEXTVS.

dicitur hic locus à posibile.

Et possibile impossibili. Hic locus dicitur à posibili; & est, quòd posibile imposibili eligibilius est ei, cui illud est posibile, ut quoniam longa uita posibilis est homini. immortalitas autem imposibilis, erit igitur longa uita homine eligibilior eodem modo, quoniam moderata posibilitas est homini posibilis. imposibilitas uero est ei imposibilis, erit igitur πετριοπαθία.

LOCVS DECIMVSSEPTIMVS.

hic locus sũptus est à fine meliore.

quid sit exercitatio corporis.

Amplius cum duo effectiua fuerint, cuius finis &c. Hic locus sumptus est à fine meliore, & est, si duo aliqua sint duorum finium effectiua, cuius finis melior est, ipsum quoque melius est, & eligibilius, ut institutio in disciplinis est effectiua doctrinæ. exercitatio autem corporis est effectiua boni habitus. cum autem doctrina sit melior bono habitu, erit igitur institutio exercitatione melior, eadem ratione exercitium melius erit, quàm lucrum, quoniam exercitium est effectiuum sanitatis: lucrum autem diuitiarum: melior autem est sanitas diuitiis.

Ex hoc autem loco eliciendum est, quòd quantum finis excedit finem, tantum eius effectiuum excedit effectiuum alterius, ut quantum felicitas excedit sanitatem, tantum uirtus excedet exercitium.

ratio, cur finis excedat finem.

Et ratio est, quoniam ita se habet unus finis ad suum effectiuum, sicut & alter ad alterum, ut ita felicitas se habet ad uirtutem, sicut sanitas ad exercitium, ergo permutatim sicuti se habent antecedentia, ita se habebunt antecedentia, sicuti scilicet felicitas ad sanitatem, ita uirtus ad exercitium, & hoc maxime conducet ad sequentem locum.

LOCVS DECIMVSOCTAVVS.

hic locus desumitur à proportione finis ad effectiuum.

exemplum.

Cum autem sit effectiuum, & finis ex proportione &c. Hic locus desumitur à proportione finis ad effectiuum, & est, quòd si finis unius effectiui excedit finem alterius effectiui magis, quàm finis ille suum effectiuum, quòd huius quoque effectiuum finem illum excedet, exempli causa, si felicitas plus excedit sanitatem, quàm sanitas effectiuum sanitatis: effectiuum quoque felicitatis sanitatem excedet, & ratio est, quoniam ut ex superiori loco elicitur, quantum finis excedit finem, tantum eius effectiuum excedit effectiuum alterius. quantum igitur felicitas excedit sanitatem, tantum effectiuum felicitatis excedet effectiuum sanitatis. cum autem felicitas magis excedet sanitatem, quàm sanitas proprium effectiuum, ergo effectiuum felicitatis magis excedet effectiuum sanitatis, quàm sanitas idem suum effectiuum excedat. quare ipsum effectiuum felicitatis excedet sanitatem, quoniam si duo aliqua comparentur ad aliquod tertium, & eorum alterum magis illud excedat ipsum, excedet quoque id, quod minus excedit. si igitur effectiuum felicitatis magis excedit effectiuum sanitatis, quàm ipsum excedat sanitas, ergo excedet etiam sanitatẽ. supponamus enim clarioris doctrinæ gratia felicitatem excedere sanitatem, ut octo, sanitatem uero excedere effectiuum sanitatis, ut quatuor, cum semper quantum finis excedit finem, tantum effectiuum excedet effectiuum felicitatis, effectiuum excedet effectiuum sanitatis, ut octo. cum igitur effectiuum felicitatis excedat effectiuum sanitatis, ut octo, sanitas uero excedat

excedat ipſum ſanitatis effectiuum ſolum, ut quatuor, ergo effectiuum feli citatis excedet ſanitatem, ut quatuor.

LOCVS DECIMVSNONVS.

Amplius melius eſt, quod per ſe, & honorabilius. DESVMITVR hic locus à per ſe honorabili. eſt autem locus talis, id, quod in natura ſua eſt honeſtius, honorabilius, & laudabilius, eligibilius eo eſt, quod eſt minus tale, exempli cauſa, amicitia eſt honorabilior, & laudabilior diuitiis, eſt igitur eligibilior. & iuſtitia eſt honorabilior, & laudabilior fortitudine corporis, eſt igitur eligibilior. diuitiæ enim, & fortitudo, etſi uideantur eſſe per ſe bona, non tamen ſunt per ſe honeſta, neque honore, & laude per ſe digna: ſed ad quid aliud referuntur, diuitiæ ad uſum: fortitudo autem ad aliquid efficiendum ſine impedimento.

deſumitur hic locus à p ſe honorabili

HOC in loco notat Alexander philoſophum communius uſum fuiſſe his nominibus pulchriori, honorabiliori, & laudabiliori, cum enim bona alia ſint τίμια, ut felicitas, Deus, & parentes: alia καλὰ καὶ ἐπαινετὰ, ut uirtutes, & actiones ſecundum uirtutem, & ſcientiæ, alia δυνάμεις appellantur, quibus bene, & male uti poſſumus: alia ὠφέλιμα, quæ ſunt horum bonorum effectiua, & in hæc conferentia. nunc τίμιον καλὸν, καὶ ἐπαινετὸν comprehendunt ea etiam bona, quæ ſunt ut poteſtates, ut eſt amicitia, & alia huiuſmodi.

quid annotet Alexander.

NOTAT etiam Alexander, quòd ubi dicit philoſophus, Nullus enim honorat diuitias, propter ſe. non ideo dixit, ut oſtenderet diuitias non eſſe per ſe eligibiles. ſunt enim diuitiæ per ſe eligibiles, licet non propter ſe. in eo enim quòd in natura ſua habent. ut ſint utiles ad actiones uirtutis obeundas organum appellantur, & per ſe eliguntur, eliguntur tamen propter aliud, quoniam omne organum in id refertur, cuius eſt organum: oſtendit igitur hic philoſophus diuitias non eſſe per ſe, neque propter ſe honorabiles, quòd enim non uelit ipſas eſſe per ſe honorabiles, indicat ipſas oppoſitiones amicitiæ, quæ eſt per ſe honorabilis, quòd non uelit ipſas eſſe propter ſe honorabiles, aperte dicit, quoniam ſunt propter aliud honorabiles.

notat hic. Alexander dictum philoſophi dicentis, nullum honorare diuitias per ſe.

SED dubitaret quis, quidnam differat hic locus à loco quinto, in quo dicebatur, quod eſt propter ſe, eligibilius eſt, quàm id, quod eſt propter aliud; & quid differat à ſexto, in quo dicebatur, quod eſt per ſe, eligibilius eſt, quàm quod eſt per accidens. præterea quid differat à nono, in quo dicebatur, quod eſt natura, bonum eſt eligibilius, eo, quod non eſt tale. Dicendũ eſt hunc locum à quinto differre, quoniam differt per ſe honorabile ab eligibili propter ſe primo ratione, deinde quòd quædam ſunt propter ſe eligibilia, quæ tamen non ſunt per ſe honorabilia, ut bona delectabilia. differt autem hic locus à ſexto, quòd quædam ſunt per ſe eligibilia, quæ non ſunt per ſe honorabilia, ſicuti bona organica. differt autem à nono, quòd ibi comparatur unum natura, bonum alteri quod non eſt natura bonum. hic autem utraque ſunt natura bona, licet utraque non ſint natura honorabilia.

dubitatio, an differat iſte locus à loco quinto, & ſexto, in quo dicebatur, qđ eſt per ſe, eligibilius eſt, quàm quod per accidẽs.

LOCVS VIGESIMVS.

Amplius quando duo aliqua fuerint etc. HIC locus deſumitur à conſequenti meliori. eſt autem talis. quando ea, quæ inter ſe comparantur, ita propinqua ſint, ut exceſſum eligibilioris dignoſcere non poſsimus, ad conſequentia reſpiciamus

locus iſte deſumitur à cõſequenti meliori.

exemplum, in quo osten ditur eligibilius esse discere, quàm exerceri.

ſpiciamus. id enim ad quod maius bonum ſequitur, aut minus malum eſt eligibilius, exempli cauſa, ſi quæratur, quidnam melius ſit diſcere, aut exerceri, accipiemus eorum conſequentia, & quoniam ad diſcere ſequitur ſcientia, ad exerceri bonus habitus: melior autem eſt ſcientia bono habitu, ergo diſcere eligibilius eſt, quàm exerceri, ita oſtendemus eligibilius eſſe benefacere, quàm bene recipere, quia ad illud conſequatur eſſe ſimiles diis, & nihil indigentibus. ad hoc autem conſequatur eſſe ſimiles mortalibus, & egenis. quod ſi contingat conſequentia eſſe mala, id erit eligibilius, ad quod minus malum conſequitur, ut curari, quàm nauigare, quoniam ad curari ſequitur uri; & ſecari, ad nauigare autē naufragari, illa autem minus mala ſunt, pariter oſtenderemus, quòd honor eſt eligibilior diuitiis, quòd ad ipſum conſequi ſoleat minus malum, nempe iactantia: ad diuitias autem conſequi ſoleat iniuriam facere.

dubitatio.

QVONIAM autem philoſophus dixit eligibilius eſſe ad quod ſequitur melius, uel minus malum, quia potuiſſet quis ambigere, quòd ad aliquod bonum non poſsit conſequi malum, & ideo tale aliquid non debere dici eligibilius, admonet non eſſe inconueniens, quòd ad aliquod bonum conſequatur aliquod moleſtum, & graue, ſicuti uidemus, quòd ad ſanari conſequitur ſecari, & uri: & ad nauigare conſequitur naufragium facere.

quod hoc in loco dignū ſit annotatione.

NOTANDVM autem eſt ex hoc loco non minus oſtendi poſſe aliquid eſſe peius, & euitabilius, cum ſcilicet rebus malis applicatur. id enim ad quod conſequitur maius malum, uel minus bonum euitabilius eſt, ut quoniam ad iniuriā facere conſequitur odio haberi: ad iniuriam pati, conſequitur commiſerationem mouere. maius autem malum eſt odium commiſeratione, ergo iniuriam facere peius eſt, & euitabilius, quàm iniuriam pati, ita ſi peius eſt conciues ſibi inuicem inſidiari, & confligere, quàm alienigenas, illudq; ad ſeditionem, hoc ad bellum conſequitur, ergo ſeditio peior eſt bello, & ira erit peior furore, quoniam ad iram conſequitur id genus peccati, quod appellatur ἁμάρτημα. ad furorē autem id genus peccati, quod dicitur ἀδίκημα. peius autem eſt ἁμάρτημα, quàm ἀδίκημα. tria enim ſunt peccatorum genera, quoddam appellatur ἀδίκημα, aliud ἁμάρτημα, aliud ἀδίκημα. ἀτυχία, quod infortuniū dici poteſt, eſt id, quod contingit præter opinionem, & citra malitiā, ut ſiquis furore correptus alicui noceat, aut ſi quis lapidem in eum locum iaciens ubi nullus unquam conſpici ſoleat, aliquem forte offendat hæc peccata præter opinionem contingere dicuntur, & præter malitiam, ſeu improbitatem, quoniam malitia, uel improbitas eſt animus alicui nocendi præter ius, non præter opinionē, aut eſt id efficere, unde ſuſpicio ſit nocumētum alicui conſecuturum. in infortunio autem nihil horū contingit ἁμάρτημα, quod erratum dici poteſt, eſt præter malitiam, non tamen præter opinionem, ut ſi quis ebrius alicui noceat, aut ſi quis lapidem in eum locum coniiciens ubi uerſari homines ſoleant, aliquem offenda ἀδίκημα, quod dici poteſt iniuria, neque præter opinionem, neque citra improbitatem infertur, ut cum quis mente compos aliquem lædit, & hæc rurſus peccata diſtinguuntur, quòd uel primo animi impetu fiunt, uel conſulto, & doloſe.

quod poteſt infortunium dici.

hic locus deſumitur à bonorum numero, in quo, (propoſito loco) duas affert obiectiones, per quas ad rectam loci intelligentiam peruenire poſſimus.

LOCVS VIGESIMVS PRIMVS.

Amplius plura bona paucioribus. HIC locus deſumitur à bonorum numero. in eo autem explicando philoſophus primo proponit locum, deinde duas affert obiectiones, ex quibus ad rectam loci intellectionem deuenire poſſumus.

mus. Locus est, quòd plura bona sunt paucioribus eligibiliora. Hoc autem dupliciter potest contingere, uel simpliciter, quando scilicet differentia bona assumuntur, uel quando alia in aliis comprehenduntur. si enim comparemus sanitatem, nobilitatem, diuitias, memoriæ, honori, fortitudini; hæc sunt inter se diuersa, & hoc intelligitur per illud simpliciter. alia uero in aliis comprehenduntur pauciora, scilicet in pluribus, si dicamus, quòd nobilitas, diuitiæ, sanitas, honor, & uirtus eligibiliora sunt, quàm nobilitas, diuitiæ, sanitas, & honor, quoniam hæc in illis comprehenduntur. Primam autem obiectionem affert philosophus, quòd non omnino plura bona sunt paucioribus eligibiliora, quando pauciora in pluribus comprehenduntur. si enim duo bona accipiantur, & unum sit finis, alterum eius gratia utraque, non erunt eligibiliora, quàm solus finis, ut sanari, & sanitas non sunt meliora sanitate scientia. et discere non sunt meliora scientia. felicitas, & uirtus non sunt meliora sola felicitate, & huius rei ratio est, quoniam ea, quæ in aliquo comprehenduntur, cum eo non connumerantur, ut quoniam sanitas in bono habitu continetur, ideo non connumerabitur cum ipso bono habitu: non igitur dicemus sanitatem, & bonum habitum esse eligibiliora bono habitu: neque enim illa sunt plura bona. atque hinc elicitur locum dupliciter defendi posse ab hac obiectione. primo addendo conditionem, quam obiectio exprimit, quòd scilicet alterum non sit alterius gratia, alio modo nullam addendo conditionem, sed obiectionē soluendo, quòd scilicet quando alterum est alterius gratia, tunc non sunt plura bona, eo quòd id, quod est alterius gratia in eo comprehenditur, quod autem cum aliquo comprehenditur, cum eo non connumeratur.

obiectio prima.

obiectionis solutio.

SECVNDA obiectio, quam affert philosophus, tendit aduersus primam partem loci, quòd scilicet non omnino uerum est, ubi simpliciter comparatio fit, quòd plura bona sint eligibiliora paucioribus. hanc autem non aperte protulit Aristoteles, sed cum prætextu quodam. affert enim potius huius obiectionis probationem: dicit enim, quòd plerunque aliquod non bonum cum bono iunctum eligibilius est pluribus bonis. temperantia enim cum aliquo indifferenti sumpta, ut cum cicatrice, aut coma, uel aliquo etiam paruo malo, ut ignobilitate melior est sanitate, nobilitate, & diuitiis. si igitur aliquando bonum aliquod cum aliquo non bono additum eligibilius est pluribus bonis, ergo et sine eo addito illis erit eligibilius: non igitur semper uerum est, quòd plura bona sint eligibiliora paucioribus. Possumus autem ab hac etiam obiectione locum tueri hanc scilicet conditionem addēdo, quòd inter ipsa pauciora bona non sit aliquod maximum bonum.

obiectio secunda à philosopho allata, quæ tendit aduersus primam partem loci.

LOCVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Et eadem cum uoluptate magis, quàm sine uoluptate. HIC locus desumptus à uoluptate est, quòd omne bonum cum uoluptate coniunctum eligibilius est, quàm sine uoluptate, ut, quòd diuitiæ cum uoluptate sunt eligibiliores, quā sine ipsa. comparat autem philosophus non diuersa diuersis, sed idē sibi ipsi.

à uoluptate desumptus ē hic locus.

LOCVS VIGESIMVS TERTIVS.

Et eadem cum indolentia, quàm cum tristitia. HIC locus desumptus ab indolentia est, quòd omne bonum, cui coniuncta sit indolentia, eligibilius est se ipso cum dolore coniuncto, & ratio est, quoniam omne bonum cum aliquo malo

hic locus desumptus est ab indolētia.

malo coniunctum minus eligibile est, quàm absque eo malo. dolor autem est quoddam malum: sicut enim uoluptas simpliciter quidem bona est, mala tamen efficitur uitio coniuncta: ita dolor simpliciter quidem est malus, bonus tamen efficitur coniunctus uirtuti, quando scilicet subitur dolor, nec uitiosi aliquid comitatur.

quomodo differat indolentia à uoluptate.

DIFFERT autem à uoluptate indolentia, quòd indolentia solum dicit doloris absentiam, non autem dicit præsentiam contrarii.

LOCVS VIGESIMVS QVARTVS.

locus iste desumitur ab opportunitate.

Et unumquodque, in quo tempore magis potest. DESVMITVR hic locus ab opportunitate, & est, qnòd unumquodque eo tempore est eligibilius, quo magis potest, id est quo maior eius est usus. uniuscuiusque enim potestatem eius usus potissimum ostendit, exempli causa, quoniam indolentia est eligibilis, tunc erit eligibilior, quando maior erit eius usus. maior autem est eius usus in senectute, quoniam senibus tristitia est familiaris. iuuenes autem hilaritatem habent innatam. indolentia igitur in senectute erit eligibilior: pariter prudentia eligibilis est, tunc autem est eligibilior, quando maior est eius usus: maior autem est eius usus in senectute, quoniam senibus ea demandantur, quæ magna prudentia tractari debent. iuuenibus autem nihil tale committitur: ex aduerso autem fortitudo eligibilior est in iuuentute, quàm in senectute, quoniā tunc maior est eius usus in corporalibus exercitiis, & periculis, quæ plurima iuuenes subeunt, ita & temperātia in iuuentute est eligibilior. in senibus enim progressu ætatis appetitus extincti quodam modo sunt: at in iuuenibus feruore ætatis sunt maxime incitati; & ideo ad illos cohibendos magnus est temperantiæ usus. eadem ratione applicantes hunc locum rebus malis ostenderemus paupertatem esse euitabiliorem in senectute, quàm in iuuentute, quoniam propter imbecillitatem senes pluribus indigēt. in iuuentute autem peiorem esse imbecillitatem, quia iuuenes ad propria munera obeunda robore maxime indigent.

LOCVS VIGESIMVS QVINTVS.

desumitur hic locus à tēpore.

Et quod in omni tempore, uel in pluribus. DESVMITVR hic locus à tempore, & est, quòd eorum, quæ æqualiter eligibilia esse uidentur, id est eligibilius, cuius in omni tempore, uel in pluribus est usus, quàm id, quod tale non est, & ideo dicemus iustitiam esse eligibiliorem fortitudine, quoniam iustitia semper indigemus, & in bello & in pace. fortitudine autem solum in bello, eadem ratione temperantia erit eligibilior fortitudine, ita prudentia erit aliis omnibus uirtutibus eligibilior, quoniam aliarum uirtutum usus sit ad quædam determinata, prudentiæ autem ad omnia.

annotatio Alexandri, in qua ostenditur hic philosophū de perfectis uirtutibus loqui.

NOTAT Alexander philosophum hic nunc loqui de uirtutibus perfectis, quoniam illæ se mutuo consequuntur: neque una sine aliis esse potest. dicit tamen, quòd etsi perfectæ uirtutes semper simul sint, non tamen earum actiones simul sunt, quare neque earum usus, & hac ratione potest altera altera esse eligibiliora. sed dices, quomodo temperantia, aut iustitia utilis est in omni tempore? Dicendum est temperantiam utilem esse in omni tempore, quoniam in omni tempore insurgunt affectus, ad quos cohibendos utilis est temperantia; ita & iustitia ad reddendum unicuique, quod suum est, quod in omni tempore contingit. Sed dices, quòd hæc in omni tempore non contin-

iustitiæ proprium.

gunt.

gunt, neque enim dormientes aliquibus effectibus uexantur, præterea plerunque nullus est usus iustitiæ, ubi scilicet nullæ sint disceptationes. etsi hæc æstimentur, eo quòd & si in omni tẽpore non sit harum uirtutum usus, potest tamen esse, hac ratione non erunt eligibiliores fortitudine, quoniam & eius quocunque tempore potest esse usus, quia quocunque tempore insurgere possunt bella: dicendum est, quòd, ut hæc tolleret philosophus, initio loci medellam apposuit dicens, quòd in omni tempore, uel in pluribus. hoc enim negari non poterit, quin iustitiæ, & temperantiæ in pluribus temporibus usus sit, quàm fortitudinis. sæpius enim insurgunt appetitus, & incidũt disceptationes, quàm bella. eodem modo consimilia æstimentur.

LOCVS VIGESIMVS SEXTVS.

Et quod cum omnes haberemus. Hic locus dici potest desumptus ab independente, & est, quòd si duo aliqua talia sint, quòd si alterum eorum omnes haberẽt alterius, nullus esset usus: alterum uero si omnes haberẽt alterius, adhuc esset indigentia id, quod omnibus habentibus tollitur, alterius usus est eligibilius, uel breuius id, quo habito ab omnibus altero non indigeremus, magis eligendum est, quàm id quo habito ab omnibus indigeremus altero. hac ratione probaremus iustitiam esse eligibiliorem fortitudine, quoniam si omnes essent iusti, nulla fierent bella, quare fortitudinis nullus esset usus, at si omnes essent fortes, iustitia adhuc indigerent, quoniam non tollerẽtur contractus, ad quos est iustitiæ usus, hac etiam ratione amicitia erit eligibilior iustitia. amici enim iustitia non indigent, iusti uero indigent amicitia.

hic locus uidetur desumptus ab independente, ut ab exemplis perspici põt.

LOCVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

Amplius ex corruptionibus, & abiectionibus etc. Hic locus desumitur ex corruptionibus, abiectionibus, contrariis, generationibus, assumptionibus, & effectiuis, quemadmodum in secundo libro tradidit locos philosophus ex generationibus, & corruptionibus, effectiuis, & corruptiuis; ita ex eisdem nunc tradit locos ad ostendendum aliquid esse eligibilius. accipit autem philosophus corruptionem, abiectionem, & contraria; ideo antequam locum explicemus, uidendum est, quid per hæc nomina philosophus intelligat.

hic locus desumitur à mul tis partibus, quas inferius ordine declarat.

Corrvptionem, & abiectionem dicere possumus idem significare: possumus etiam inter ipsa talem constituere differentiam, quòd corruptio sit in illis, in quibus non est regressus, idest quæ amissa nõ recuperantur. abiectio uero, in quibus est regressus, ut uisus, & auditus, corruptio dicatur. sanitatis autem, & diuitiarum abiectio, quoniam hæc si amittantur, iterum possunt recuperari, attamen si diligentius inspiciamus, talis differentia inter ipsa esse non potest, quoniam si corruptionem intelligamus eorum, quæ amissa recuperari non possunt, nulla poterit esse corruptio eligibilis, quoniam ea, quæ amissa non recuperantur, bona omnia sunt: quare eorum corruptiones sunt malæ.

ponit differẽtiã inter corruptionẽ, & abiectionẽ, licet idem significare eas dicat, ex quibus desumitur locus uigesimusseptimus.

Sed forte dices, si eorum corruptio bona non est, bona erit corruptio suarum priuationum; sed hoc dici non potest, quoniam priuationis impossibile est esse corruptionem. alia igitur inter corruptionem, & abiectionem constituenda est differentia, quòd scilicet corruptio est eorum, quæ inseparabilia sunt à suis subiectis, quoniam si separentur, statim corrumpuntur, ut sunt

ſunt qualitates. cum enim aliquid ex dulci, aut lucido mutatur, dulcedo, aut lumen non permanent, ſed corrumpuntur. abiectio autem erit in his, quæ ſeparata permanent, ut ſunt pecuniæ, & prædia. cum enim quis amittit prædium, non propter ea prædium corrumpitur, ita igitur patet, quid philoſophus intellexerit per corruptionem, & abiectionem: quare patet, quid etiam per generationem, & aſſumptionem intellexerit, licet nihil prohibeat, quin pro eodem accipiantur.

philoſophi additio contrariorum.

ADDIDIT autem philoſophus contraria, quoniam eadem ratio eſt de ipſis abiectionibus, & de contrariis. ſicut enim quorum abiectiones ſunt malæ, ipſa ſunt bona, ita & quorum contraria mala, ipſa ſunt bona. ſed dices, fruſtra hoc addidit philoſophus, quoniam abiectiones inuehunt contraria: ſat igitur ipſi fuerat loqui de abiectionibus. Dicendum eſt, quòd quædã abiectiones fiunt cum inuectione contrarii, quædam uero ſine ea. ſicuti enim aut uectis abiectio non fit cum inuectione contrarii, ita & obliuio eſt ſcientiæ abiectio, non tamen contrarium inuehit. abiectio autem diuitiarum fit cum inuectione contrarii, nempe paupertatis.

hunc locum multas habere partes dicit, quæ in exemplis enumerantur.

PRAETEREA licet etiam abiectio contrarium inferat, aliud tamẽ eſt abiectio, aliud uero ipſum contrarium. his igitur declaratis locum explicemus. habet hic locus plures partes, cuius corruptio, uel abiectio, uel contrariũ peius eſt, ipſum eſt eligibilius, & cuius generatio, uel aſſumptio, uel effectiuum melius eſt, ipſum eſt eligibilius, ut ſi corruptio uirtutis peior eſt, quàm corruptio ſanitatis, ergo uirtus eſt eligibilior ſanitati: & ſi abiectio pecuniarum peior eſt, quàm abiectio ueſtium, ergo pecuniæ ſunt ueſtibus eligibiliores: & ſi abiectio prædii peior eſt, quàm domus, ergo prædium domo melius. poſſumus autem & corruptionem abiectioni comparare, ut ſi corruptio ſcientiæ peior eſt, quàm abiectio pecuniarum, ergo ſcientia eſt eligibilior pecuniis. ex contrario autem, ſi iniuſtitia eſt peior prodigalitate, ergo iuſtitia eſt eligibilior liberalitate: & ſi uitium eſt peius paupertate, ergo uirtus eſt eligibilior diuitiis. ex generatione autem & aſſumptione, ut ſi diſcere eſt melius, quàm exerceri, ergo ſcientia eſt eligibilior ſanitate: & ſi diſcere melius eſt, quàm ditari, ergo ſcientia eſt eligibilior diuitiis. ex effectiuis autem, ut ſi uerecunde, & modeſte uiuere melius eſt, quàm inuerecunde, & immodeſte. illud autem effectiuum eſt uitæ philoſophicæ, hoc autem uitæ forenſis, ergo philoſophica uita eligibilior eſt forenſi: & ſi ualere eum, qui uere ſtudet, ſcire melius eſt, quàm eum, quod ſtudet apparere ſciens, illudq́; eſt effectiuum philoſophici moris; hoc autem ſophiſtici, ergo philoſophum eſſe eligibilius eſt, quàm eſſe ſophiſtam.

annotatio Alexandri.

NOTAT Alexander, quòd pars illa huius loci, cuius contrarium peius eſt, ipſum eſt eligibilius, limitatione quadam indiget, quòd ſcilicet alterum in altero non comprehendatur. nam morbus eſt peior malo habitu, non tamẽ ſanitas eſt eligibilior bono habitu, quoniam ſcilicet ſanitas in bono habitu continetur.

quid Alexãder hoc in loco notet.

NOTAT præterea hunc locum non minus applicari rebus malis, & ex eo oſtendi aliquid eſſe euitabilius. cuius enim corruptio, uel abiectio, uel contrarium eſt melius, ipſum eſt peius: & cuius generatio, uel aſſumptio, uel effectiuum eſt peius, ipſum eſt peius, & euitabilius.

MANIFESTVM autem eſt, quòd his locis alia ratione utitur philoſophus in ſecundo libro, quàm hic. ibi enim oſtendit ſimpliciter aliquid alicui ineſſe, hic autem magis.

LOCVS VIGESIMVS OCTAVVS.

Alius autem locus est, quod propinquius bono &c. Hic locus desumitur à propinquitate, & similitudine boni: dubitatq; Alexander, nunquid sit unus, an duo: si duo sint, unus erit id, quod est bono propinquius, eligibilius est. aliter uero id, quod est bono similius, eligibilius est. prima exemplum est, quòd actio secundum uirtutem melior est ipsa uirtute, quoniam est felicitati propinquior. Secundi uero, quòd benefacere melius est, quàm bene recipere, quoniam est felicitati similius. Sed dicit Alexander, quòd si duo sint loci, necesse est primum coincidere cum aliquo superiorum: uel enim intelligemus id, quod est propinquius bono, ut generi, uel ut fini. si intelligamus ut generi coincidet cum loco quarto, in quo dicebatur id, quod est uere, & propriè tale, melius esse, & hoc confirmatur ex eo, quòd hic philosophus eodem usus est exemplo, quo ibi utebatur. Si autem intelligamus, ut fini idem erit cum decimo quarto, qui dicebat id, quod est fini propinquius, eligibilius est: quare melius esse censet Alexander, ut unus tantum sit locus, & quòd illud, quod est similius bono, exponat, quidnam sit id, quod est propinquius bono, quasi dicat, intelligo id esse bono propinquius, quod est bono similius: & huic sententiæ fauet, quòd philosophus unum tantum exemplum attulerit, præterea intelligit Alexander per bonum ipsam felicitatem, quoniam philosophus dixit, ἐγγύτερον τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ ὁμοιότερον τῷ ἀγαθῷ. articulus autem ille insinuat illud esse propriissime bonum, quod est felicitas. præterea sequens locus est à similitudine aliorum bonorum, nihil tamen prohibere uidetur, ut de aliis etiam bonis intelligamus: ita igitur ostendemus ex hoc loco uirtutem esse eligibiliorem bona fortuna, quoniam propinquior sit, & similior felicitati, & quòd gloria eligibilior est uoluptate, quoniam sit similiter honestati, & quòd amicis benefacere melius est, quàm inimicis malefacere, quoniam & hoc honestati similius est. ita iustitia erit melior habente iustitiam, quoniam est bono similior. est enim in genere uirtutis, & boni.

hic locus desumitur à propinquitate, & similitudine boni: in quo dubitat, an hæc sint duo, an unũ, Alexander.

opinio Alexandri.

LOCVS VIGESIMVS NONVS.

Et quod meliori eorum est similius. Hic locus desumitur à comparatione duorum ad unum. in eo autem explicando philosophus primo exponit locum. secundum instantiam adducit, quæ loci ueritatem aperit. tertio eam instantiam confirmat. Locus est id, quod est meliori similius, melius est, & eligibilius, exempli causa, Vlysse & Aiace melior est Achilles, qui igitur horum est Achilli similior, melior erit: sed Aiax est Achilli similior, ergo Aiax est Vlysse melior. aduersus hunc locum instantiam affert philosophus, quòd scilicet si quis sit alicui meliori similior, sed non in eo, quòd ille est melior, non propterea necesse est ipsum esse meliorem alio, qui bonus sit, non tamen illi similis, ut Achilles erat fortis, & in hoc præstabat Aiaci, & Vlysi, erat autem & iracundus. si igitur Aiax, & Vlyses Achilli cõparentur, Aiax est quidem similior Achilli, quàm Vlyses: sed non in eo, quòd Achilles præstat, sed in iracundia, ideo non oportet, ut sit Vlysse melior. confirmat deinde philosophus hoc, quòd in obiectione dictum est, quòd scilicet non oportet, ut si quid sit alicui meliori similius, sed non in eo, quod illud melius est, ut hoc quoque, quod est ei similius, sit melius altero, quod illi simile non est, quoniam, inquit, potest esse simile in aliquo ridiculo, exempli causa, simia est homini similior, quàm equus, non tamen est equo melior, quoniam est simi-

à cõparatione duorũ ad unum iste locus desumitur, quem trifariam exponit. primum locum exponit: deinde instantiã adducit. postremo eam confirmat.

lis homini in ridiculis, & non in eo, quod homo præstat, ita igitur ex hac obiectione loci ueritas aperitur. Hoc modo ostenderemus, quòd qui beneficium confert, meliorem, quàm qui accipit, Deo enim est similior, & eadem ratione contemplatio actione.

dupliciter ab Alexādro uerba textus exponuntur.

VERBA, Illa altero existenti quidem bono non simili autem, Dupliciter exponuntur ab Alexandro. primo ut illud, non simili autem intelligatur, pro non æqualiter simili, ut scilicet seruetur comparatio, quòd utrunque sit illi meliori simile, sed alterum magis: & huic expositioni fauent uerba textus, ubi dicit, & quod meliori similius, ergo uult, quòd utrunque sit simile. Alia expositio est, quòd simpliciter intelligamus, non simili autem, id est, quòd nullatenus sit simile: & huic expositioni fauet exemplum à philosopho allatum de equo, & simia. equus enim omnino non est similis homini, sed possumus utranque expositionem coniungere, ut dicamus, non simili autem, uel omnino, non simili, uel non æqualiter simili.

LOCVS TRIGESIMVS.

ex comparatione locus desumitur, q & primum à philosopho exponitur: deinde ab ipso duę instantiæ afferuntur.

Rursum in duobus, si hoc quidem melior &c. DESVMITVR hic locus ex comparatione duorum ad duo, in eo autem explicando philosophus primo locū exponit, deinde ad loci ueritatem aperiendam duas instantias affert. Locus autem est, si duo aliqua comparentur ad duo, quorum alterum sit altero melius id, quod erit similius meliori, melius erit. Quare differt à superiori, quòd in eo duo ad unum comparantur: hic autem duo ad duo, exempli causa, quæ in actu sunt meliora, sunt his, quæ sunt in potentia, & quanto magis aliquid est in actu, tanto est melius, sicuti & quanto magis est in potentia, tanto est peius, sed uirtus agens est similior his, quæ sunt in actu, uirtus autem non agens est similior his, quæ sunt in potentia, ergo uirtus agens est præstantior, non agente. eadem ratione bene facere melius est, quàm bene recipere, quoniam illud similius est non indigenti. hoc autem indigenti, ita & superbia melior erit temeritate, quoniam est similior magnanimitati, temeritas autem fortitudini: præstantior autem est uirtus, magnanimitas fortitudine.

duæ instātiæ à philosopho allatæ.

ADVERSVS hunc locū duas affert instantias philosophus, prima est, quòd si id, quod est similius meliori, parum ei sit simile, id autem, quod est simile minus bono, sit ei multum simile, non oportet, quòd similius meliori sit melius, exempli causa, si supponamus Achillem esse Nestore meliorem, cum Aiax sit parum Achilli similis: Vlysses autem sit ualde similis Nestori, non poterimus, dicere Aiacem esse Vlysse meliorem, ex hac instantia elicienda est conditio ad ueritatem loci necessaria, quòd scilicet id, quod erit similius meliori, erit melius, dummodo ipsum non sit parum simile meliori: alterum uero sit ualde simile minus bono. Secunda instantia est, quòd si simile meliori sit ei simile, non quatenus ipsum est melius, non omnino erit melius, eo quòd est simile minus bono, sed quatenus tale. propter hanc enim rationem simia nō est melior equo, & si simia sit similis homini, equus uero asino, quoniam scilicet simia similis est homini in peioribus, equus uero est similis asino in melioribus, & hac ratione Vlysses præstabit Aiaci, quoniam similis est Nestori in eo, quod Nestor præstat prudentia scilicet & consilio: Aiax uero est similis Achilli, non in eo, quòd Achilles præstat, sed in iracundia.

LOCVS

LOCVS TRIGESIMVS PRIMVS.

Alius, quod maxime nobile &c. Hic locus desumitur à nobilitate, & est, quòd eorum, quæ alioqui consimiliter se habent id, quod est illustrius, eligibilius est. hac ratione benefacere ciuitati melius erit, quàm uni, & seruire principi, quàm priuato homine, & benefacere melius est, quàm ditari, & fortitudo melior erit prudentia, & magnificentia liberalitate, hoc etiam modo quis ostendere posset actiuam uitam eligibiliorem contemplatiua, quòd sit illustrior?

à nobilitate iste locus desumitur, qui exemplis declaratur.

LOCVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

Et quod difficilius magis enim amamus. Desvmitvr hic locus à difficultate, & est id, quod difficilius est, eligibilius est faciliori, hoc modo uirtus erit eligibilior diuitiis, & sanitate, quoniam difficilius acquiritur. Virtutem enim, ut inquit Hesiodus, posuere Dei sudore parandam. hoc modo contemplatio erit melior actione: difficilius enim est, quæ in natura sunt optima cognoscere, quàm in actione rerum uersari, huius loci ratio est, quoniam, quæ difficiliora sunt, sunt magis rara, & ideo maiori admiratione laude, & amore digna.

desumitur locus iste à difficultate.

LOCVS TRIGESIMVS TERTIVS.

Et quod magis proprium. Desvmitvr hic locus à proprio, et est id, quod est unicuique magis proprium, eligibilius eo est, quod est communius. proprium autem hoc modo accipitur, quòd soli alicui conuenit, uel cum admodum paucis, hoc modo prudentia erit eligibilior homini, quàm sanitas, quoniam illa est hominis propria, sanitas uero ipsi est cum aliis animalibus communis, hac etiam ratione scientia erit melior robore corporis, & ratio pulchritudine, & hac ratione unusquisque propria inuenta in artibus, & scientiis maxime diligit.

desumitur hic locus à proprio.

LOCVS TRIGESIMVS QVARTVS.

Et quod malis incommunicabilius desumitur. Hic locus à malorum incommixtione, & est, quòd id, quòd malis est minus commixtum, melius eo est, quod est magis commixtum. hoc modo ostendetur temperantiam esse eligibiliorem continentia, quoniam temperantia fit extra omnem cupiditatem, continentia autem fit inter malas, & uehementes cupiditates: ita mediocris uita melior erit, quàm quæ in alto sita est, & contemplatiua erit eligibilior actiua: est enim afflictionum perturbationibus minus obnoxia, ita & prudentia eligibilior erit fortitudine, cum ad fortitudinem sequantur labores, & uulnera, extraq; posita esse prudentia.

iste locus à malorum incommixtione sumitur.

LOCVS TRIGESIMVS QVINTVS.

Amplius, si hoc illo melius. Hic locus est à positiuo ad superlatiuum, & est, quòd si simpliciter aliquod genus est alio genere melius, uel aliqua species aliqua specie: id quoque, quod in meliori genere, uel specie est optimum, melius est, quàm id, quod in minus bono genere, uel specie sit optimum, ut si

à positiuo ad superlatiuũ est iste locus.

animatum genus melius est inanimato, ergo quod est inanimatis optimum, melius eo est, quod est optimum in inanimatis: & si simpliciter anima est corpore melior (uel sit una specie, uel genere) & optima, anima erit optimo corpore melior: & si uir simpliciter est muliere melior, & optimus uir erit optima muliere melior: & si homo simpliciter est equo melior, & optimus homo erit optimo equo melior.

ADIICIT autem Alexander huic loco conditionem quandam quatenus, scilicet est in eo genere, uel specie.

LOCVS TRIGESIMVS SEXTVS.

hic locus est à superlatiuo ad positiuũ, quod est contrarium prioris.

Etsi optimum optimo melius. HIC locus est conuersus prioris, & est à superlatiuo ad positiuum, si optimum eorum, quæ sunt in aliquo genere, uel in aliqua specie melius est optimo existente in alio genere, aut specie: simpliciter quoque genus illud, aut species erit melior, ut si optimus uir est optima muliere perfectior, erit quoque et simpliciter uir muliere perfectior: eodem modo si optimus homo est optimo equo melior, erit quoque simpliciter homo equo melior.

DVBITAT aduersus hunc locum Alexander, quoniam optima mors est optima de ambulatione melior, non tamen mors est deambulatione melior. Soluit ipse, quòd cum dicimus, si optimum alicuius speciei, uel generis est optimo alterius speciei, uel generis melius, simpliciter quoque species illa, uel genus erit altero genere, aut specie: melius intelligimus, quando illud sit optimum ratione propriæ uirtutis, et perfectionis existentis in ipso, quare maxime, & uerissime est in illo genere, uel specie, sicuti optimus homo dicitur secundum propriam uirtutem, et perfectionem, quare & uerissime homo est, sicuti et optimus equus, maxime est equus, at optima mors non est maxime, mors neque optima mors dicitur secũdum propriam uirtutem, et perfectionem, sed propter cuiusdam alterius præsentiam uirtutem, scilicet non mortis, sed ipsius morientis. mixta enim est optima mors ex morientis uirtute, et morte. si igitur, ut superius dictum fuit, in loco uigesimo primo, quandoque non bonum alicui magno bono additum melius est pluribus bonis, quid mirum, quòd uirtus cum morte coniuncta sit melior optima deambulatione, quæ est quoddam indifferens?

LOCVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

est hic locus à communicatione cum amicis.

Amplius ea, quibus est amicos participare. HIC locus est à communicatione cum amicis, & est eorum, quæ similiter eligibilia, uidentur. illud est eligibilius, cuius participes fieri possunt amici, hoc modo uirtus erit eligibilior sanitate, uirtutem enim possumus amicis impertiri, sanitatem autem non & diuitiæ nobilitate, & eruditio uoluptate. qui enim uoluptate fruitur, solus fruitur, & liberalitas mansuetudine, & fortitudo pulcritudine.

LOCVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

desumitur locus ab his, quæ amicis agimus.

Et quæ ad amicum agere malumus. DESVMITVR hic locus ab his, quæ amicis agimus, & est, quòd ea, quæ amicis efficere potius uolumus, quàm quibuslibet ignotis eligibiliora sunt, hoc modo iusta facere eligibilius erit, quàm uideri iusta facere, amicis enim iusta uere facere uolumus, ignotis autem

tem etiam uideri facere sufficere existimamus, hoc modo mutuare eligibilius erit, quàm fœnerari. amicis enim mutuamus, ignotis autem fœneramur: ita & docere eligibilius erit, quàm ostendere, si quid enim rari operis effice re nouimns, ipsum ignotis etiam ostendimus, sed amicos solum docere uolumus.

ADMONET autem Alexander hos locos solum esse probabiles, non autẽ semper ueros.

LOCVS TRIGESIMVSNONVS.

Et quæ sunt ex circunstantia etc. DESVITVR hic locus ex abundantia, & est, ea, quæ sunt ex abundantia, meliora sunt necessariis. sed, ut locus intelligi possit, explicare conuenit, quænam sint necessaria, & quænam sint ex abũdantia necessaria, ea sunt, sine quibus esse non possumus: ex abundantia autẽ, quam græci dicunt, ἐκ περιουσίας, quidam transferunt ex circunstantia, ea dicuntur, quando præexistentibus necessariis alia quædam bona adiiciuntur, exempli causa, uiuere dicemus necessarium, bene autem uiuere ex abundantia, quoniam uiuere, quod necessarium est, ornatur additione illius bene, quod necessarium non est: ita igitur bene uiuere erit eligibilius, quàm uiue- & bene dicerẽ, quàm dicere. — hic locus ex abundantia est.

NOTANDVM autem est, quòd quandoque id, quod est ex abundantia, est melius, & eligibilius, quàm id, quod est necessarium. aliquando uero melius quidem est, non tamen eligibilius. bene uiuere enim melius est, quàm uiuere, & etiam eligibilius. aliquando uero melius quidem est, non tamen eligibilius. philosophari enim melius quidem est, quàm ditari, non tamen eligibilius est indigentibus. & qui aliter uiuere non possint, ut enim dicebat Phocydides, inquirendum prius est, unde uiuas, postea autem de uirtute cogitandum: atque hinc elicitur, quod dici solet, prius oportet ditari, postea philosophari, ita & sanari eligibilius erit ægroto, quàm philosophari. — quid sit notandum. — dictum Phocydides.

NEQVE mirandum est, ut dicit Alexander, quòd id, quod est melius, non sit etiam eligibilius. ita enim uidimus in loco decimo sexto, quòd nobis possibilia erant eligibiliora impossibilibus, ut longa uita, immortalitate, licet impossibilia essent simpliciter meliora.

NOTAT autem philosophus, ut plurimum ita esse, quòd necessaria sunt eligibiliora, quæ autem sunt ex abundantia meliora, cuius ratio est, quoniã secundum naturam, quæ sunt ex abundantia, supponunt ea, quæ sunt necessaria, & quoniam necessaria adesse conferunt, ideo eligibiliora sunt: quoniam autem, quæ sunt ex abundantia, supponunt necessaria, & illis adiiciunt bonum quoddam, ideo illis sunt meliora: sed dices, quomodo igitur quædam sunt ex abundantia meliora simul, & eligibiliora? dicendum est, quod quædam eorum, quæ sunt ex abuudantia, includunt necessaria, sicuti bene uiuere, acute uidere. quædam autem licet secundum naturam necessaria supponant, non tamen ea includunt, sicuti philosophari, sanitatem & alimenta supponit, non tamen ea includit: quæ igitur includunt necessaria illis comparata, sunt meliora, & eligibiliora: quæ autem ea non includunt, sunt quidem meliora, non tamen eligibiliora. — quid philosophus notet.

NOTAT Alexander particulam illam fere, ubi dicit philosophus, fere autem, est eligibilius additam fuisse propter eligibilius, non autem propter melius, eo quòd quæ sunt ex abundantia, semper sunt meliora, sed necessaria fere semper eligibiliora. — quid Alexander notet.

LOCVS QVADRAGESIMVS.

locus ex eo, quod non est ex alio.

Et quod non est ab alio exquirere. DESVMITVR hic locus ab eo, quod non est ex alio, & est, id quod ab alio haberi non potest, eligibilius est, quàm id, quod haberi potest. hac ratione uirtus erit eligibilior fortunæ bonis, quoniam uirtutem ex nobis ipsis solum habere possumus. ut autem fortunæ bona acquiramus, multæ possunt esse causæ, & nobilitas erit eligibilior diuitiis, & exerceri, quàm curari, & coronari ob uictoriam, quàm assistentium studio: ita autem se habebit, dicit philosophus iustitia ad fortitudinem. fortitudo enim ex periculis nos seruat: iustitia autem nobis tribuit, ut æquum unicuique tribuamus: sed liberari ex periculis ab aliis etiam esse potest, si nos fortes non simus: at uero; ut æquum tribuamus, sine propria iustitia fieri non potest; eligibilior igitur est iustitia fortitudine.

quid hoc in loco Alexander notet.

NOTAT autem Alexander hunc locum intelligi etiam posse de his, quæ amissa haberi ab alio non possint: ut si quis opus aliquod amittat, cuius artifex nullus sit, aut codicem cuius exemplar non extet: & hac ratione circa propria commentaria maximum impendimus studium.

LOCVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

locus ab eligibili sine alio.

Et si hoc quidem sine illo exigendum, illud autem sine hoc non. DESVMITVR hic locus ab eligibili sine alio: & est, quòd si duo aliqua sint eligibilia, & alterũ sine altero eligibile non sit: alterum uero etiam per se sit eligibile id, quod sine altero est eligibile, erit eligibilius. hac ratione uirtus erit eligibilior uoluptate, & sanitas diuitiis: &, ut dicit philosophus, prudentia potestate, quoniam prudentia etiam sine potestate est eligibilis: potestas autem sine prudentia nullo modo.

NOTATQVE Alexander, quòd per potestatem possumus intelligere potentiam, & uim proprie dictam: sed possumus etiam intelligere omnia ea bona, quæ ab ipso philosopho potestates solent appellari, ut amicitia, principatus, eloquentia.

LOCVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

locus à dissimulatione.

Et duorum, si alterum negamus. DESVMITVR hic locus à dissimulatione, & est, si duo aliqua eligibilia sint, & eorum alterum negamus adesse nobis, ut alterum uideatur nobis adesse, hoc, quod uideri uolumus nobis adesse, est eligibilius: & hoc modo dicemus ingenium esse eligibilius studio, & diligentia. negamus enim esse diligentes, ut ingeniosi uideamur, ita & fuco ornari negant mulieres, ut natura pulchræ esse uideantur, ita & uoluptates contemnere simulamus, ut continentes uideamur, & labores contemnere, ut uideamur tolerantes, ita negamus nos rhetorica arte uti, ut uera dicere uideamur, ita quoque in corporis exercitiis, ut palæstra, saltu, cursu, iactu, natatione, armorum concertatione nos esse exercitatos negamus, ut fortes esse uideamur.

quare rhetorica uti arte dissimulãt oratores.

LOCVS QVADRAGESIMVS TERTIVS.

locus ab increpatione minori.

Amplius pro cuius absentia minus increpandi sunt etc. DESVMITVR hic locus ab increpatione minori, & est, quoniam eorum, qui alicuius boni absentiã

moleste

moleste ferunt, quidam sunt magis increpandi, quidam minus bonum illud cuius absentiam moleste ferens minus est increpādus, eligibilius est, ut quoniam minus increpandi sunt, qui filiorum amissionem dolent, quàm qui pecuniarum. eligibiliores igitur sunt filii pecuniis, ita & sanitas erit eligibilior uoluptate, & diuitiæ honore, & amicus pecunia.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Et pro cuius absentia non moleste ferentem etc. HIC locus superiori affinis est à maiori increpatione, & est, bonum. illud cuius absentiam non moleste ferens, magis est increpandus, eligibilius est, ut quoniam magis increpandi sunt, qui non moleste ferunt ignorantiam, quàm qui nō moleste ferunt ægritudinem. erit igitur scientia sanitate eligibilior, & sanitas erit eligibilior diuitiis, & publicis rebus consulere erit eligibilius, quàm priuatis. magis enim increpandi sunt, qui communis boni destructionē moleste non ferunt quàm qui priuati, ita & studium in parentes erit eligibilius, quàm in filios, & erudiri, quàm exerceri.

IN his autem locis per absentiam non solum amissionem intelligere debemus, sed simpliciter ipsum non habere. ita enim increpatione digniores esse dicimus, qui ignorantiam non moleste ferunt, quàm qui ægritudinem. quid in his locis per absentiam debem' intelligere.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVINTVS.

Amplius eorum quæ sunt sub eadem specie. DESVMITVR hic locus à propria uirtute, & est, quòd eorum, quæ sunt in eadem specie, id, quod habet propriam uirtutem, eligibilius est, & ratio est, quoniam unumquodque quo est perfectius, eo est eligibilius, sed quòd habet propriam uirtutem, perfectius est, quoniam uirtus est uniuscuiusque rei perfectio: hac ratione homo uirtute præditus erit præstantior non prædito uirtute, & canis cane, & equus equo, & instrumentum instrumento. nam & instrumentum propriam habet uirtutem, aptitudinem scilicet ad id, cuius gratia factum est. hinc ostendetur cyathum ad bibendum commodiorem, & si ex uitro sit, eligibiliorem esse argenteo, aut aureo: & domum ligneam, aut latericiam ad usum suum commodiorem, eligibiliorem esse marmorea, & uestem calefacientem purpurea, & sericea. locus à propria uirtute.

NOTAT autem Alexander recte adiecisse philosophum, quæ sunt sub eadem specie, quoniam aliter locus non esset uerus: neque enim uerum est, quòd eorum, quæ sunt sub eodem genere, id, quod propriam habet uirtutem, sit eligibilius: neque enim lepus, aut canis, propriam habens uirtutē, erit homine propriam uirtutem non habente præstantior, si autem utraque sub eadem specie sint. locus est omnino uerus. quare philosophus adiecerit uerba illa, Quæ sunt sub eadē specie.

SED quis ambigeret, quoniam non uidetur uerum uitreum uas esse eligibilius aureo, aut ligneam domum marmorea. dicendum est, quòd si ipsa consideremus quatenus talia, quod utique eligibilior est domus lignea ad usum commodior, quàm marmorea, nihil tamen prohibet, quòd ratione materiæ, & sumptus altera sit eligibilior. dubitatio.

VTRISQVE autem habentibus, quod magis habet, uel hæc sit pars superioris loci, uel sit alius locus, nihil refert. dicit autem, quòd eorum, quæ sub eadem specie sunt, si utrunque propriam habet uirtutem, id, quod magis habet est eligibilius, & hoc modo scientia erit scientia præstantior, quæ huius loci pars, uel locus alius.

est

est exactior, & uisus uisu, qui est acutior, & equus equo, qui est obedientior, fortior, & uelocior.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

locus ab effectiuo bonorum. duplex boni diuisio.

Amplius si hoc quidem facit bonum. Hic locus desumitur ab effectiuo bonorũ, & est, quòd bonorum, id, quod bonos efficit possidentes, eligibilius est. cũ enim, ut superius uidimus, bona multiplicia sint, quædam bonos efficiunt possidentes, ut uirtutes: quædam uero non, ut diuitiæ, nobilitas, uoluptates: uel igitur utraque bona, quæ comparantur, bonum efficiunt ipsum possidens; uel eorum alterum. & si utraque bonum efficiunt, uel idem subiectum bonum efficiunt, uel diuersa. si alterum tantum eorum bonum efficit possidens, omnino erit eligibilius altero, quod bonum non efficit, sicut & ignem manifeste uidemus esse niue calidiorem, quoniam calefacit: nisi autẽ non calefacit. si autem utraque idem subiectum bonum efficiant, id, quod magis bonum efficit, est eligibilius, & hoc modo uirtus in actu eligibilior est naturali uirtute, quoniam magis bonum possidentem reddit. qui enim eã habet, simpliciter bonus dicitur; qui autem uirtutem naturalem habet, dicitur bonus secundum quid: at uero si utraque bona, quæ comparantur, bona efficiant diuersa subiecta, id dicetur eligibilius, quod præstantius subiectum bonum efficit, hoc modo uirtus erit eligibilior sanitate, & robore, quoniam hæc corpus bonum efficiunt, uirtus autem animam, ita & sapientia erit temperantia eligibilior. sapientia enim intellectum bonum efficit, temperantia uero concupiscibilem potestatem. præstat autem intellectus concupiscibili animæ parti.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

locus à casibus, usibus, actionibus, & operibus.

Amplius autem à casibus, & usibus etc. Desumitur hic locus à casibus, usibus, actionibus, & operibus. atque hic etiam locus in superiori libro tractatus fuit ad ostendendum scilicet aliquid alicui simpliciter inesse. hic autẽ tractatur ad ostendendum aliquid alicui magis inesse.

Qvid sint casus, superius dictum fuit, quòd scilicet casus dicuntur aduerbia à nominibus aliquibus deducta, ut sapienter à sapientia, prudenter à prudentia. quid autem sint reliqua usus actio, & opus, oportet cognoscere. sciendum igitur est, quid hæc nomina significent, quæ sunt admodum, affinia ἐνέργεια, πάθος, ποίησις, πρᾶξις, χρῆσις, ἔργον. Ενέργεια, actio à nostris dicitur, est motus, prout ab agente producitur, ut secantis, & calefacientis motus actiones dicuntur. πάθος autem est motus, prout in patiente recipitur, ut motus secti, & calefacti: idem enim motus est actio, & passio, sed actio dicitur quatenus ab agente. fit passio autem quatenus recipitur in passo. alio etiam modo accipi solent actio, & passio, quòd actio est motus secundum naturam, passio autem est motus præter naturam, sicuti pulsus est cordis actio. palpitatio autem est eius passio: ποίησις est actio, ad quam opus aliquod consequitur, ut scribere, ædificare. πρᾶξις est actio illa, ad quam nullum opus consequitur, sicuti saltare, canere, unde & artes quædam practicæ, quædam effectiuæ dicuntur.

quid sit ἐνέργεια, quæ dicitur actio. quid sit πάθος

quid sit ποίησις. quid sit πρᾶξις.

quidnam esse dicat πρᾶξιν Alexander.

Alexander autem πρᾶξιν esse dicit communius quidem actionem quãlibet, quæ à rationali facultate procedit. proprie autem eam, quæ est secũdum electionem, & hæc est, quæ fit uel secundum uirtutem, uel secundum uitium,

tium, unde & philoſophia, quæ de his actionibus agit, practica eſt appellata. χρῆσις proprie eſt in bonis organicis, quæ utilia dicuntur, & eſt uniuſcuiuſque rei utilitas, ut diuitiarum uſus eſt ad uirtutem comparandam, & exercendam, & manuum uſus eſt apprehendere. ἔργον, quod nos appellamus opus, eſt quod ad ποίησιν conſequitur, ut domus eſt ædificationis opus, ſed & opus quandoque largius accipitur, ut cum dicimus fortitudinis eſſe opus inimicis male facere, liberalitatis uero amicis bene facere.

χρῆσις quid ſit.

ἔργον quid ſit.

His igitur expoſitis locus facile intelligetur, qui plures habet partes, ut prima ſit ex caſibus. ſecunda ab uſibus. tertia ab actionibus. quarta ab operibus. primo enim ſi caſus alicuius eſt alio caſu eligibilior, id quoque, cuius eſt caſus, erit alio: unde caſus alius deducitur eligibilior, ut ſi id, quod iuſte fit, eſt eligibilius eo, quod fortiter fit, ergo iuſtitia eſt fortitudine eligibilior. ſed & conuertitur locus, ut ſi habitus eſt habitu eligibilior, erit quoque caſus ab eo deductus, altero caſu eligibilior, ut ſi iuſtitia eſt fortitudine eligibilior, erit quoque quod iuſte fit eligibilius, quàm quod fortiter fit. ſecunda pars huius loci eſt ab uſibus: quorum uſus eſt eligibilior, ipſa quoque ſunt eligibiliora; & eorum, quæ eligibiliora ſunt, uſus quoque ſunt eligibiliores, ut ſi diuitiarum uſus eligibilior eſt, quàm uirium, ergo diuitiæ ſunt uiribus eligibiliores; & ſi eloquentia eſt diuitiis melior, ergo eloquentiæ uſus eligibilior eſt, quàm diuitiarum. tertia pars eſt ab actionibus: quorum actiones ſunt eligibiliores, ipſa quoque ſunt eligibiliora; & eorum, quæ eligibiliora ſunt, actiones ſunt eligibiliores, ut ſi iuſta actio eſt eligibilior, quàm fortis, ergo iuſtitia eſt fortitudine eligibilior, & è conuerſo, ſi iuſtitia eſt fortitudine eligibilior, ergo iuſta actio eligibilior eſt, quàm fortis. ultima pars huius loci eſt ab operibus: quorum opera ſunt eligibiliora, ipſa ſunt eligibiliora, & è conuerſo, eorum, quæ ſunt eligibiliora, opera quoque ſunt eligibiliora, ut ſi medicæ artis opus melius eſt, quàm ædificatoriæ, ergo medica ars ædificatoria melior, & è conuerſo; ſi medica ars eſt ædificatoria melior, & eius opus opere alterius eſt melius, & ſi amicitiæ opus eſt opere beneuolentiæ melius, ergo amicitia eſt beneuolentia melior. beneuolentiæ enim ſola eſt uoluntas: amicitia autem aliquid etiam boni amico præſtat, ita & liberalitas erit fortitudine melior, quoniam illa amicis benefacit, hæc uero inimicis malefacit. melius autem eſt amicis benefacere, quàm inimicis malefacere. erit igitur totus hic locus, ſi caſus, uſus, actio, aut opus eſt eligibilius habitus quoque eſt eligibilior: & ſi habitus eſt habitu eligibilior, eius quoque caſus, uſus, actio, opus erit eligibilius.

quid ſit locus à caſibus.

quid ſit locus ab uſibus.

locus ab actionibus quid ſit.

locus ab operibus quid ſit.

Videntur autem hæc omnia habitus, caſus, uſus, actio, opus, & præterea omnia eſſe aliquo modo coniugata.

Possemus etiam huius loci partes ad uigenarium uſque numerum perducere. quatuor enim erunt ab habitu ad caſum, ad uſum, ad actionem, ad opus. tres à caſu ad uſus, ad actionem, ad opus. duæ ab uſu ad actionem, ad opus. una ab actione ad opus, atque hæ ſunt decem. quatuor præterea aliæ ab opere, nempe ad actionem, ad uſum, ad caſum, ad habitum. tres ab actione ad uſum, ad caſum, ad habitum. duæ ab uſu ad caſum, ad habitum, atque una reliqua à caſu ad habitum, quæ omnes partes aut loci ſunt numero uiginti.

LOCVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

Amplius ſe aliquo eodem hoc quid eſt magis. Desumitur hic locus ab eo, quod eſt meliore melius, et eſt, ſi duo aliqua uni, & eidem comparentur, & al-

locus ab eo quod eſt meliora melius.

alterum eorum ſit, eo melius id erit, et altero comparato melius: uel hoc modo id, quod eſt melius meliore alio, erit quoque melius eo, quo illud eſt melius, ita uirtus erit uoluptate eligibilior, cum ſit eligibilior ſanitate, quæ eſt ipſa uoluptate eligibilior: & contemplatiua erit uoluptuoſa uita eligibilior, cum eligibilior ſit uita actiua, quæ eſt uoluptuoſa eligibilior.

LOCVS QVADRAGESIMVS NONVS.

locus ab eo, quod eſt melius aliquo alio tertio.

Sed et ſi duo quædam uno aliquo ſint eligibiliora. DESVMITVR hic locus ab eo, quod eſt melius alio aliquo. tertiò & eſt, ſi duo aliqua ſint eodem eligibiliora, id eorum, quod erit eo tertio magis eligibile, erit altero eligibilius, ſicut & in magnitudinibus ſe habere uidemus. ſi enim duo aliqua uni tertio comparentur, & alterum eorum, illud excedat cubito, alterum uero illud excedat palmo, patet, quòd excedens cubito erit maius eo, quod palmo excedit, hoc modo, quoniam uirtus, & ſanitas ſunt eligibiliora diuitiis: maior autem uirtutis exceſſus, quàm ſanitatis. uirtus igitur erit ſanitate eligibilior, eadem ratione ſcientia erit recta opinione melior, quia cum utraque ſenſui præſtent, ſcientiæ maior eſt exceſſus.

LOCVS QVINQVAGESIMVS.

locus à ſuperabundãtia.

Amplius cuius ſuperabundantia. DESVMITVR hic locus à ſuperabundantia, & eſt, cuius ſuperabundantia, & exceſſus eſt eligibilior. ipſum quoque eſt eligibilius, ut quoniam extremitas in amicitia eſt eligibilior, quàm extremitas in diuitiis. erit igitur amicitia diuitiis eligibilior. & quoniam extremitas in ſanitate eligibilior eſt extremitate in uoluptate, erit igitur ſanitas uoluptate eligibilior. eſt autem extremitas in ſanitate optimus habitus, in uoluptate maxima delectatio, triſtitiæ omnino in permixta, extremitas in amicitia eſt ſumma amicorum coniunctio, in diuitiis opulentia maxima.

LOCVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS.

locus ab eo, cuius quis malit eſſe cã.

Et id, cuius utique magis eliget quis. HIC locus eſt ab eo, cuius quis malit eſſe cauſa, & eſt id, quod cupimus potius ex nobis efficere, quàm ab aliis, nobis effici eſt eligibilius, ut amicos acquirere nos ipſi potius optamus, quàm ut per alios nobis acquirantur. pecunias autem optamus potius, ut per alios nobis acquirantur, ergo amici ſunt pecuniis eligibiliores, ita & honeſta actio erit uictoria eligibilior, & contemplatiua uita politica, & patriam liberare, quàm diuitias comparare.

quid differat hic locus à quadrageſimo.

NOTAT autẽ Alexander differre hunc locum à quadrageſimo, in quo dicebatur id, quod ab alio haberi non poteſt, eſſe eligibilius. ibi enim comparatur id, quod ab alio haberi non poteſt cum eo, quod ab alio haberi poteſt. hic autem comparantur ea, quæ ab alio haberi poſſunt inter ſe. eorum enim id, quod per nos ipſos potius optamus efficere, eſt eligibilius.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

locus ex appoſitione eidem.

Amplius ex appoſitione, ſi eidem apoſitum aliquid. DESVMITVR hic locus ex appoſitione eidem, & eſt, ſi aliquid ſit, cui aliud, & aliud ſeorſum apponatur, & cum uno eorum efficiatur eligibilius, quàm cum alio, id quoque, cuius

ius additione eligibilius fit, erit alio eligibilius, ut si diuitiis addatur uirtus, efficiuntur eligibiliores, quàm si ipsis addatur sanitas, ergo uirtus est sanitate eligibilior: et si uitæ addatur iustitia efficitur eligibilior, quàm si ipsi addatur uoluptas, ergo iustitia est uoluptate eligibilior.

NOTAT Alexander, quòd sicut id, cuius additione aliquid efficitur, eligibilius est, eligibilius ita, & cuius additione aliquid efficitur euitabilius, ipsum quoque est euitabilius: atque ita dolor peior erit, quàm inglorium esse, eo quòd dolore uexatum mori peius est, quàm inglorium. quid hoc loco notet Alexander.

QVONIAM autem aduersus hunc locum ualide insurgebant obiectiones, ideo ut ab illis locum tueatur, philosophus dissolutionem apponit. obiici enim posset aduersus hunc locum, quòd non ualet liberalitas cum diuitiis, est eligibilior, quàm cum uiribus, ergo diuitiæ sunt uiribus eligibiliores: neque rursus fortitudo cum uiribus est eligibilior, quàm cum diuitiis, ergo uires sunt diuitiis eligibiliores. ita enim fieret, ut ex hoc loco idem probaretur esse melius, & deterius, quod est absurdum, neque si fortitudo cum uiribus est eligibilior, quàm cum temperantia uires erunt temperantia eligibiliores. quare autem locus in his uerus non sit, ratio est, quoniam cõmune illud, cui fit additio, altero oppositorum utitur, altero autem nõ, & ideo id, quo utitur, uel quod ipsum ad agendum adiuuat, licet sit aliquo alio deterius, tamen efficiet totum eligibilius, ut uires additæ fortitudini totum efficiunt eligibilius, quàm temperantia eidem fortitudini addita, quoniam scilicet fortitudo uiribus utitur, non autem utitur temperantia: hac etiam ratione serra arti fabrili lignariæ apposita totum efficit eligibilius, quàm si eidem arti apponatur falx, non tamen simpliciter serra est falce eligibilior. iccirco admonet philosophus euitandum esse, ne commune id, cui fit additio, altero additorum utatur, altero autem non. neque enim uerus erit locus, sed si addita similiter se habeant ad ipsum commune, semper locus erit uerus. quidnã aduersus hunc locum obiici posit.

LOCVS QVINQVAGESIMVSTERTIVS.

Rursum si minori appositum aliquid. HIC etiam locus est ex appositione, sed differt à superiori, quòd ille erat ex appositione eidem. hic est ex appositione minori bono, & est, quòd appositum minori bono, totumq; efficiens magis bonum eligibilius est apposito maiori bono, ac efficiente totum minus bonum, ut si hæc bona sint sanitas, & bonus habitus, & sanitati, quæ est minus bonum, addatur uirtus bono habitui, qui est maius bonum, addantur diuitiæ, quoniam uirtus cum sanitate est maius bonum, quàm bonus habitus cum diuitiis: ergo uirtus est diuitiis eligibilior. rursus si sanitati addatur contemplatio, bono habitui addatur actio, quoniam eligibilior est contemplatio cum sanitate, quàm actio cum bono habitu: contemplatio igitur est actione melior. locus ex appositione.

LOCVS QVINQVAGESIMVSQVARTVS.

Similiter autem & ex ablatione. SICVTI tradidit philosophus superius locos ex appositione, ita hic ex ablatione locum tradit, qui talis est. id, quo ablato, reliquum efficitur, minus eligibile est eligibilius. multiplex autem est semper quidem, quæ auferuntur, plura esse debent, unde autem auferantur, uel unum est, uel plura: & si plura sint, uel simul accipiuntur, uel seorsum si locus ex ablatione.

unum sit, à quo plura auferuntur, & ex unius ablatione minus efficiatur eligibile, quàm ex ablatione alterius, id, cuius ablatione redditur, minus eligibile est eligibilius. hæc propositio magnitudinibus, & numeris applicata euidentem habet ueritatem. denarius enim numerus minor redditur ablatione quinarii, quàm ternarii, ergo quinarius est ternario maior, ita eligibilibus applicata, non minus est uera. si enim uirtus ablatione sanitatis minus eligibilis redditur, quàm ablatione diuitiarum, ergo sanitas est diuitiis eligibilior: si autem unde ablatio fit plura sint, & simul accepta, atque ab illis nunc unum, nunc aliud auferatur, id, cuius ablatione reliqua fiunt minus eligibilia, est eligibilius, ut si sint uirtus, nobilitas, diuitiæ, & sanitas: & ab his sanitate ablata reliqua minus sint eligibilia, quàm ablatis diuitiis. sanitas igitur erit diuitiis eligibilior. si autem plura sint seorsum accepta, unde ablatio fit, argumentabimur hoc modo, si æqualiter eligibilia sint diuitiæ cum uiribus, & sanitas cum pulchritudine, ablatis quidem à diuitiis uiribus, à sanitate autem pulchritudine minus eligibiles sunt diuitiæ, quàm sanitas, manifestum est, quòd etiam uires eligibiliores sunt pulchritudine.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

locus à propter se, non propter gloriam.

Et si hoc quidem propter se aliud autem propter gloriam. DESVMITVR hic locus à propter se, non propter gloriam, & est, id, quod propter se eligibile est, eligibilius est, quàm id, quod est propter gloriam, quod nullus studeret habere nemine id sciente, ut pulchritudo, quæ uana esse uideretur, si non cognosceretur. id autem erit propter se eligibile, quod appetitur, nullo etiam id sciente, ut sanitas. eam enim eligeremus, & si id ipsum nullus esset cogniturus, ita igitur sanitas erit pulchritudine eligibilior, & diuitiæ honore, & domus commoda ornata, et uestis utilis sumptuosa, & prædium frugiferum pulchro.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEXTVS.

locus à propter se, & propter gloriã.

Et si hoc quidem propter se, & propter gloriam. DESVMITVR hic locus à propter se, & gloriam, & est, id, quod propter se, & gloriam est eligibile, eligibilius est, eo quod solum propter gloriam, & eo, quod solum propter se est eligibile: ita domus commoda, & ornata eligibilior est, quàm ornata tantum, aut tantum commoda, ita et equus, et uestis, et alia eiusmodi. ita probaremus, quòd iustum esse, et existimari melius est, quàm solum iustum esse, idem quoque de aliis uirtutibus dicatur.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

locus à magis honorabili propter se.

Et utrumuis magis propter se honorandum. HIC locus desumitur à magis honorabili propter se. est autem talis, id, quod est magis honorabile propter se, quàm alterum est eo melius, et eligibilius: id autem dicit philosophus esse magis propter se honorabile, quàm aliud, quod, et si nihil aliud boni sit, ex eo nobis cõsecuturum, magis tamen optamus hoc modo, quoniam contemplatio est magis honorabilis propter se, quàm actio erit, ergo actione eligibilior: et quoniam prudentia magis est honorabilis propter se, quàm fortitudo, est igitur fortitudine eligibilior.

LOCVS QVINQVAGESIMVSOCTAVVS.

Amplius diuidendum quotupliciter eligibile dicitur. DESVMITVR hic locus à diuisione eligibilis. cum enim eligibile tripliciter dicatur honestum, laudabile, et utile, uel ea, quæ comparantur, hæc pariter habent, uel alia plura, ex his habet alia pauciora: quæ igitur plura ex his habent, eligibiliora sunt, ut si quid simul sit honestum, delectabile, et utile erit eligibilius, quàm quod unum tantum, aut duo horum habeat, et quod duo ex his habet, eligibilius est, quàm id, quod unum tantum habet.

locus à diuisione eligibilis.
triplex eligibilis diuisio.

DVAS autem conditiones addit Alexander. prima est, quòd eligibile secundum plura sit, similiter ei eligibile, quod est eligibile secundum pauciora, quoniam quandoque quod est secundum unum aliquid, sed uehementer eligibile est eligibilius, eo quòd est eligibile secundum plura, sed leuiter. prudentia enim, quæ solum honesta est, et ideo secundum unũ tantum eligibilis est, eligibilior uiribus, quæ secundum ea omnia sunt eligibiles, sed id solum, quod prudentiæ inest, hæc omnia excedit. secunda conditio est, quòd pauciora in pluribus comprehendantur. id enim quod honestum est, et solum propter se eligibile eligibilius est, quàm quod est delectabile, et utile. temperantia enim, quæ solum propter se est eligibilis, eligibilior est honore, qui propter delectabile, et utile est eligibilis. his igitur duabus conditionibus obseruatis ostenderetur amicitiam honestam eligibiliorem ea esse, quæ ob delectationem, aut utilitatem fit, quoniam illa præter honestatem, delectationem etiam habet, et utilitatem, eodem modo sanitas erit uoluptate eligibilior, cum utilitatem habeat, et delectationem. uoluptas autem solam delectationem: si autem ea, quæ comparantur, hæc pariter habeant uel omnia, uel quædam, tum id, quod magis ipsa habet, est eligibilius, ita temperantia erit continentia eligibilior, quoniam etsi utraque propter se sit eligibilis, temperantia tamen est magis, ita discere erit eligibilius, quàm exerceri, quoniam etsi utrunque sit eligibile propter utile, discere tamen est magis eligibile, ita quoque iustitia erit fortitudine eligibilior. utraque enim propter honestatem & delectationem eligibilis, sed fortitudo non ita est delectabilis propter uulnera, & alia incommoda, quibus est obnoxia.

duæ cõditiones ad hunc locum requirũtur ex sententia Alexandri.

LOCVS QVINQVAGESIMVSNONVS.

Rursum quod gratia melioris eligibilius. DESVMITVR hic locus ab eo, quod est propter melius, id, quod est melioris gratia, est eligibilius, ita discere eligibilius, quàm exerceri, & boni mores, quàm palæstra, & erudiri, quàm dies festos celebrare.

locus ab eo quod est propter melius.

VIDETVR autem, ut etiam notat Alexander hunc locum eundem esse cũ XVII, in quo dicebatur duorum effectiuorum, cuius finis est melior, ipsum quoque est melius.

Similiter autem in fugiendis. Applicat philosophus hunc locum rebus malis, ostenditq; quomodo ex eo ostendi possit aliquid peius, sicut enim id, quod est causa melioris, est melius, & eligibilius, ita id, quod est causa peioris, uel maioris boni, impedimentum, aut destructio est peius, atque ita ægritudo erit peior turpitudine, quoniam plura impedit bona, nempe uirtutem, & uoluptatem. at turpitudo solum uirtutis est impedimentum, ita quoque animi ineptia peior erit ineptia corporis, & amissio scientiæ amissione pecuniarum.

applicatio huius loci rebus malis.

POSSEMVS

POSSEMVS etiam intelligere superiorem locum quinquagesimumoctauũ hic applicari rebus malis, ut scilicet sicut id, quod plura bona habet, est eligibilius, ita id, quod plura habet mala, est euitabilius, ut quod est turpe, & molestum, etiã inutile peius est, quàm quod est inhonestum solum: atque hic duæ illæ conditiones pariter accommodari debent.

LOCVS SEXAGESIMVS ET VLTIMVS.

locus ultimus à solo eligibili.

Amplius ex similitudine demonstrari potest. DESVMITVR hic locus à solo eligibili, & est, illud, quod solum est eligibile, eligibilius est, quàm id, quod est eligibile, & euitabile hoc modo philosophari erit eligibilius, quàm ciuilia tractare. hoc enim eligibile, quidem est, sed est etiam propter turbationes, & contumelias in eo uitæ genere contingentes euitabile. philosophari autem solum est eligibile, ita quoque sanitas erit eligibior honore, diuitiis, & fortitudine: ita & agricultura erit mercatura, & nauigatione eligibilior.

quomodo hæc pars cũ superioribus connectatur.

quid nunc sit philosophus tractaturus.

Si autem particulariter & non uniuersaliter. CONNECTITVR hæc pars cum superioribus hoc modo. diuisit philosophus initio secundi libri problemata, quòd quædam sunt uniuersalia, quædam particularia: ac uniuersalia hactenus est persecutus, ea quidem, quæ citra comparationem sunt in secundo. Ea uero, quæ in comparatione consistunt in hoc tertio. Nunc igitur de problematibus particularibus acturus est. Primum autem ostendit, quòd omnes loci constructiui, aut destructiui problematis uniuersalis etiam ad particulare problema apti sunt. qui enim probat uniuersalem propositionem affirmatiuam, probat etiam particularem ei subalternam. si enim omnis uoluptas est bona, etiam quædam uoluptas est bona: & qui probat uniuersalem negatiuam, etiam particularem negatiuam probat: ut si nulla uoluptas est bona, etiam aliqua uoluptas non est bona. hoc autem etiam initio secundi libri admonuit philosophus.

quòd nõ semper particularia ex uniuersalibus probari possunt.

Maxime autem opportuni & communes. QVONIAM non semper particularia ex uniuersalibus probari possunt, quia aliquando contingit ea, quæ sub aliquo uniuersali continentur, alia esse uera, alia falsa. Si quis enim probare uelit hominem quempiam esse musicum, non ex eo probabit, quoniam omnis homo sit musicus. hoc enim falsum esse patet, cum plerique non sint musici, ideo ad probanda particularia problemata peculiaribus etiam quibusdam locis opus est. hos igitur locos explicaturus est deinceps philosophus.

quomodo locus ex contrariis accõmodetur problematibus particularibus.

PRIMVM autem opportunos esse dicit eos locos, qui sunt ex oppositis, ex casibus, & coniugatis: quoniam autem opposita quadrupliciter dicuntur, contrarie, priuatiue, relatiue, & contradictorie: ideo ostendendum est, quomodo hi loci particularibus problematibus accommodentur. Locus igitur ex contrariis particularibus problematibus accommodatur transferendo, quod de uniuersali problemate dictum est ad particulare: sicut enim uniuersaliter si ad aliquod contrarium aliquod contrarium consequatur: etiam ad alterum contrarium alterum contrarium consequitur, ut in secundo libro dictum fuit loco uigesimoquinto: ita hic idem locus particulariter assumptus erit uerus, ut si omnis uoluptas est bona, etiam omnis tristitia est mala: pariter quoque si aliqua uoluptas est bona, erit etiam aliqua tristitia mala ut puta uoluptas in actionibus secundum uirtutem erit bona. tristitia autem in ipsis erit mala. particularibus igitur problematibus locus ex contrariis conueniet, si alicui particulari contrario inest aliquod contrarium, etiam alicui alteri contrario alterum inerit contrarium.

Nec minus locus ex oppositis secundum priuationem, & habitum particularibus problematibus conueniet: sicut enim uniuersaliter probabile est, quòd si habitus consequitur habitum, etiam priuatio consequetur priuationem: & si ad habitum non consequitur habitus; nec ad priuationem priuatio consequitur, ut dictum fuit in loco XXVI secundi libri. ita uerum erit, quòd si ad aliquem particularem habitum habitus consequatur, etiam ad aliquam priuationem priuatio consequetur: & si ad aliquem particularem habitum habitus non consequatur, etiam ad aliquam priuationem priuatio non consequetur. ita igitur si uelimus ostendere, quòd omnis priuatio sensus sit impotentia, accipiemus, quòd omnis sensus est potentia: & si uelimus ostendere, quòd aliqua priuatio sensus sit impotentia, accipiemus aliquem sensum esse potentiam, quòd si ostendendum sit, nullam priuationem sensus esse impotentiam, accipiemus nullum sensum esse potentiam: si autē ostendendum sit aliquam sensus priuationem non esse impotentiam, accipiemus aliquem sensum non esse potentiam.

quomodo locus ex oppositione secundum habitū, & priuationē particularibus problematibus accōmodetur.

Pariter quoque locus ex relatiuis, de quo actum est in secundo libro loco XXVII, accommodabitur particularibus problematibus: sicuti enim uniuersaliter probabile est, quòd si relatiuum inest relatiuo, correlatiuum quoque inest correlatiuo: ita particulariter probabile erit, quòd si alicui particulari relatiuo relatiuum inest, ut eius quoque correlatiuo correlatiuum insit: ut si omne existimabile est scibile, etiā omnis existimatio erit sciētia: & si aliquod existimabile est scibile, etiam aliqua existimatio erit sciētia.

quòd locus etiam ex relatiuis problematibus particularibus accōmodetur.

Consequens esset ostendere, quomodo locus ex contradictoriis accōmodetur his particularibus problematibus: uerum hic locus ipsis non cōuenit: & ratio est, ut dicit Alexander, quoniam in particularibus non est cōtradictio. contradictio enim semper est inter uniuersalem, & particularalē. propositionem aut scilicet inter uniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam, aut inter uniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam. particulares autem affirmatiuæ, & negatiuæ possunt esse simul ueræ.

quare locus ex contradictoriis non accōmodetur his problematibus particularibus.

Rursum si aliquod iniustorum bonum. Proposuit philosophus locos, qui sunt ex oppositis casibus, & coniugatis, esse maxime opportunos problematibus particularibus: atque exempla attulit de tribus oppositorum modis. nunc ostendit, quomodo locus ex casibus, & coniugatis his problematibus conueniat. hic autem est locus in secundo libro traditus XXVIII, habebat autem duas partes: prima erat, quòd si alicui ex coniugatis aliquod accidēs inest, aliis quoque coniugatis subiecti coniugata accidentis inerunt: secunda pars erat, si aliquod accidens alicui inest, coniugatis quoque contrarii subiecti coniugata contrarii accidentis inerunt. His igitur locis in particularibus problematibus utemur: ostendemus enim quòd si aliquod iniustum est, malum etiam aliquod, quod iniuste fit, male fit: & ostendemus, quòd si aliquod iniustum bonum est, etiam aliquod eorum, quæ iuste fiunt, male fit: & si aliquod iniustum est malum, etiam aliquod eorum, quæ iuste fiunt, est bonum, atque ita ex casibus. ex aliis autem coniugatis hoc modo si aliquod delectabile est fugiendum, etiam aliqua delectatio est fugienda: & si aliquod delectabile est utile, & propterea bonum, etiam aliqua delectatio erit bona. in his enim omnibus probabile est, ut sicuti uniuersale in uniuersali se habet consimiliter, & particulare in particulari se habeat.

quomodo locus ex casibus & coniugatis his problematibus particulari-bus cōueniat.

Et in corruptiuis autem, & generationibus. Hic locus, & in XXIX. secundi, & in XXVII. huius tertii tractatus fuit. Erat autem hic locus multiplex ex generationibus, ex effectiuis, ex corruptionibus, & corruptiuis: atque hi omnes

quòd hic locus qui in 29 secundi & 27 tertii tractatus fuit, his etiam problematibus uniuersalibus accōmodatur.

nes particularibus problematibus conueniunt:sicut enim uniuersaliter probabile est, si omne uirtutis effectiuum est bonum, ergo omnis uirtus est bona, ita particulariter probabile erit, si aliquod effectiuum uirtutis est bonũ, etiam aliqua uirtus est bona; & sicut uniuersaliter probabile est, quòd si omne uoluptatis corruptiuum est bonum, omnis uoluptas sit mala, etiam probabile erit, quòd si aliquod uoluptatis corruptiuum sit bonum, aliqua uoluptas sit mala. locum ex generationibus, & corruptionibus eodem modo aptauimus particularibus problematibus.

PHILOSOPHVS autem attulit exemplum illud, Si obliuisci quæ quis turpia egit bonorum. Pro loco ex corruptione, & corruptiuis. obliuio enim uidetur esse scientiæ corruptiuum: obliuisci autem scientiæ corruptio. atque hic scientia accipitur communiter pro cognitione. exemplum autem illud, Si reminisci malorum est pro loco ex effectiuo, & generatione. reminiscentia enim uidetur esse scientia effectiuum, reminisci autem scientiæ generatio.

hæc uerba dupliciter ab Alexandro exponuntur.

Verba illa similiter et in aliis. DVPLICITER exponunt ab Alexandro, primo propter exempla, quoniam hoc non solum in propositis exemplis est uerum, sed in omnibus similibus, quæ proponi possunt, uel quòd hoc dixerit propter usus assumptiones: & si quæ alia eandem rationem habent cum dictis, præterea hoc dixisse potuit, ut comprehenderet omnes partes eius loci, de quibus in secundo libro abunde dictum est. sicut enim quatuor modis ex generatione, & corruptione, & totidem ex effectiuo,& corruptiuo probabiliter argumentamur in uniuersali problemate, consimiliter & in particulari possumus argumentari.

quid philosophus nunc ostẽdat quòd scilicet loci etiam ex magis,& minus, & similiter particulari ꝓblemati conueniunt.

Amplius ex eo, quod est magis, & minus. OSTENDIT philosophus superius, quomodo loci omnes uniuersalis problematis particulari etiam conueniãt: & quòd ipsi peculiariter conueniunt loci ex oppositis, & loci ex coniugatis, & casibus: præterea & loci ex generationibus, & corruptionibus, nunc ostendit locos etiam ex magis, & minus, & ex similiter particulari problemati conuenire. erat autem locus ex magis quadruplex, primus ab intensione ad simpliciter dictum. secundus quando unum de duobus dicitur. tertius quando duo de uno dicuntur. quartus quando duo dicuntur de duobus, totidemq; modi sunt ex minus. Ex similiter autem tres tantum modi sunt posteriores, scilicet primum modum ex magis, & minus particulari problemati non conuenire dicit Alexander, alii autem modi conueniunt. modus ille ex magis, quando unum de duobus dicitur, sicut uniuersali problemati conuenit, cum dicimus, si scientia, quæ magis uidetur esse bona, quàm uoluptas, bona non est, neque igitur uoluptas est bona, ita particulari problemati conueniet. si dicamus, magis uidetur scientiam aliquam esse bonam, quàm aliquam uoluptatem: non est autem scientia aliqua bona, neque igitur uoluptas. Secundus modus ex magis, quando duo de uno dicuntur, sicut uniuersali problemati conuenit, cum dicimus, iniustitia magis uidetur esse utilis, quàm honorifica: non est autem utilis, neque igitur honorifica. ita particulari conueniet, si dicamus iniustitia aliqua magis uidetur esse utilis, quàm honorifica: sed non est utilis, neque igitur honorifica. tertius modus ex magis, quando duo de duobus dicuntur uniuersali problemati conuenit, cum dicimus, prodigalitas magis uidetur esse liberalitas, quàm stoliditas prudentia: non est autem prodigalitas liberalitas, neque igitur stoliditas est prudentia. particulari autem problemati conuenit, si dicamus, magis uidetur esse prodigalitas, quæpiam liberalitas, quàm stodilitas quæpiam

prudentia:

prudentia: non est autem illa liberalitas, neque igitur hæc prudentia, quod ostensum est in locis ex magis: idem intelligatur de locis ex minus, & de locis ex similiter. hi enim consimili modo problemati particulari aptentur, sicuti superiores.

PHILOSOPHVS autem solum exemplum attulit de loco ex magis, quando unum de duobus dicitur. uultq; ut ex eo cetera omnia intelligantur. Dixit autem, Si eorum aliquod, quæ sunt in alio genere, est magis tale, & quid intelligat per aliud genus exemplo patefecit: si magis quidem scientia aliqua bonum esse uidetur, quàm uoluptas. aliud enim est genus scientia, & aliud uoluptas.

quid intelligat philosophus per aliud genus.

NOTANDVM est, quòd cum hoc problema in exemplo propositum, utrũ aliqua uoluptas sit bona, sit particulare, ideo uniuersaliter dixit philosophus. nulla autem scientia est bona, neque igitur uoluptas aliqua est bona, quoniam particulare problema non aliter destrui potest, quàm per uniuersalem propositionem.

Veruntamen ex eo, quod est similiter etc. NVNC ostendit philosophus, quomodo hi loci ex magis, & minus, & ex similiter, qui omnes particulari problemati conueniunt, differant inter se. locus enim ex magis solum confert ad destruendum. locus ex minus solum ad construendum. locus autem ex similiter, & ad construendum, & ad destruendum. sicut & in problematibus uniuersalibus locus quidem ex similiter ad utrunque confert. si enim similiter potentia quædam bonum esse uidetur, etiã scientia: est autem potentia quædam bonum, ergo & scientia, quòd si nulla potentia bona sit, neque igitur scientia aliqua bona erit. locus autem ex magis est quidem aptus ad destruendum; non est autem aptus ad construendum: neque enim ualet si scientia magis uidetur esse bonum, quàm uoluptas. est autem scientia bonum, igitur & uoluptas. locus autem ex minus aptus est ad construendum, non est autem aptus ad destruendnm: neque enim ualet, si minus uidetur potentiam aliquam esse bonum, quàm scientiam. nulla autem potentia est bonum, neque igitur scientia aliqua.

ostẽdit philosophus quomodo hi loci ex magis & minus, & similiter inter se differant.

Non solum autem ex alio genere est destruere. QVONIAM dixit philosophus, si eorum aliquod, quæ sunt in alio genere, est magis tale. in his autem locis non solum ex his, quæ sunt in alio genere possumus argumentari, sed etiam ex his, quæ sunt in eodem genere: ideo hoc ipsum docet nunc philosophus, quòd ex his, quæ sunt sub eodem genere, in his locis licet argumentari, ut si uoluptas ea, quæ maxime uidetur esse bonum, ut uoluptas animi, bonum tamen non est, neque igitur ea, quæ minus uidetur esse bonum, bonum erit: aut si contingens illud, quod maxime scibile esse uidetur, scibile non est, neque igitur id, quod minus uidetur esse scibile, scibile erit: maxime autem scibile esse uidetur contingens in pluribus. si igitur hoc scibile non est, neque igitur aliud quid. hoc modo neque sensus aliquis erit scientia, cum uisus, qui maxime uidetur scientia, non sit: neque homo aliquis erit impassibilis, cum neque sapiens talis sit. eodem modo neque uirtus aliqua erit sciẽtia, cum neque prudentia.

quòd possumus etiam argumentari ex his, quæ sunt in eodem genere.

Amplius ex suppositione similiter probantes. DEMONSTRAVIT hactenus philosophus locos omnes problematis uniuersalis particulari etiam conuenire particulariter ipsi conuenire locos ex oppositis, ex coniugatis, & casibus, ex corruptionibus & generationibus: præterea ex magis, & minus, & similiter. nunc ostendit huiusmodi problematibus etiam conuenire probationẽ ex suppositione, de qua superius etiam in fine primi libri dictum fuit. hæc au

ostendit philosophus probationem ex suppositione his problematibus conuenire.

tem probatio ex suppositione est, quando supponimus, quod est in uno in aliis omnibus eius generis, aut speciei esse, atque ita in uno probantes de aliis omnibus concludimus. utilis est hæc probatio tum uniuersalibus, tum particularibus problematibus. uniuersalibus quidem construendis, particularibus autem destruẽdis. si enim probandum sit hoc uniuersale problema, quòd omnis anima sit immortalis, supponentes initio de omnibus animabus eandem esse rationem, ac probantes animam humanam esse immortalem, colligere poterimus ex facta suppositione omnem animam esse immortalem. eodem modo ostenderemus nullam animam esse immortalem, ostendentes hoc in aliqua particulari anima. In particularibus autem problematibus utilis est hæc probatio ad destruendum, quoniam ad destruendum particulare opus est uniuersali. ad construendum autem uniuersale non est opus hac probatione, quoniam particulare sufficit, neque ad probandum particulare, quoniã neque tunc uniuersali indigemus.

quare philosophus dixerit hęc verba.

DICIT autem philosophus manifestum esse, quòd qui utitur suppositione facit problema uniuersale particulariter positum. Quoniam probat solũ particulare: sed hoc particulare uim habet uniuersalis propter suppositionẽ factam. & melius uidetur, ut per problema intelligamus, non primarium problema, ad quod instituitur disputatio, sed particulare illud propositum, quod assumitur probandum ad destruendum problema, ut si quis disputet aduersus hoc problema, aliqua anima est mortalis suppositione utens, hanc sibi proponet probandam, aliqua anima non est mortalis, & ex ea uniuersalem. colliget enim quòd nulla anima est mortalis, quæ positionem destruit.

dupliciter dicuntur particularia problemata.

Cum autem indefinitum est problema, &c. DOCET hic philosophus quot modis particularia problemata destruantur, particularia autem problemata, quædam sunt indefinita, quædam definita: indefinita dicuntur, quando præter particularem præfinitionem non additur alia præfinitio, ut aliqua uoluptas est bona. dicuntur autem indefinita, quoniam particulares propositiones æquipollent his, quæ proprie dicuntur impræfinitæ. idem enim ualent hæ propositiones, uoluptas est bona, & aliqua uoluptas est bona, & propterea philosophus de his problematibus particularibus indefinitis loquens, his exemplis indifferenter utitur, uoluptatem esse bonam, & aliquam uoluptatem esse bonam. dicunturq; hæ & illæ indefinitæ, quoniam non definitur utrum propria ratione, an ratione uniuersalis sint ueræ. problemata autem definita tripliciter dicuntur, prout sunt magis, aut minus definita. primo cum dicimus aliquod esse, aliquod non esse, ut aliquam uoluptatem esse bonam, aliquam autem non esse bonam. Additur autem hoc, Aliquam non esse bonam, non quòd hoc modo problema proponatur, quoniam iam non esset unum problema, sed duo: atque ideo non esset unum, quod duobus modis destrueretur: sed propterea additur, ut ostendatur eam propositionem non esse ueram, quia uniuersalis, sub qua continetur, uera sit. hoc etiam modo definitum erit problema, si dicamus, studiosorum uoluptas est bona. Secundo modo dicitur aliquod problema definitum, cum dicimus unum tantum esse, ut unam uoluptatem esse bonam, utputa uoluptatem contemplationis. Tertio modo problema dicitur definitum, cum dicimus. unum tantum in aliquo generi esse, ut solam prudentiam ex uirtutum genere esse scientiã. His constitutis problema indefinitum uno tantum modo destruitur: duobus autem modis construitur: particulare enim affirmatiuum. non alio modo destruitur, quàm ex propositione uniuersali negatiua: & particulare negatiuum non aliter destruitur, quàm ex uniuersali affirmatiua. si enim hoc problema

quare hæc & illæ dicantur impræfinitæ.

quare in primo dicatur hæc particula, aliquã non esse bonam.

problema indefinitũ vno tantum modo destruitur, duobus autem construitur.

blema destruere uelimus, quòd aliqua uoluptas sit bona, ostendere oportet nullam uoluptatem esse bonam, quoniam si ostenderemus aliquam uoluptatem non esse bonam, non destrueremus problema, quia particulares simul possunt esse ueræ. eodem modo destrueremus aliquam uoluptatem non esse bonam, ostendentes, quòd omnis sit bona. Dupliciter autem hæc problemata construuntur ex uniuersali, scilicet & particulari propositione. definitum autem problema primo modo dupliciter destruitur. hoc enim problema aliquam uoluptatem esse bonam, & aliquam non destruetur ostendendo, quòd omnis uoluptas sit bona, & ostendendo quòd nulla uoluptas sit bona. definitum problema secundo modo tripliciter destruitur. si enim ostendatur, quòd omnis uoluptas sit bona, destruitur quòd una tantum bona sit. secundo destruetur ostendendo nullam uoluptatem esse bonam. tertio destruetur, quòd plures una sint bonæ. definitum problema tertio modo, quatuor modis destrui potest. quanto enim magis definitum est problema, tanto pluribus modis potest destrui. Si igitur positum sit problema, solam prudentiam ex uirtutum genere esse scientiam, ipsum destruemus primo ostendendo, quòd omnis uirtus sit scientia: secundo quòd nulla uirtus sit scientia: tertio quòd plures uirtutes sint scientiæ, ut iustitia, & temperantia: quarto ostendendo, quòd prudentia scientia non sit. Addit autem Alexander, quòd si positum esset problema, quòd duæ solæ, aut tres uirtutes sint sciētiæ, quinque modis destrui posset. Primo ex eo quòd omnis uirtus sit scientia, secundo ex eo quòd nulla, tertio ex eo quòd plures, quarto ex eo quòd pauciores, quinto ex eo quòd hæ duæ, aut tres, quæ positæ sunt in problemate, non sunt scientiæ. Alexandri additio.

Vtile autem & inspicere in singularibus. QVOD docuit philosophus in secundo libro loco secundo de problematibus uniuersalibus, idem nunc docet de problematibus particularibus. docebat autem eo in loco, ut proposito problemate uniuersali inquireremus, quæ sub eo continerentur, & sigillatim in eorum unoquoque perpendere an ei conueniat quòd cōuenire positum est. si enim aliquid inueniamus, cui accidens illud non insit, uniuersale problema affirmatiuum destruemus: & si aliquid inueniamus, cui accidens illud insit, quod nulli inesse positum est uniuersale, problema negatiuum destruemus: atque locus ille non solum ad destruendum uerum, & ad construendum conferebat. eundem igitur locum philosophus problematibus particularibus nunc applicat. ex eo autem probare particulare facile est: si enim inueniamus aliquod particulare quod insit, uel non insit, propositum ostendemus. destruere autem ipsum particulare difficilius erit, sed ipsum destruemus ostēdentes, quòd in multis ita non sit, ut in problemate positum est. si enim in multis sit, etiam in omnibus esse concludemus, quia cum in multis ostendamus, oportet aduersarium aut in omnibus ita esse concedere, aut instantiam aliquam afferre. locus secundus, secundi libri de uniuersalibus hic accommodatur particularibus. hic locus ad construendū, & destruendū confert.

Amplius in generibus inspiciendum. DOCET philosophus, quòd si in particulari problemate sit aliquod genericum, ut illud in suas proximas species, atque eas rursus in alias diuidamus: atque ita progredi usque ad indiuidua, sicuti in eo loco secundo secundi libri dictum fuit, exempli causa, si esset problema, utrum aliquorum oppositorum eadem sit scientia, diuidere debemus opposita in suas species: ac in unaquaque specie considerare, utrum uerum sit, quod positum est: et si in pluribus inueniamus eandem esse scientiā, conclusionem eliciemus, quòd omnibus insit, ac destruemus particulare problema, quòd aliquorum non sit. si autem in pluribus inueniamus eandem documentum philosophi.

non esse scientiam, eadem ratione particulare problema affirmatiuum destruemus.

dubitatio quã ĩ re locus iste à superiori differat. solutio.

Sed dubitaret quis, quidnam hic locus à superiori differat. uidetur enim unum, & eundem esse. dicendum est, quòd in hoc docet philosophus diuidere genus primum in species: atque ita deinceps in indiuidua. in superiori autem docebat, quòd etsi subiectum problematis genus non esset, sed commune aliquid, ut statim respiceremus indiuidua sub ipso contenta.

quod superius docuit philosophus efficiẽdum in subiecto, idem nũc docet de prædicato.

Amplius in quibus possibile est. In duobus superioribus locis docuit philosophus diuidere subiectum particularis problematis accidentis, uel esset genus, uel esset aliud quid commune. nunc docet idem efficere de prædicato. nam & prædicatum diuidendum est, si diuidi possit uel per species, uel per indiuidua: & considerandum est, si aliquod contentorum sub eo prædicato subiecto insit. si enim inueniamus aliquod inesse, construimus problema particulare affirmatiuum. si inueniamus aliquod non inesse, construimus particulare negatiuum, quòd si inueniamus plura non inesse, inde colligentes nullum inesse, destruemus particulare affirmatiuum. at inuenientes plura inesse, & inde colligentes omnia inesse, destruemus particulare negatiuum: atque iisdem modis, sed conuerso ordine construimus, & destruimus uniuersale. si igitur quæratur utrum tempus moueatur, quoniam prædicatum huius propositionis commune est, ipsum diuidemus. summemus enim species motus, quòd quidam est motus secundum locum, quidam secundum quantitatem, quidam secundum qualitatem: et si ostendamus nullo horum motuum tempus moueri, ostendemus tempus non moueri, eadem ratione procederemus, si problema positum esset, utrum tempus sit motus: et si quæreretur, utrum anima sit numerus: cum enim omnis numerus sit par, aut impar: par sit aut duo, aut quatuor, aut octo, aut decem, aut ex his compositus: impar aut tria, aut quinque, aut septem, aut nouem, aut ex his compositus. si anima non est horum aliquis, non est igitur numerus. eodem modo ostenderemus animam non moueri.

exemplum in ostendendo quòd anima non sit numerus.

quòd philosophus de uniuersalibus dixit, idem est intelligendũ de particularibus.

Notat autem Alexander in his exemplis philosophum de uniuersalibus problematibus locutum esse, non autem de particularibus. uerum quod ipse dicit, de uniuersalibus, de particularibus etiam intelligi debet.

EXPLANATIO

EXPLANATIO
LIBRI IIII. TOPICORVM ARISTOTELIS.

Cvm quatuor ſint omnes quæſtiones, duæ ſimplices, & duæ compoſitæ. prima ſimplex, cnm quæritur, utrum aliquid ſit, ut utrum ſint Dæmones, utrũ, ſint Gigantes, utrum ſit uacuum, & hac à græcis appellatur τί ἐςί. Secunda ſimplex eſt, cum quæritur, quid aliquid ſit, ut quid eſt anima, quid eſt natura, & hæc à græcis dicitur, τί ἐςι. Prima compoſita eſt cum quæritur, utrum aliquid alicui inſit, utrum Venus eclipſetur, utrum mulier podagram patiatur, & hæc quæſtio à græcis dicitur ὅτι ἐςί. Secunda compoſita eſt, cum quæritur, propter quid aliquid alicui inſit, ut quare Luna eclipſatur, quare eunuchus podagram non patiatur. ex his quatuor quæſtionibus duæ tantum à dialectico tractantur: una ſimplex, & una compoſita; nempe ſi eſt, & quod eſt. Reliquæ uero quæſtiones dialecticæ non ſunt, ſed ad præſtantiorem facultatem pertinent, uidelicet quid eſt, & propter quid eſt: & ratio eſt, quoniam dialectica quæſtio eiuſmodi ſemper eſt. ut ad eam altera contradictionis pars reſponderi poſsit: at ad eas quæſtiones, quibus quæritur, quid ſit aliquid, aut propter quid aliquid alicui inſit, non poteſt altera pars contradictionis reſponderi, ſicut ad alias duas. hinc igitur eſt, ut ſolum illæ duæ ad dialecticum pertineant. quærere igitur quid ſit natura nõ eſt dialectica quæſtio: quærere autem, utrum hæc ſit naturæ definitio, principium motus, & quietis eſt dialectica quæſtio. ad eam enim altera contradictionis pars reſpõderi poteſt, & eſt quæſtio ὅτι ἐςίν: hæ autem quæſtiones dialecticæ in quatuor genera diducuntur in quæſtionem definitionis, proprii, generis, & accidentis: & ad quæſtionem generis quæſtio differentiæ, & ſpeciei reducitur. cum hæc igitur ita ſint, tractaturus philoſophus dialecticam methodum incepit à quæſtionibus accidentis: & quoniam quæſtiones accidentis quædam ſimplices ſunt, in quibus citra comparationem quæritur, utrum aliquod accidens alicui ſubiecto ſimpliciter inſit, quædam uero in comparatione conſiſtunt, in quibus quæritur, utrum aliquid ſit alio magis tale. Primo philoſophus de ſimplicibus quæſtionibus egit; in ſecundo libro ubi locos omnes tractauit, quibus huiuſmodi quæſtiones tum conſtruere, tum deſtruere ſciamus: deinde in tertio locos tradidit, quibus conſtruuntur, & deſtruuntur quæſtiones, quæ in comparatione conſiſtunt: in hoc autem quarto locos explicabit, quibus conſtruantur, & deſtruuantur quæſtiones generis. quare autem hunc ordinem ſeruet philoſophus, ratio eſt, quoniam quæſtiones accidentis ſunt aliis omnibus communiores, & eas ſequuntur quæſtiones generis. ſunt quidem omnibus communiores quæſtiones accidentis, quoniã in ſimplici inexiſtentia, quam ὕπαρξιν græci dicunt, conſiſtunt: aliæ autem quæſtiones in certa quadam inexiſtentia. accidens enim ſimpliciter inexiſtit rei: cetera uero prædicata nõ ſimpliciter inexiſtunt, ſed proprio quodam modo. ſequuntur autem quæſtiones generis, quoniam genus de pluribus dicitur natura differentibus. proprium autem, & definitio certæ cuidã naturæ conueniunt. cum igitur communiora præcedant minus communia, merito philoſophus hoc ordine has quæſtiones pertractauit: atque ita ſerie

quatuor quæſtiones, duæ ſiplices, duæ uero compoſitæ, & quænam ſit prima ſimplex

quot nam & quæ ex his quatuor quæſtionibus à dialectico tractentur.

exempla quæſtionum dialecticarum.

Hæ quæſtiones in quatuor genera diducũtur in quæſtionẽ ſcilicet definitionis, generis, proprii, & accidẽtis.

ratio, quare philoſophus hunc ordinẽ ſeruarit.

quare poſt quæſtiones accidentis ſequantur quæſtiones generis.

quadam traduntur loci, quòd si aliter eas pertractasset, ut initio secundi libri diximus, locorum ordinem omnino confundi oportuisset.

philosophi ꝓpositio de quibus quæstionibus sit acturus, & rationis. & quare non ita frequenter huiusmodi quæstiones incidant, ut superiores.

Post hæc autem de his, quæ ad genus. HIC philosophus proponit de quibusnam quæstionibus deinceps agendum sit, & rationem affert, quare prius de his agat, quàm de quæstionibus definitionis. tertio admonet non ita frequenter huiusmodi quæstiones incidere, ut superiores. Quare philosophus prius agat de quæstionibus generis, & proprii, quàm de quæstionibus definitionis, ratio est, quoniam loci, ex quibus genus, & proprium construimus, aut destruimus, sunt elementa & principia quædam ad ipsas definitiones. cum enim definitio, & genus comprehendat, & propria sit rei definitæ, ideo fit, ut loci generis, & proprii ad definitionem etiam conferant tum construendam, tū destruendam. merito igitur loci generis, & proprii elementa quæstionum definitionis dicuntur. alia etiam ratione elementa dicuntur, quoniam sicut elementa præcedunt ea, quæ ex elementis constant, ita loci generis, & proprii locos præcedunt definitionis.

quare philosophus dicat has quæstiones raro incidere.

HAS autem disputationes raro dicit philosophus incidere, quoniam frequentius dialectici circa quæstiones accidentis uersantur. quæstiones autem generis, proprii, & definitionis exactiorem tractationem requirere uidentur, quàm quæ est circa dialecticam methodum.

LOCVS PRIMVS.

locus primus ex eo quod non omni.

Si ergo ponatur genus etc. HIC est primus locus ad problema generis, qui desumitur ex eo, quod non omni: est autem talis, id, quod omnibus contentis non inest genus, esse non potest, & ratio est, quoniam genus omnibus inest, quæ sunt eiusdem naturæ. hoc modo ostendemus bonum non esse uoluptatis genus, quoniam omni non inest: neque enim intemperantium uoluptates bonæ sunt: eodem modo ostenderemus scientiam non esse uirtutis genus, quoniam scientia uirtuti omni non inest: scientia enim est circa æterna necessaria, & quæ aliter esse non possunt: prudentia autem, & omnes morales uirtutes circa contingentia uersantur.

quomodo debent intelligi ea uerba, quéadmodum in accidentem.

QVOD dicit philosophus, Quemadmodum in accidente, ita intelligi debet, sicuti in secundo loco secundi libri inquiruntur sigillatim contenta sub subiecto accidentis: & si alicui non insit, destruitur problema uniuersale affirmatiuum. si autem alicui inesse ostendatur, destruitur problema uniuersale negatiuum. pariter hoc in loco, si inueniamus, quod genus alicui eorū, quæ eiusdem naturæ sunt, & sub genere continentur, non insit, problema generis destruemus.

locus iste est utilis ad cōstruēdum, & destruendū.

EST autem hic locus ad destruendum utilis, ut ostensum est; sed est etiam utilis ad construendum. si enim omnibus insit sub genere contentis, genus esse probabitur.

LOCVS SECVNDVS.

locus secūdus ex eo, quod nō in quid.

Deinde si non in quid est prædicatur. DESVMITVR hic locus ex eo, quod nō in quid: est autem talis, si id, quod pro genere assignatur, non prædicetur in quid, genus non erit. hoc modo ostendetur album non esse niuis genus, quoniam non prædicatur in quid. & quòd dulce non est mellis genus, neque amarum abscintii, neque delectatio honestatis: etsi enim ab honestate delectatio sit inseparabilis, quoniam honesta agens semper delectatur; attamen

men delectatio non prædicatur de honestate in eo, quod quid. hoc modo dicit philosophus refelli posse Platonis opinionem, quòd motus per se, quę græci appellant αὐτοκινησίαν, non sit animæ genus, atque hoc probatur, quoniam motus per se non prædicatur de anima in eo, quod quid, sicuti neque albedo de niue; quod autem non prædicetur in quid, probatur, anima non est ὅπερ αὐτοκινησία: si enim esset etiam uere et proprie motus, quare esset etiã uere, & proprie actus imperfectus. quæcunque enim de prædicato dicuntur, de eius etiam subiecto dicuntur ex regula ante prædicamentorum: præterea genus semper significat quid sit id, de quo prædicatur, sed αὐτοκινησία non significat quid sit anima, sed quid agat potius, aut quid patiatur: non igitur est animæ genus.

quomodo refelli possit illa Platonis opinio, quòd motus per se non sit animę genus.

LOCVS TERTIVS.

Maxime autem in accidentis definitione. DESVMITVR hic locus ex definitione accidentis: & est, quòd si assignato generi competit accidentis definitio, illud non erit genus. est autem accidentis definitio, quod potest subiecto inesse, & non inesse: quare si album ponatur genus niuis, aut motus ex se genus animæ, ostendamus autem, quòd his competat accidentis definitio, neutrum horum erit genus.

locus tertius ex definitione accidẽtis.

SED occurrit difficultas, quomodo album possit abesse à niue, aut motus ex se ab anima, cum albedo sit à niue inseparabilis, & hi, qui ita animam definiunt, dicant ipsam semper moueri? Respondet Alexander, quòd dicere possumus, hoc non intelligi debere de prædictis exemplis, quod scilicet non dicat philosophus, ex definitione accidentis probari posse album esse genus niuis, aut motum ex se esse genus animæ: sed si forte assignentur, ut genera aliquorum, quibus possint inesse, & non inesse; ut si motus ex se diceretur esse motus animalis, neque enim animal semper ex se mouetur. aliter etiam & longe præclarius hanc difficultatem soluit Alexander, quòd si aliquod est alicuius genus, impossibile est, ut alicui speciei eiusdem prædicamenti inesse possit, & non inesse. si igitur albedo est genus niuis, cum nix sit in prædicamento substantiæ, ergo impossibile erit albedinem alicui speciei substantiæ inesse posse, & non inesse. sed pluribus speciebus substantiæ inesse potest, & non inesse. non igitur est niuis genus, eodem modo & motus ex se aliquibus speciebus substantiæ inesse contingit, & non inesse. animalia enim in quibus est motus ex se, non semper ex se mouentur: non igitur motus ex se erit animæ genus.

obiectio.

solutio.

alia solutio & longe superiori præstantior.

ATQVE hinc aperitur uera, atque exacta accidẽtis definitionis expositio: ita enim est intelligenda: accidens est, quod contingit alicui uni, & eidem inesse, & non inesse, idest quod illud erit accidens alicui, quod reuera & non solum secundum intellectionem potest inesse, & non inesse: uel si ab eo sit inseparabile, potest tamen inesse, & non inesse alteri speciei eiusdem prædicamenti: atque hac ratione album, & si à niue sit inseparabile, erit tamen accidens, quoniam alicui alteri speciei substantiæ potest inesse, & non inesse. ita & bipes potest inesse, & non inesse: possunt enim alicui pedes mutilari: atque hic sensus non solum ex Alexandro elicitur, sed etiam ex uerbis ipsius Aristotelis.

uera & exacta expositio definitionis accidentis.

exemplum.

LOCVS

LOCVS QVARTVS.

locus quartus à prædicamẽti distinctione.

Amplius si non in eadem diuisione &c. DESVMITVR hic locus à prædicamenti distinctione: & est, si assignatum genus sub alio prædicamento sit, & sub alio species, cuius genus illud fuit assignatum; illud non erit eius speciei genus. si igitur aliud quidem sit substantia, ut nix, aut cygnus: aliud uero sit quale, ut album, hoc non erit eorum genus eodem modo, quoniam anima est substantia: motus autem ad aliud prædicamentum reducitur, non igitur motus erit substantiæ genus.

LOCVS QVINTVS.

locus quintus à participatione spẽi.

Rursum si necesse fuerit &c. DESVMITVR hic locus à participatione speciei, & est, si asignatum genus suscipiat definitionem eius, cuius ponitur esse genus, non erit eius genus: & ratio est, quoniam species semper suscipit definitionem sui generis. genus autem nunquã suscipit suæ speciei definitionem. siquis igitur diceret aliquid esse genus entis, aut unius; ex hoc loco redargueretur: quicquid enim illud esset, omnino susciperet definitionem unius, & entis. omne enim quod in rerum natura subsistit, unum est & ens. hoc modo refelli posset positio illa stoicorum, quòd aliquid sit genus entis: aliquid enim omnino est ens, quare etiam entis suscipit definitionem. sed illi, ut difficultatem effugerent, dicebant ens dici solum de rebus corporeis, aliquid autem non solum de corporeis, uerum etiam de incorporeis: sed ipsi, ut plerunque alias, ita nunc circa nominum impositionem legem imponunt, quod minime faciendum est: nominibus enim, ut uulgo recepta sunt, uti debemus.

quomodo refelli posset illa stoicorum positio quòd aliquid sit genus entis.

HAC ratione dicit Alexander non recte definiri numerum per multitudinẽ unitatum, cum multitudo numerus sit, & numeri definitionem suscipiat. nam & multitudo est plures unitates, Euclides tamen eo modo numerum definiuit, quòd est ex unitatibus composita multitudo.

quòd non recte definitur numerus, cũ dicitur numerus est multitudo unitatum.

NOTAT Alexander dixisse philosophum ens, & unum esse genera, & habere definitionem uel communiter, & probabiliter accipiens genus, & definitionem, prout scilicet non solum uniuocis conueniunt, sed analogis etiam, quæ ab uno, & ad unum dicuntur. qualia sunt ens, & unum, uel quoniam secundum eos, qui dicunt aliquid esse genus entis, & unius & genera sunt, & habent definitionem.

VTITVR autem philosophus uerbo participare intelligens, sicut ipsemet exponit, suscipere rationem, & definitionem.

LOCVS SEXTVS.

locus sextus à uerificatione speciei.

Amplius si de aliquo assignata spes. DESVMITVR hic locus à uerificatione speciei: & est, si species assignati generis de aliquo uerificatur. assignatũ autem genus non ipsum non erit genus: & ratio est, quoniam genus debet prædicari de quocunque, prædicatur species: hoc modo ostẽdemus, quòd ens, aut unum, aut scibile non sit genus opinabilis, quoniam opinabili etiam de non ente dicitur: nam & de non ente opinamur, quòd non est ens: de non ente autem neque ens, neque unum, neque scibile potest prædicari, eadem ratione bonum non erit genus uoluptatis, cum uoluptates etiam intemperantium sint, quæ bonæ nõ sunt: neque scientia erit uirtutis genus, cum uirtus

LOCVS SEPTIMVS.

Rursus si nullam specierum. Desvmitvr hic locus à participatione superioris speciei: & est, si positum sub assignato genere non participat speciei alicuius sub eo genere positæ, assignatum genus non erit uere genus. hoc autem intelligi debet de eo, quod non proxime, & immediate positum est sub genere. quædam enim immediate sub genere posita sunt, ut auis sub animali: quædam uero mediate, ut aquila sub animali. intercedit enim auis, quæ igitur generi proxima sunt, solum generis participant: quæ autem non sunt generi proxima, prius necesse est, ut speciei alicuius participent earũ, quæ sub genere sunt. si igitur id, cuius genus assignatur, neque proxime sub assignato genere sit, neque speciei alicuius sub eo genere existentis participat, assignatum genus non erit uere genus. exempli causa, si diceret quis, quòd motus sit uoluptatis genus, quoniam uoluptas proxime non est sub motu: primo enim motus diuiditur in lationem, alterationem, augmentum, & decrementum, generationem, & corruptionem, oportet uoluptatem alicuius horum specierum participare. si autem nullius participet, non ergo motus est eius genus.

locus septimus à participatione superioris speciei.

LOCVS OCTAVVS.

Amplius si de pluribus dicitur quàm genus. Desvmitvr hic locus à speciei maioris prædicatione: & est, si assignatum genus in minus sit, quàm ei subiecta species, illud non erit uere genus. si quis igitur poneret animal esse genus uiuentis, ex hoc loco redargueretur, quoniam in plus est uiuens, quàm animal. uiuunt enim & plantæ, quæ animalia non sunt. hac etiam ratione ens non potest esse genus opinabilis, cum opinabile sit in plus, ut quòd de non ente etiam dicatur.

locus octauus à speciei maioris prædicatione.

LOCVS NONVS.

Rursum si de æqualibus genus & species dicitur. Desvmitvr hic locus ab æqualitate speciei: & est, quòd si æqualia sint assignatum genus, & ei supposita species, illud non erit uere genus: & ratio est, quoniam semper oportet genus esse communius, & fusius, quàm species: ita igitur unum non poterit esse genus entis, neque ens unius, quoniam sunt æqualis ambitus. quicquid enim in rerum natura subsistit, ens est & unum. eodem modo causa non erit principii genus, neque principium causæ cum æqualia sint, neque animal sensibilis, neque sensibile animalis. Addit autem philosophus horum omnium locorum elementum esse, & rationem, quoniam genus semper debet esse communius speciebus, & differentiis. sub genere enim plures sunt species, & differentiæ: quare genus est unaquaque earum communius: sicut autem genus est unaquaque specierum, & unaquaque differentiarum communius, ita si species omnes, aut differentiæ simul sumantur, semper sunt æqualis ambitus cum genere.

locus nonus ab æqualitate speciei.

quare philosophus addat illa uerba horum omnium locorum elementum esse, & rationem.

LOCVS DECIMVS.

Videndum autem etsi alicui eorum. Desvmitvr hic locus ab his, quæ sunt eiusdem speciei: & est, quòd si assignatum genus alicuius speciei de aliquo

locus decimus ab his quę sunt eiusdem speciei.

eiusdem speciei non prædicetur, illud non erit uere genus: & ratio est, quoniam omnia, quæ secundum speciem sunt indifferentia, sub eodem genere reponi debent, exempli causa, si quis diceret nigrum esse genus Aethiopis, quoniam Scytæ & Galatæ ab Aethiopibus non differunt specie: de his autem nigrum non prædicatur, non igitur erit Aethiopis genus.

quid notet Alexander intelligenda esse ea, quæ sūt eiusdem speciei specialissimæ, & indiuiduæ.

NOTAT Alexander intelligenda esse ea, quæ sunt eiusdem speciei specialissimæ, & indiuiduæ: quoniam, etsi pennatum sit genus aquilæ, & accipitris; attamen non prædicatur de omnibus, quæ sunt eiusdem speciei cum his in eo, quòd sunt uolatilia. non enim prædicatur de omnibus uolatilibus, & tamen omnia uolatilia sunt indifferentia secundū speciem: uel dicamus, quòd si pennatum ponatur esse genus aquilæ, & accipitris, prædicabitur de omnibus, quæ sunt eiusdem speciei cum his in eo, quòd talia.

dubitatio quomodo locus iste non uidetur à primo differre. solutio.

SED dubitaret quis, quoniam hic locus non uidetur à primo differre, in quo dictum est id, quod omnibus contentis non inest, genus esse non potest: nam & ibi per contenta intelliguntur ea, quæ sunt eiusdem speciei Dicendum est, quòd in eo docet cum simpliciter ponitur genus omnibus inesse, ut inspiciamus ea, quæ sunt eiusdem speciei. si enim alicui non insit, non erit genus. hic autem docet, cum quis aliqua accipiens ex aliqua specie, illis attribuit aliquod genus, ut inspiciamus reliqua etiam, quæ sunt eiusdem speciei. si enim alicui horum genus non competit, non erit uere genus, sicuti si quis diceret, nigrum esse Aethiopis genus, ut in exemplo diximus, hoc modo ostenderemus indiuisibile non esse genus insecabilium linearum, nō quòd posito, quòd ipsum sit genus omnium linearum, ostendamus nos, quòd non omnibus competit: ita enim ex primo loco argumentaremur; sed quoniam illa, quibus attribuitur indiuisibile, ut genus sunt eiusdem speciei cum aliis, quibus hoc genus non conuenit. lineæ enim secabiles, & insecabiles sunt eiusdem speciei. quòd autem non est genus unius eorum, quæ sunt eiusdem speciei, neque aliorum genus esse potest.

exemplum.

locus iste est utilis ad construendum, & destruendum.

EST autem hic locus utilis ad destruendum, ut dictum est: sed præterea & ad construendum. si enim ostendamus aliquid esse genus unius ex his, quæ sunt eiusdem speciei, ostendimus, quòd est omnium, quia omnia talia sub eodem genere oportet esse.

LOCVS VNDECIMVS.

locus undecimus à diuerso genere.

Considerandum autem etsi quod aliud genus est. HIC locus est à diuerso genere, & est, si id, quod ponitur sub assignato genere, habeat aliud genus, quod neque contineat assignatum genus, neque sub eo contineatur, genus illud assignatum non erit uere genus: & ratio est, quoniam impossibile est, ut eiusdem rei duo sint genera: & alterum sub altero non contineatur. Exemplum est, si quis diceret scientiam esse genus iustitiæ, ut Socrati uidebatur, quoniam certum est uirtutem esse ipsius genus, cum neque uirtus sub scientia contineatur, neque scientia sub uirtute: non igitur scientia erit iustitiæ genus.

exemplum.

contra hunc locum instantia à philosopho illata. instantiæ solutio ab ipso Aristotele.

ADVERSVS hunc locum instantiam affert philosophus, quam primo refellit: deinde ostendit, si quis eam uelit admittere, quomodo procedet locus. instantia est, quoniam prudentia est uirtus, & est scientia: & hæc utraque genera sunt, quorum alterum sub altero non continetur. Soluitur instantia, quoniam hoc ab omnibus non conceditur, quòd scilicet prudentia sit scientia: neque enim Peripatetici hoc admittunt, quoniam scilicet prudentia

dentia circa contingentia uersatur. scientia autem circa ea, quæ aliter se habere non possunt, quòd si quis contendat hoc esse uerum, prudentiam esse scientiam, tunc locus ita procedet, quòd si positum sub assignato genere aliud habeat genus, quod neque contineat assignatum genus, neque sub eo contineatur, neque utrunque sub communi genere sit, tunc assignatum genus non erit uere genus. scientia enim, & uirtus licet non sint subalterna genera, utrunque tamen est sub communi genere habitus, scilicet & qualitatis. hoc modo ostenderemus album non esse in genere mixti, quoniam album est in genere qualitatis: mixtum in genere substantiæ. qualitas autem & substantia neque sunt subalterna genera, neque utrunque sub communi genere continetur. eodem modo probari posse dicit Alexander unitatem non esse quantitatem, neque substantiam, quamuis uideatur quantitas ex eo, quòd est numeri, qui quidem quantus est augmentatiua, omne autem quod augetur ex homogeneo augeri uidetur: & ex eo uideatur substantia, quoniam una, & eadem existens contrariorum est susceptiua, quod est substantiæ proprium. eadem enim ueritas, & principium est, & finis. in ternario etiam unitas media est finis prioris unitatis,& principium posterioris: sed quoniam neque substantia sub quantitate comprehenditur, neque hæc sub illa, neque utraque sub communi genere: non igitur unitas erit in utroque horum generum. eodem modo ostenderetur, scientiam non posse esse in genere qualitatis, & ad aliquid, nisi alia, atque alia ratione esset in eorũ unoquoq;.

quomodo probari possit unitatem non esse quãtitatem, neque substantiam.

LOCVS DVODECIMVS.

Considerandum autem & genus. Hic locus desumitur à prædicatione superiorum generum: & est, si genus assignati generis, & eius rursus genus nõ prædicatur in quid de eo, cui genus attribuitur, genus illud assignatum non erit uere genus: & ratio est, quoniam oportet, ut de quo prædicatur genus, de eo etiam prædicetur eius genus usque ad supremum genus. ita igitur ostendemus uirtutem non esse genus erubescentiæ, quoniam uirtutis genus est habitus, qui de erubescentia non prædicatur. est enim erubescentia passio, ita quoque uirtus non erit continentiæ genus, quoniam optimus habitus, qui est uirtutis genus, non prædicatur de continentia, quæ in prauis cupiditatibus uersatur.

locus duodecimus. à prædicatione superiorum generum.

quomodo ostenderetur uirtutem nõ esse continentiæ genus.

NOTAT Alexander hoc quidem esse firmum, & uerum, quòd de quo genus prædicatur, de eo & eius genus prædicatur; non tamen conuertitur. neque enim si aliquod superius de aliquo prædicatur in quid, oportet, ut ea, quæ sub ipso sunt, de eo etiam in quid prædicentur. color enim de albo quidem prædicatur, de quo non prædicatur nigrum, & de uitio prædicatur habitus, non tamen de eo dicitur uirtus.

quid hoc loco notet Alexander.

exemplum.

LOCVS DECIMVSTERTIVS.

Rursus si genus participat speciem. DESVMITVR hic locus ex eo, quòd superius genere speciem participet: & est, quòd si uel assignatum genus, uel genus aliquod assignati generis suscipiat definitionem. suppositæ speciei assignatum genus non erit uere genus: atque ideo auis non potest esse animalis genus, quoniam & ipsa, & uolatile quod est auis genus animalis definitionem suscipit.

locus decimustertius ex eo; quòd superius genere speciem participet.

SED uidetur hic locus in unum coincidere cum quinto, in quo dicebatur, si assi-

dubitatio, quòd hic locus idem uidetur cum quinto.

si assignatum genus suscipit definitionem eius, cuius ponitur esse genus, non erit uere genus. dicit Alexander hunc ab eo differre, quòd hic additur etiam genus assignati generis: hoc tamen ipsi non placet, quoniam hoc, quod additur, ad præcedentem locum consequitur, in quo dicitur: considerandum autem & genus assignati generis, quare existimat potius Spurium esse, & ab aliquo esse interiectum: atque eo magis hoc est credendum, quòd ea, quæ sequuntur, cum præcedente loco connectuntur.

quid hic locus ab illo differat ex Alexandro.

Destruenti igitur quemadmodum dictum est utendum. DIXIT philosophus in loco duodecimo, quòd si genus assignati generis, & eius rursus genus non prædicatur in quid de eo, cui genus attribuitur genus illud assignatum, non erit uere genus: atque, ut patet, locus est destructiuus. Nunc igitur ostendit, quo modo idem locus possit esse constructiuus.

ostendit philosophus, quomodo hic locus cõstructiuus, & destructiuus esse posit.

QVONIAM autem in construẽdo assignato genere duplex potest esse quæstio, uel utrum assignatum genus simpliciter insit, uel utrum prædicetur in quid: ideo utrunque docet philosophus, & prius quomodo ex dicto loco procedere debeamus, quando ambigitur, utrum assignatum genus prædicetur in quid. dicitq; quòd si aliquid eorum, quæ de assignato genere prædicantur in quid, prædicatur etiam in quid de supposita specie: etiam assignatum genus in quid prædicabitur, & erit uere genus. hoc modo probabitur dispositionem esse genus uirtutis, de ea enim prædicatur. quòd autem in quid prædicetur, probatur ex eo, quòd qualitas, quæ est dispositionis genus, & de ea prædicatur in quid: de uirtute etiam in quid prædicatur, ita & auis erit aquilæ genus, quoniam animal auis genus de aquila prædicatur in quid.

duplex quæstio ĩ assignato genere esse potest.

exemplum.

SI autem quæstio sit, utrum assignatum genus simpliciter insit, alio modo procedemus. neque enim sufficit ostendere, quòd genus assignati generis prædicetur de supposita specie, sicuti superius. si enim dubitetur utrum latio sit genus ambulationis, non sufficit ostendere, quòd motus qui est genus lationis, prædicetur de ambulatione in quid: sed præterea oportet ostẽdere, quòd nihil aliud eorum, quæ ad lationem sunt contradistincta, insit ambulationi, ut puta, quòd ei non insit auctio, neque diminutio, neque alteratio, neque generatio, neque corruptio. eodẽ quoque modo ostenderemus continentiam esse uirtutem, quoniam habitus electiuus de ipsa prædicatur in quid. cum autem electiui habitus species sint uirtus, & uitium, & continentia uitium non sit, erit igitur uirtus. ita quoque probabimus animam esse formam, quoniam cum substantia sit, ac substantiæ species sint materia, forma, & compositum. anima autem neque sit compositum, neque materia: erit igitur forma.

quomodo, si altera sit quęstio, procedendum sit. exemplum.

quomodo ostenderemus continẽtiam esse uirtutẽ.

quomodo ostenderemus animam esse formam.

LOCVS DECIMVSQVARTVS.

Rursum de quibus species posita est. CONNECTIT Alexander hanc partem, qui cum hactenus philosophus tradiderit locos ex parte assignati generis, nunc affert locos ex parte assignatæ speciei. Desumitur hic locus à contentis sub assignata specie: & philosophus primo locum explicat: ostenditq;, quomodo utilis sit ad destruendum: deinde quomodo ad construendum.

locus decimusquartus. à contentis sub assignata specie.

LOCVS est, si species posita sub assignato genere sit & ipsa alicuius genus, & de eo assignatum genus, uel ipsius assignati generis, genus aliquod non prædicetur in quid, ipsum non erit uere genus. omnia enim superiora de inferioribus prædicantur in quid. est autem hic locus utilis ad destruendum, & ad construendum: ad destruendum quidem, si ipso utamur, ut dictum est, exempli

locus utilis ad destruendum & construendum.

exempli causa, scientiam dicemus non esse uirtutis genus, quoniam de speciebus uirtutis, ut fortitudine, & temperantia non prædicatur. ad construendum autem est utilis, si enim ostendamus assignatum genus prædicari in quid de his, de quibus prædicatur etiam species, patet, quòd ea erunt sub duobus generibus, ergo duo illa genera erunt subalterna. si igitur ostendamus assignatum genus non esse alteri generi subalternum, relinquetur ipsum esse eius genus, exempli causa, si uolatile ponatur esse genus auis, & de hoc dubitetur, quoniam auis est genus corui, & aquilæ, & aliorum: & de his uolatile prædicatur in quid, sicut & auis, ergo uolatile etiam erit genus aquilæ: atque ita aquila sub duobus erit generibus auis, & uolatilis, ergo oportet, ut hæc genera subalterna sint. non est autem uolatile subalternum aui, cum sit communius, ergo auis subalterna est uolatili. exemplum.

SED diceret quis, quòd hic locus destructiuus idem sit cum primo, in quo dicebatur id, quod omnibus eiusdem speciei non inest, genus esse non potest. admittit hoc Alexander: sed dicit, quòd additio loci constructiui efficit hunc ab eo diuersum. dubitatio, quòd hic locus idem sit cum primo.

LOCVS DECIMVSQVINTVS.

Considerandum autem & rationes generum. DESVMITVR hic locus ab uniuoca prædicatione: & est, si definitio assignati generis, aut alicuius eo superioris speciei non competit, aut alicui contenti sub specie ipsum non erit uere genus: & ratio est, quoniam genus uniuocum prædicatur de specie: quare eius etiam definitio de ea debet prædicari. hoc modo ostenderemus numerum non esse animæ genus, ut Aristoxeno uidebatur, quoniam animæ non conuenit numeri definitio. neque enim anima est multitudo ex unitatibus composita; ostenderemus autem motum esse genus alterationis, quoniam motus definitio, quæ est actus eius, quod est in potentia, quatenus est in potentia, conuenit alterationi, & omnibus contentis sub alteratione, locus decimus quintus ab uniuoca prædicatiõe.

SED dicet quis, genus generalissimum cum definitionem non habeat, non erit genus suorum inferiorum, quia eius definitio ipsis non competet. soluitur, quòd etsi non habeat ueram definitionem, habet tamen descriptionem, quæ definitionis uicem gerit, & hoc sufficit. dubitatio. solutio.

LOCVS DECIMVSSEXTVS.

Rursus si differentiam etc. DESVMITVR hic locus à differentia loco generis; & est, si assignatum genus differentia sit, non erit uere genus: & ratio est, quoniam genus prædicatur in quid: differentia autem in quale quid. hac ratione immortale non poterit esse genus dei, quoniam immortale est differentia animalis. animalia enim quædam sunt mortalia, quædam immortalia; neque mortale poterit esse genus hominis, neque impar poterit esse genus ternarii, cum sit differentia numeri. locus decimus sextus à differentia loco generis.

SED quis dubitaret, si differentia non potest esse genus, quomodo diximus superius uolatile esse genus auis? dicendum est tunc accipi animal uolatile, quod etsi uno nomine non exprimatur, est tamen unum genus. dubitatio. solutio.

NOTAT Alexander adiecisse philosophum uerbum magis, cum dicit differentiam magis quale significare, quoniam non simpliciter significat quale. differentia enim quæ est in prædicamento substantiæ, qualitatem quidem definit circa substantiam, non tamen qualitas est, sed substantia. quare autem quare philosophus adiecerit uerbum magis.

differentia

differentia significet quale quid diximus in expositione quinque uocum Porphyrii.

LOCVS DECIMVS SEPTIMVS.

locus decimusseptimus à differentia loco speciei.

Et si differentiam in genere posuit &c. DESVMITVR hic locus à differentia loco speciei : & est, si differentia generis alicuius diuisiua ipsi generi subiiciatur, ut species, illud non erit eius genus : & ratio est, quoniam species semper suscipit sui generis definitionem. quare differentia nullo modo potest esse species eius generis, cuius est diuisiua. hac igitur ratione impar non poterit esse species numeri, nec immortale poterit esse animalis species, cum sit eius differentia. sed quæreret quis, quare differentia generis definitionē non suscipiat: huius rei ratio est, quoniam genus sicut, & species est quid cōpositum ex materia scilicet & forma: atque ideo per substantiuum nomen effertur. differentia autem formam significat, non compositum: atque ideo per adiectiuum nomen affertur. compositum autem non potest de forma prædicari.

dubitatio. solutio.

quid hoc loco notet Alexander.

NOTAT Alexander dixisse philosophum, Neque impar species, sed differentia erit, quoniam non participat genus, è conuerso quam dici debeat: neque enim ratio, quare sit differentia, est, quoniam non suscipiat definitionē generis, sed è contra potius, quia est differentia, ideo non suscipit generis definitionem. notius enim est, quòd sit differentia, quàm quòd generis definitionem non suscipiat: & hoc non solum nobis notius esse uidetur, sed etiā secundum naturam prius.

LOCVS DECIMVS OCTAVVS.

locus decimus octauus à spē loco generis.

Amplius si genus in specie posuit. DESVMITVR hic locus à specie loco generis; & est, quòd si species loco generis assignetur, non recte assignabitur. ita igitur aberraret, qui diceret continuitatem esse genus coniunctionis, cum sit eius species. eorum enim quæ sunt coniuncta, uel extrema sunt unum, & hæc appellantur continua, uel extrema sunt simul, non tamen unum; & hæc sunt tangentia. eodem modo erraret, qui diceret temperamentum esse genus mixtionis, quæ enim miscentur, uel unum corpus continuum fiunt, sicuti liquida corpora, & in his est temperamentum, uel non fiunt unum corpus, & in his est solum mixtio, non etiam temperamentum. pariter quoque aberraret, qui diceret lationem esse genus motus secundum locum, sicuti Plato dixit, qui motum localem definiens ipsum dixit esse lationē. ea enim quæ secundum locum mouentur, uel uoluntarie mouentur; & hæc ferri non dicuntur, uel non uoluntarie: & in his solum proprie est latio. philosophus autem dixit inuoluntarie pro eo, quod est non uoluntarie. inanimata enim non uoluntarie quidem mouentur, non tamen inuoluntarie. meminit autem nunc philosophus Platonicæ sententiæ, quod alias etiam facit, ut loci utilitatem ostendat, quòd scilicet hinc summorum etiam uirorum errores detegantur.

diuisio coniūctorum.

errat, qui dicit temperamentum esse genus mixtionis. & quæ sit mixtionis diuisio.

errat, qui dicit lationem esse genus motus secundum locum, ut dixit Plato & eorū quæ mouentur diuisio.

id, quod nunc philosophus in Platone criminatur, ipse etiam in quinto physicæ cōmisit. & quare id fecerit.

QVOD tamen nunc philosophus in Platone criminatur, ipse etiam in quinto Physicæ auscultationis commisit. ibi enim uidens motum localem esse innominatum, ipsum appellauit lationem; & si igitur latio proprie dicatur solum de motu locali inanimatorum, ob penuriam tamen nominum motui locali in uniuersum accmomodatur.

LOCVS

LOCVS DECIMVS NONVS.

Insuper si genus in differentia. DESVMITVR hic locus à differētia posita sub specie: & est, si species ponatur esse genus differentiæ, male ponetur: ut si quis diceret Deum esse genus immortalis, aut hominem esse rationalis genus: si enim ut superius ostensum est, differentia non potest poni, ut species sub eo genere, cuius est diuisiua differentia, quoniam omne generi subiectū generis definitionem suscipit. differentia autem non suscipit definitionē generis; multo minus differentia constitui potest sub specie, quoniam non solum compositum prædicaretur de forma, sed præterea minus commune præ dicaretur de magis communi, quæ sunt impossibilia: præterea si species prædicaretur de differentia, cum genus prædicetur de specie: ergo & genus de differentia prædicaretur, quod superius reiectum est. Afferens autem philosophus rationem, quare species non possit poni genus differentiæ, dicit, Accidet enim æqualiter, aut in plus speciem dici, quàm differentiam: sed differentia semper æqualiter, aut in plus dicitur, quàm species. Videtur autē, quòd illud primum æqualiter sit superfluum: talis autem est philosophi ratio, si species ponatur genus differentiæ, cum semper genus sit specie cōmunius, ergo species erit differentia communior, at hoc est falsum, quoniam semper differentia, aut est æqualis speciei, aut est ea communior, non ergo species potest poni genus differentiæ, est quidem differentia æqualis speciei, si accipiatur propria alicuius, & specifica differentia, ut est ratiocinatiuum hominis: aliæ autem differentiæ, quæ tales non sunt, sunt speciebus cōmuniores.

locus decimus nonus à differentia posita sub spē.

quod illud uerbū æqualiter, quod ponit philosophus, cum uult afferre rationē, quare species non possit poni, genus differentiæ non uidetur recte esse positum.

LOCVS VIGESIMVS.

Insuper si genus in differentia. DESVMITVR hic locus à genere sub differentia: & est, si differentia ponatur, ut genus ipsius generis, non recte ponetur, ut si quis diceret disgregatiuum uisus esse genus coloris; aut si quis diceret impar esse genus numeri, errat autem qui hoc modo ponit: et quoniam ponit id, quod est in minus esse in plus; & quoniam ponit id, quod prædicatur in quale prædicari in quid.

locus uigesimus à genere sub differentia.

LOCVS VIGESIMVS PRIMVS.

Etsi genus ut differentiam &c. HIC locus desumitur à genere loco differentiæ, & est, quòd errat etiam, qui genus ponit loco differentiæ: ut si quis diceret mixtionem esse differentiam temperamenti. est enim temperamentum species: eius uero genus est mixtio: ita quoque erraret, qui diceret lationē differentiam esse motus localis.

locus uigesimus primus à genere loco differentiæ.

SED dubitaret quis, quoniam exempla, quibus hic utitur philosophus, indicant hunc locum non differre à decimo octauo, qui est, quando ponitur genus sub specie. iisdem enim exemplis in eo etiam loco usus est. Dicendū est, quòd qui ponit mixtionem sub temperamento, ut eius speciem, errat aduersus decimum octauum locum: qui autem ponit ipsum esse differentiā, errat aduersus hunc.

dubitatio, ꝙ hic locus nihil uidetur differre à 18. solutio.

APPONIT autem philosophus fundamentum, cui innituntur superiores loci. Hoc autem est, quòd genus semper in plus est, quàm differentia; & eius definitionē non suscipit, quòd si addamus differentiam, generis definitionem non suscipere. Speciem autem suscipere; præterea genus esse communius

fundamentū quod affert, philosophus cui omnes superiores loci innituntur.

munius ſpecie, & ſpeciem non eſſe in plus, quàm differentiam, habebimus rationem ſex ſuperiorum locorum. Locus enim decimus ſextus, quando ponitur differentia pro genere, inde ratione͂ habet, quòd genus debet eſſe in plus, quàm differentia; & eius definitionem non ſuſcipit. Locus decimus ſeptimus, quando ponitur differentia, ut ſpecies ſub genere, inde rationem habet, quoniam ſpecies definitionem generis ſuſcipit: differe͂tia autem non. Locus decimus octauus, quando ponitur genus ſub ſpecie, inde rationem habet, quòd genus debet eſſe co͂munius ſpecie. Locus decimus nonus, quando ponitur differentia ſub ſpecie, ut eius ſpecies, inde ratione͂ habet, quòd ſpecies non eſt in plus, quàm differentia. Locus uigeſimus, quando ponitur genus ſub differentia, ut eius ſpecies, inde etiam rationem habet, quòd genus eſt in plus, & differentiæ rationem non ſuſcipit: atque hinc etiam rationem habet. Locus uigeſimus primus, quando ponitur genus loco differentiæ, quoniam qui ponit mixtionem, exempli cauſa, eſſe differentiam temperamenti ponit mixtionem, quæ eſt in plus eſſe differentiã. differentia autem nunquam eſt in plus, quàm genus, præterea contingit genus poſitum ſuſcipere definitionem differentiæ. temperamentum enim mixtionis definitionem participat, quod eſt inconueniens.

LOCVS VIGESIMVS SECVNDVS.

locus uigeſimus ſecu͂dus, à differentiarum prædicatione.

Amplius ſi nulla generis differentia. DESVMITVR hic locus à differentiaru͂ prædicatione: & eſt, ſi genus alicuius aſſignatur, de quo nulla eius differentia prædicetur, ipſum non erit uere genus. hoc modo oſtendetur numerum non eſſe animæ genus, quoniam nulla eſt numeri differentia, quæ de anima prædicetur. differentiæ enim numeri ſunt par, & impar, quæ non prædicantur de anima eadem ratione: neque mundus erit animal, quoniam nulla animalis differentia de ipſo prædicatur: neque enim eſt aut uolatile, aut aquatile, aut terreſtre. uerum hæc eſſet probatio fallax, quoniam diuina illa æqui uoce cum his corruptibilibus ſunt animalia, & longe alia eſt eorum uita, quàm ſit ſenſitiuorum. pariter oſtenderetur unitatem non eſſe quantam, cu͂ non ſit neque continua, neque diſcreta. huius loci ratio eſt, quoniam ex differentiis generis conſtituuntur ſpecies, unde & definitio, quæ uniuſcuiuſque rei eſſentiam explicat, ex differentiis conſtituitur, ſicuti igitur ſpeciei nulla generis differentia conuenit, patet, quòd ſub eo genere non erit.

quomodo ꝓbari poſsit quod mu͂dus non eſt animal.

quomodo ꝓbari poſsit unitatem non eſſe quanta.

locus iſte eſt co͂ſtructiuus, & deſtructiuus.

ERIT autem hic locus non minus conſtructiuus, de quo enim prædicatur differentia alicuius generis, illud omnino erit ſub eo genere. intelligendum autem eſt, ut ſuperius dictum fuit differentiam prædicari de ſpecie, non in quid ſcio in quale quid.

LOCVS VIGESIMVS TERTIVS.

locus uigeſimus tertius à priori natura.

Amplius ſi prius natura. DESVMITVR hic locus à priori natura: & eſt, ſi aſſignatum genus non ſit prius natura ſub poſita ſpecie, ipſum non erit uere genus: & ratio eſt, quoniam genus ſemper debet eſſe prius natura, quàm ſpecies. illa autem ſunt natura priora, quæ ablata auferunt, poſita non ponunt, & non è contra. ita igitur mixtionis genus, non erit tempera me͂tum, neque coniunctionis genus erit continuitas, neque percuſsionis ſonus.

locus iſte nihil à decimo octauo differt niſi modo probandi.

NOTAT autem Alexander hunc locum eundem uideri cum decimo octauo, quando ponitur genus ſub ſpecie: ſed differt ab eo in modo probandi.

ibi enim probatur illud non esse genus, quoniam sub alio contineatur. hic autem ex eo, quòd sit natura posterius.

Est autem hic locus solum destructiuus, non etiam constructiuus: neque enim sufficit ad probandum aliquid esse genus probare ipsum esse prius natura. substantia enim est aliis prædicamentis natura prior, neque tamen est eorũ genus, & unitas est omnibus numeris, natura prior neque est eorũ genus. locus iste est solum destructiuus.

LOCVS VIGESIMVS QVARTVS.

Insuper si contingit relinquere. Desumitur hic locus à separatione: & est, quòd si assignatum genus potest separari ab eo, cuius ponitur esse genus, nõ erit uere genus: & hoc non minus est uerum de differentia. Loci autem ratio est, quoniam quæ sunt completiua substantiæ unius, cuiusque sunt ab eo inseparabilia, sed genus & differentia sunt completiua substantiæ: sunt igitur inseparabilia. Hoc modo redarguerentur, qui dicunt motum esse genus animæ, ut qui dicunt eam esse αὐτοκινησίαν, aut qui dicunt esse differentiam, ut qui dicunt eam esse substantiam ex se mobilem. contingit enim quandoque animam non moueri, cum enim anima per accidens moueatur ad motum corporis. quiescente igitur corpore ipsa quoque quiescit. eodem modo neque uerum potest esse genus, aut differentia opinionis, cum non omnis opinio uera sit, sed neque falsum, quia neque omnis est falsa: quædam enim est uera, quædam etiam, quæ neque uera est, neque falsa, sicuti opinio, quæ est circa futuræ contingentia: eadẽ ratione neque graue, aut leue erunt, aut genus, aut differentia corporis. intelligendum autem est de differentiis constitutiuis, non autem de diuisiuis. locus uigesimus quartus à separatione. exemplum. quomodo redarguerẽtur qui dicũt motum esse genus animæ.

LOCVS VIGESIMVS QVINTVS.

Inspiciendum autem etsi quod in genere positum est. Desumitur hic locus à participatione contrarii; & est, si quod positum est sub assignato genere participat alicuius contrarii ei generi: illud assignatum genus non erit uere genus: & ratio est, quoniam nihil est in rerum natura, quod contraria simul suscipiat: sed si aliquid suscipit contrarium generis, cum ipsum genus sit inseparabile, contraria igitur simul susciperet. hoc modo probaremus necessarium non esse in genere possibilis, quoniam contrarii etiã est susceptiuum, nempe impossibilis: quod enim necesse est, non esse, impossibile est esse. ita quoque ostenderemus generationem non esse congregationem, cum etiã per disgregationem fiat, quando enim tenuia corpora ex crassioribus generantur, ut aer ex aqua tunc congregatio non fit, sed disgregatio. locus uigesimus quintus à participatione contrarii.

LOCVS VIGESIMVS SEXTVS.

Insuper si quippiam communicat. Desumitur hic locus à communicatione speciei: & est, si species assignati generis alicuius participat, quod est impossibile adesse generi: genus illud assignatum non erit uere genus; & ratio est, quoniam genus ea omnia cõplecti debet, quæ suis speciebus insunt. hac ratione numerus non poterit esse animæ genus, quoniam anima uitæ participat. numerus autem non est uitæ susceptiuus, pariter scientia non erit uirtutis genus, quoniam uirtutes actionis participant. nulla autem scientia est actiua, neque uirtus potest esse genus continentiæ, quoniam cõtinentia ma- locus uigesimus sextus à cõmnunicatione speciei.

riam, quoniam forma eſt in genere ſubſtantiæ: priuatio autem in nullo eſt genere, cum enim ſit ſimpliciter non ens in nullo poteſt eſſe genere.

LOCVS TRIGESIMVSSECVNDVS.

locus trigeſimus ſecundus à medio contrariorum.

Deinde ſi contrarium alicui, & genus, & ſpecies. DESVMITVR hic locus à medio contrariorum: & eſt, ſi aſsignato generi ſit aliquod contrarium, itidem & ſuppoſitæ ſpeciei. contraria autem generis medium habeant, & contraria ſpeciei non habeant medium, uel è contra: contraria ſpeciei habeant medium: contraria autem generis non: tunc aſsignatum genus non erit uere genus. hac ratione oſtenderemus congregationem non eſſe generationis genus, quoniam inter congregationem, & diſgregationem medium reperitur. inter generationem autem, & corruptionem nullum eſt medium. huius loci ratio eſt, quoniam oportet, ut contraria genera, & contraria ſpecies uel æqualiter ſint mediata, uel æqualiter immediata. ſi enim inter contraria genera media aliqua ſint: non autem inter contrarias ſpecies, de quibuſnam prædicabuntur media illa? non enim prædicari poſſunt de contrariis ſpeciebus, quia de illis prædicantur contraria genera. nihil igitur erit, de quo prædicentur: ſed ſi ſunt omnino, oportet, ut de aliquibus prædicentur, pariter ſi inter contrarias ſpecies eſſet aliquod medium, & inter contraria genera nullum, ſub quonam genere erit medium illud? neque enim erit ſub contrariis, quia ſub eis ſunt ipſæ ſpecies contrariæ: ita igitur ſit, ut ſi contraria genera medium habeant: contrariæ etiam ſpecies ipſum habeant, & è conuerſo.

huius loci ratio.

QVONIAM autem hic locus non eſt omnino uerus, ſed exceptionē quandam patitur, ideo philoſophus ad loci correctionem inſtantiam affert, quòd ſanitas, & ægritudo nullum habent medium: bonum autem, & malum, ſub quibus illa ſunt, medium habent, id, ſcilicet quod non eſt neque bonum, neque malum. admonetq; Alexander, ut æquiuocationem euitemus, quòd debemus intelligere bona, & mala corporea, cuiuſmodi ſunt bonus habitus, & malus habitus; pulchritudo, & deformitas; robur, & imbecillitas.

inſtantia à philoſopho allata aduerſus hunc locum.

quomodo accipere debeamus illa bona uel mala corporea.

LOCVS TRIGESIMVSTERTIVS.

locus trigeſimustertius ab aduerſo modo contrariorum.

Inſuper ſi eſt quidem aliquid utriſque medium. DESVMITVR hic locus à diuerſo modo mediorum: & eſt, quòd ſi inter contraria genera medium ſit diuerſo modo, quàm inter contrarias ſpecies, ut in illis per negationem proferatur: hic autem per affirmationem genus aſsignatum non erit uere genus. probabile enim eſt, ut utrobique medium eiuſdem modi ſit, ut patet in uirtute & uitio; iuſtitia, & iniuſtitia. in utriſque enim eſt medium per negationem extremorum.

NOTAT Alexander hunc etiam locum obiectionem pati: bonum enim & malum medium habent, quod per negationem profertur: multa autem ſunt his ſubiecta, quæ medium habent per affirmationem prolatum, ut acute uidere, & obſcure uidere: medium habent mediocriter uidere: ita & celebris uita, & obſcura medium habent uitam mediocrem.

locus iſte obiectionem patitur ex ſententia Alexandri.

LOCVS TRIGESIMVSQVARTVS.

locus trigeſimusquartus à medio contrariorum alterius generis.

Præterea quando non eſt contrarium generi. DESVMITVR hic locus à medio contrariorum alterius generis: et eſt, quando aſsignatum genus non habet contrarium,

contrarium, si medium contrariarum specierum in ipso genere non sit assignatum genus, non erit uere genus. quando enim genus non habet contrarium, non solum oportet ut contraria sint in eodem genere, sed etiam ut media. hoc modo sub eodem genere sunt album, nigrum, & colores medii: & sub eodem genere saporis, dulcis, amarus, & medii. hoc modo ostenderemus circumferens non esse genus concaui, & conuexi, quoniam mediū concaui, & conuexi, quod est ipsum rectum, non potest esse in genere circumferentiis.

INSTANTIAM deinde affert philosophus, quòd aliquando media nō sunt in eodem genere cum extremis. excessus enim & defectus sunt in genere uitii: moderatum autem est in genere uirtutis. *instantia aduersus hunc locum.*

SED hic incidit dubitatio, quoniam uidetur hanc obiectionem nullam esse. locus enim propositus est, quando genus assignatum non habet contrarium. obiectio autem est de eo, quod habet contrarium. uitium enim sub quo est excessus, & defectus, contrariam habet uirtutem. Dicendum est hanc instantiam non tendere aduersus locum, sed aduersus rationem loci, quæ dicit: in quo enim genere sunt extrema, in eodem sunt media. aduersus hoc, inquam, obiicit philosophus, & non aduersus locum. Alexander autē, qui existimauit hanc obiectionem allatam esse aduersus locum, reprehendit Aristotelem, tueturq; locum, quòd scilicet in quo genere sunt extrema, in eodem sunt media: ab hac obiectione, primo quoniam sententia illa intelligitur de mediis, quæ extremis non sunt contraria, ut sunt media in quantitate, in colore, & in sapore. at uirtutes non solum sunt mediæ inter uitia, sed ipsis sunt contraria: præterea sententia illa intellinitur de mediis proprie dictis: hæc autem sunt, quæ fiunt per mixtionem extremorum, ut medii colores, & sapores: sed alia etiam sunt media, quæ non ita fiunt, sicuti centrū, quod est medium circuli, & medius terminus in syllogismis, qui bis sumitur ante conclusionem: talis etiam est uirtus, quæ non fit per mixtionem uitiorum extremorum: atque hæc media cum illis proprie dictis æquiuoca sunt. tertia Alexandri ratio est, quoniam suppositum est in loco, quando genus propositum non habet contrarium. obiectio autem est, quando genus habet contrarium: atque hæc est efficatior ratio. soluitur autem, ut superius diximus: aliæ autem duæ eius rationes soluuntur, quoniam conditiones illæ, quas rationes illæ supponunt, non sunt necessariæ ad huius loci ueritatē. *dubitatio. solutio. Alexāder tuetur locum & accusat Aristotelem eo quòd existimat instantiā contra locum esse adductā.*

LOCVS TRIGESIMVS QVINTVS.

Considerandum autem si quidem genus etc. DESVMITVR hic locus ex contrario: et est, si assignatum genus habet aliquod contrarium, species autē non genus illud assignatum non erit uere genus: & ratio est, quoniam probaqile est, ut si genus habet contrarium, species quoque habeat contrarium: ut quoniam uirtus, quæ est genus, habet contrarium; ideo & iustitia, quæ est species ei subiecta, habet contrarium, nempe iniustitiam. hoc tamen non conuertitur, quoniam contrariæ species sub eodem genere possunt esse; ita igitur ostendemus armoniam nō esse genus animæ, ut Plato existimauit. quoniam armonia contrarium habet, quod græci dicunt ἀναρμοστίαν. anima autem nihil habet contrarium: eadem ratione principium non erit genus elementi, quoniam principium habet contrarium, nempe finem: at elementum nihil habet contrarium. neque uacuum erit genus loci, quoniam uacuum habet aliquid contrarium, nempe plenum. locus autem nihil habet contrariū. *locus trigesimusquintus ex contrario. quomodo ostenderemus armoniam nō esse genus animæ, ut sensit Plato. quomodo ostenderemus principiū esse genus elemēti. quod ostenderemus uacuum nō esse genus loci.*

ita quoque si motui quies est contraria, tempori autem nihil est contrariũ, ergo motus non est genus temporis. Et si incorruptibili corruptibile, Deo autem nihil, ergo incorruptibile non est genus Dei.

quare aduersus hunc locũ obiectionem affert philosophus.

ADVERSVS hunc locum obiectionem affert philosophus, ut ostendat ipsum esse quidem probabilem, non tamen omnino uerum. obiectio autem hæc est, quoniam ægritudo habet contrarium, nempe sanitatem; species sutem ægritudinis, ut febris, oculorum inflammatio, icteritia, pleuritis nihil habent contrarium.

quod particulares etiã ægritudines habẽt aliquod cõtrarium, sed innominatum.

ADDIT autem Alexander, quòd forte particulares etiam ægritudines habent aliquid contrarium, sed innominatum. hoc autem est sanitas secundum unumquodque eorum, in quibus sunt morbi. hæc autem res ita se habere uidetur, quòd eadem sanitas subiecto omnibus particularibus ægritudinibus opponitur: alia tamen atque alia ratione, quemadmodũ idem est centrum in circulo, quod opponitur finibus omnium linearum, quæ ab ipso ducuntur ad circunferentiam, different tamen ratione.

quod hactenus philosophus tractauit sex locos ex cõtrariis, & mediis.

Interuenienti igitur tot modis. tractauit philosophus sex locos ex contrariis, & mediis, qui omnes sunt destructiui. primus fuit trigesimus, cuius prima pars erat, quando genus non habet contrarium. contrariæ species debent esse in eodem genere. Secunda pars erat, quando genus habet cõtrarium. contrariæ species debent esse in contrariis generibus. trigesimus primus erat si contrarium speciei non sit in genere, neque supposita species erit in genere. Trigesimus secundus erat si contraria genera habent medium: etiam contrariæ species habent medium. Trigesimus tertius erat contraria genera, & contrariæ species eodem modo debent habere contrarium. Trigesimus quartus erat, quando genus non habet contrarium non solum contrariæ species, sed etiam mediæ debent esse in eodem genere. Trigesimus quintus erat, si genus habet contrarium: species quoque habent contrarium. Ex his igitur locis docet philosophus nunc, quinam sint apti ad construendum. Primo autem dicit primam partem trigesimi loci esse utilem ad construendum, quando enim genus non habet contrarium, contrariæ species in eodem genere esse debent. si igitur ostendamus propositum genus non habere contrarium: & quòd contrarium propositæ speciei in eo genere sit, probabimus ipsam etiã propositam speciem in eo genere esse, exẽpli causa, si quæratur, utrum multitudo sit genus paucorum, ostendemus, quòd multitudo nihil habet cõtrarium; & quòd multa, quæ sunt paucis contraria, in genere multitudinis sunt. hinc enim fiet, ut etiam pauca in eodem sint genere. secundo dicit ad construendum utilem esse locum trigesimum quartum. si enim assignatum genus non habeat contrarium, & media, quæ sunt inter contrarias species in ipso sint etiam contraria, in ipso erunt: etsi contraria in eo sunt, & media erunt, ut in quo genere est obscura uox, in eodem erit acuta, & grauis: atque hoc ut Alexandro placet, intelligendum est de mediis proprie dictis, quæ scilicet fiunt per mixtionem extremorum. tertio dicit philosophus utilem esse ad construendum secundam partem trigesimi loci. si enim assignatum genus habeat contrarium, & species contraria propositæ sit in contrario genere, ipsa proposita species erit in assignato genere. si enim quæratur, utrum ἀσυμμετρία sit genus morbi, ostendentes nos συμμετρίαν, quæ est ἀσυμμετρία contraria esse genus sanitatis, quæ est morbi cõtraria, ostẽdentes erimus ἀσυμμετρίαν esse morbi genus, quod erat propositum.

exemplum.

aptus est ad cõstruendũ trigesimus quartus.

exemplum.

apta est ad construendum.

exemplum.

LOCVS

LOCVS TRIGESIMVS SEXTVS.

Rursus in casibus, & coniugatis. TRADIT philosophus etiam ad problemata generis locum ex casibus, & coniugatis: sicuti & superius ad problemata accidentis. maxime enim est utilis hic locus ad omnia problematum genera. Locus igitur est, si quemadmodum positúm genus inest positæ speciei, ita & casus, & coniugata positi generis insunt casibus & coniugatis positæ speciei, positum genus construetur. Si autem non ita sit, destruetur: quare erit hic locus ex casibus, & coniugatis constructiuus, & destructiuus; ex casibus quidem construeremus, ut si prudenter agere est scienter agere, ergo & prudentia erit scientia. Destrueremus autem ex casibus hoc modo, si uoluptas est bona, & uoluptuose est bene, non est autem uoluptuose bene, quoniam & praue agentes uoluptuantur, non ergo est uoluptas bona. ex alliis autem coniugatis construeremus hoc modo, si iustum est studiosum, & iustus studiosus, ergo iustitia est uirtus. Destrueremus autem hoc modo, si uoluptas est sub genere utilis, etiam uoluptuosum esset utile, non est autem uoluptuosum utile, neque igitur uoluptas, & si iustus non est sciens, neque iustitia erit scientia.

locus trigesimus sextus, ex casibus & coniugatis.

locus iste utilis ad cōstruēdū & destruēdum.

SEMPER autem deducendum est argumentum ab eo, quod notius est, innata enim est nobis uia, ut à notioribus ad ignotiora deueniamus.

LOCVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

Rursus in his, quæ similiter se habent. DESVMITVR hic locus ex proportione: & est, si eorum, quæ similiter se habent adinuicem, alterum sit alterius genus, alterum quoque erit alterius genus. Dictum fuit in fine primi libri duplicem esse analogiam ad aliquid, & in aliquo ad aliquid, ut cum dicimus, sicut se habet intellectus ad scientiam, ita se habet sensus ad opinionem: & sicut unitas ad numerum, ita punctus ad lineam. analogia in aliquo est, cum dicimus, sicuti iustitia est in animo, ita pulchritudo in corpore: & sicuti serenitas in aere, ita tranquillitas in mari. philosophus autem nunc de analogia ad aliquid loquitur. non enim uidetur, quòd ex analogia in aliquo construatur, aut destruatur genus. ex hoc igitur loco possumus tum construere, tum destruere. construere quidem hoc modo ita se habet delectabile ad uoluptatem, sicut utile ad bonum. sicut enim delectabile est uoluptatis effectiuum, ita & utile est effectiuum boni, si igitur bonum est uoluptatis genus, ergo & utile est genus delectabilis; atque hoc quidem modo cōstrueremus. destrueremus autem hoc modo, si ita se habet exercitium ad sanitatem, sicuti disciplina ad scientiam, ergo & disciplina ad exercitium, sicut scientia ad sanitatem. non est autem disciplina genus exercitii, neque igitur scientia est genus sanitatis.

locus trigesimus septimus ex proportione.

duplex analogia est ad aliquid & in aliquo.

philosophus loquitur de analogia ad aliquid.

NOTANDVM autem est hunc procedendi modum, quo utitur philosophus esse proportionem, quæ à mathematicis dicitur permutata, quando scilicet infertur sicuti antecedens ad antecedens, ita consequens ad consequens: quamuis enim philosophus inferat sicuti consequens ad consequens, ita antecedens ad antecedens nihil referre uidetur. idem enim est consequētiæ modus. Alexander tamen dicit philosophum non usum fuisse ea proportione, sed si ea uti uellemus hoc modo esset dicendū: si ita se habet uoluptas ad delectabile, sicuti bonum ad utile, ergo & sicuti antecedens ad antecedens, ita & consequens ad consequens. si igitur bonum est uoluptatis genus,

modus iste, quo procedit philosophus à mathematicis dicitur proportio conuersa; & quo modo se habeat.

ergo & utile est genus delectabilis. Verba illa philosophi, Manifestum enim quod boni est effectiuum. probant, quòd delectabile sit boni effectiuum. si enim uoluptas est bona, quod est eius effectiuum. erit boni effectiuum. cum igitur delectabile sit uoluptatis effectiuum, erit etiam effectiuum boni.

quid nam probent hæc uerba philosophi

LOCVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

locus trigesimus octauus ex generationibus &c.

Similiter autem & in generationibus. Hic locus est ex generationibus, corruptionibus, generatiuis, & corruptiuis, potentiis, & usibus. qui etiam locus in problematibus accidentis tractatus fuit: & est, si generatio alicuius sub alterius cuiusdam generatione sit, ut genere ipsum quoque generatum sub illo erit generato, ut genere. eadem est ratio de generatiuis, & corruptiuis, de potentiis, & usibus. à generationibus igitur hoc modo argumentabimur, si agere est genus ipsius ædificare, ergo & actum erit genus ipsius ædificati: & si reminiscentia est genus disciplinæ, ergo memoria est genus scientiæ. philosophus autem utitur didicisse, & recordatum esse: & intelligit ipsum generatum ad quod proceditur ex generatione. ex hoc quoque loco ostenderemus iustitiam non esse scientiam: si enim iustitiæ generatio non est disciplina, neque igitur iustitia est scientia. ostenderemus quoque sensum non esse scientiam: si enim sensus generatio non est disciplina, est enim à natura, neque igitur sensus erit scientia. Ex corruptionibus autem ita argumentabimur, si dissolui est corrumpi, ergo & dissolutum est corruptum. si igitur alterum est alterius genus, & alterum quoque erit alterius. ex generatiuis etiam argumentamur ad problema generis hoc modo, ita se habet sedulitas ad diuitias, sicut exercitium ad sanitatem, non est autem sedulitas genus exercitii, neque igitur diuitiæ sanitatis. Ex corruptiuis autem hoc modo ita se habet prodigalitas ad opes, sicuti ad uirtutem praui sermones, non est autem prodigalitas prauorum sermonum genus, neque igitur opes uirtutis. ex potentiis autem hoc modo ita se habet potentia ad ipsum potens, sicut dispositio ad dispositum: si igitur dispositio est potentiæ genus, ergo, & potens erit in genere dispositi. Ab usibus autem hoc modo ita se habet usus ad id, quo quis utitur, sicut actio ad actum: si igitur usus est in actionis genere, etiam id, quo quis utitur, erit actum.

quomodo à generationibus argumentaremur.

quomodo ex corruptionibus argumentaremur.

NOTANDVM autem est in his omnibus seruari analogiam, sicuti in exemplis manifestum est: præterea quod hi loci constructiui sunt, & destructiui: atque ideo exemplis partim constructiuis, & partim destructiuis usi sumus.

in his omnibus analogia seruatur semper.

LOCVS TRIGESIMVS NONVS.

locus trigesimus nonus ex priuatione.

Si autem priuatio sit quod opponitur. TRADIDIT philosophus superius locos ex cõtrariis: nunc uero accedit ad alia opposita. ac primũ tradit locum ex priuatione, qui est, ut ipse notat & destructiuus, & constructiuus. destructiuus quidem duplex est. primo enim si species posita sub asignato genere habeat priuationem oppositam, & hæc priuatio sit sub eodem genere, asignatum genus non erit uere genus. et ratio est, quoniã priuatio & habitus nunquam possunt esse in eodem genere propinquo: sed frequenter etiam non sunt in eodem genere remoto. si enim uisionis propinquum genus est sensus, impossibile est, ut cæcitas, quæ est uisionis priuatio sit in eodem genere sensus: & si cæcitatis propinquum genus est insensibilitas, impossibile est uisionem in eo esse genere. Ex hoc igitur loco ostenderemus, quòd habitus non

est

est genus ignorantiæ, quoniam est genus scientiæ: ostenderemus quoque uitium non esse uirtutis priuationem, quoniam est in eodem genere cum uirtute, nempe habitus. Secundo autem destruetur problema generis ex priuatione hoc pacto, si & assignato generi, & sub eo positæ speciei aliquid sit priuatiue oppositum, non sit autem priuatio speciei in priuatione generis, ut genere; neque proposita species erit sub assignato genere. hoc modo ostenderemus, quòd uisus non est scientia, quoniam neque cæcitas, quæ est uisus priuatio, est in genere ignorantiæ. Ita quidem dupliciter destruitur problema generis ex priuatione: uno autem tantum modo construitur hoc scilicet posteriori, si enim priuatio opposita speciei sit sub priuatione opposita generi, proposita quoque species erit sub assignato genere. Ita ostenderemus uisum esse in genere sensus, quoniam cæcitas est in genere insensibilitatis. Primus autem modus destructiuus ad construendum utilis esse non potest. triplex autem est priuatio, quæ est extra genus, & quæ priuat actum, & potentiam: & quæ priuat solum potentiam. &c.

uno tantũmo do est cõstructiuus posteriori scilicet.

LOCVS QVADRAGESIMVS.

Rursus in negationibus considerandum. DESVMITVR hic locus ex contradictorie oppositis, qui etiam in secundo libro tractatus fuit: et est, si assignatum genus conuenit propositæ speciei, species ipsa non inerit contradictorio generi: & hunc illationis modum appellabat philosophus in secundo libro consequentiam, è conuerso. Ita igitur si bonum est delectabilis genus, delectabile est bonum, ergo non bonum non est delectabile: cuius rei ratio est, quoniam si aliquod non bonum esset delectabile, bonum non posset esse genus delectabilis, quia à quo negatur genus, ab eodem necesse est negari speciem. Ita quoque ex hoc loco argumentabimur, si laudabili est genus boni, quod non est laudabile, non est bonum. sunt autem quædam non laudabilia bona, ut sanitas, uires, diuitiæ, non igitur laudabile est genus boni.

locus quadragesimus ex cõ tradictorie oppositis.

LOCVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

Si autem sit ad aliquid species. TRADIT deinceps philosophus plures locos ex relatiuis: ac primus quidem est, si species posita sub assignato genere est ad aliquid, oportet quoque, ut eius genus sit ad aliquid: si igitur species sit ad aliquid, positum uero genus non sit, ad aliquid non erit eius genus: duplum enim quoniam est ad aliquid, habet etiam suum genus, nempe multiplex ad aliquid, & scientia, quæ est ad aliquid sub existimatione, quæ & ipsa est ad aliquid, reponitur. hoc igitur modo ostenderemus æquale non esse in genere quanti, quoniam est ad aliquid, quantum uero non est ad aliquid.

locus quadragesimus primus: est primus ex relatiuis.

NOTAT autem philosophus hunc locum non conuerti, si species est ad aliquid, etiam genus est ad aliquid, non tamen è conuerso. Si genus est ad aliquid, oportet, ut eius quoque species sit ad aliquid. scientia enim ad aliquid existens genus est musicæ, & geometriæ, quæ ad aliquid non sunt.

locus iste non conuertitur. exemplum.

SED aduersus etiam locum instantiam affert philosophus, quòd scilicet neque omnino uerum esse uidetur, quòd si species sit ad aliquid, etiam genus ad aliquid esse oporteat, qnoniam uirtus, quæ est ad aliquid, reponitur sub genere boni, & honesti, quæ ad aliquid non sunt. iis adde, quòd uirtus, cum sit ad aliquid, reponitur tamen in prædicamento qualitatis potius quàm relationis. Hanc autem instantiam dissoluit Alexander, quoniam ea non sunt

instãtia à philosopho aduersus hunc locum allata.

huius instantię dissolutio.

genera uirtutis: bonum enim non est eius genus, quia æquiuocum est: honestum autem non est eius genus, quia uirtus prior est honestis actionibus, quæ secundum ipsam sunt, quoniam autem primo est habitus quidam per se, deinde ad aliud refertur; ideo sub genere qualitatis potius reponitur, quàm sub genere relationis.

locus iste est cõstructiuus, & destructiuus.

Est autem hic locus solum destructiuus, non etiam constructiuus: neque enim si utra assumpta sunt ad aliquid, oportet alterum esse alterius genus.

LOCVS QVADRAGESIMVSSECVNDVS.

locus quadragesimussecũdus secundus est ex relatiuis.

Rursus si non ad idem. Hic est secundus locus sumptus ex relatiuis, cuius ratio talis est, ad quod refertur species secundum se; ad idem referri debet & secundum genus, & secundum superiora genera. Exempli causa, quoniam duplum secundum se refertur ad dimidium: igitur & secundum suum genus, nempe multiplex ad idem dimidium referetur: duplum enim est dimidii duplum, & est eiusdem multiplex: sed præterea & secundum superiora ad idem referri debet, quoniam igitur excedens est genus multiplicis (excedens enim non solum de multiplici dicitur, sed de quocunque alio maiori) ideo duplum etiam secundum hoc genus referetur ad dimidium. dicitur enim duplũ dimidium excedens: locus igitur erit, si species posita sub asignato genere ad aliquid sit: ad idem autem non referatur secundum se, & secundum positum genus etiã secundũ eius genera: asignatum genus non erit uere genus. hoc modo ostenderemus potentiam non esse genus uisionis, quoniam uisio secundum se ipsam ad uisibile refertur: secundum potentiam autem ad idem non potest referri, neque enim dicitur uisio ipsius uisibilis potentia: eodem modo ostenderemus, quòd neque habitus est uisionis genus, ex eo autem, quòd secundum superiora genera ad idem non referatur, ostenderemus uisionem non esse scientiam, quoniam etsi uisio secundum scientiam ad uisibile referri posit, ad ipsum tamen non refertur secundum genus scientiæ, neque enim secundum habitum, qui est scientiæ genus, ad uisibile refertur.

instantia aduersus hũc locum à philosopho allata.

huius instantię dissolutio.

Adversus hunc locum instantiam affert philosophus, quòd non uidetur necesse, quòd species, quæ est ad aliquid, ad idem referatur & secundum se, & secundum genus. scientia enim secundum se ad scibile refertur, ad quod tamen non refertur secundum habitum, qui est scientiæ genus. neque enim dicitur scientia habitus scibilis, sed habitus animæ. hanc instantiam dissoluit Alexander, quoniam duplex uidetur esse habitus, & habentis, & habiti. quòd si hæc multiplicitas distinguatur, scientia ad scibile referetur etiam secundum habitum.

LOCVS QVADRAGESIMVSTERTIVS.

locus quadragesimustertius est tertius ex relatiuis.

Rursus si similiter dicitur genus. Hic est tertius locus sumptus ex relatiuis, qui talis est, si non similiter secundum casum dicatur species, & eius positum genus, illud non erit uere genus: & ratio est, quoniam & genus, & species similiter secundum casum referri debent ad sua correlatiua, uel scilicet utraque secundum genitiuum, uel utraque secundum datiuum, uel secundum alium casum, ut si duplum secundum genitiuum refertur ad dimidium, dicitur enim dimidii duplum etiam multiplex, quod est eius genus, dicetur submultiplicis multiplex: pariter quoque scientia, & existimatio, & habitus secundum eũdem casum referri debent. Ex hoc igitur loco ostenderemus additionem nõ

esse

esse genus auctionis, quoniam auctio secundum genitiuum refertur: additio uero secundum datiuum.

ADVERSVS etiam hunc locum instantiam affert philosophus, neque enim in omnibus ita se habet, quòd genus, & species secundum similes casus referantur. contrarium enim secundum datiuum refertur, diuersum autem quod est eius genus secundum ablatiuum: dicitur enim diuersum à diuerso: diuersum est autem diuersum eius genus, quoniam comprehendit & contrarium, & differens. aduersus hũc locum instantia à philosopho allata.

NOTANDVM autem est, quòd hæ instantiæ, quas affert philosophus, etsi ab ipso non soluantur, non tamen destruunt locos, sed sunt exceptiones quædam locorum, quibus seruatis loci postea ueriores redduntur. quid notãdũ.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Rursus si similiter ad aliquid secundum casus. HIC est quartus locus sumptus ex relatiuis, qui talis est, si ea, ad quæ referuntur genus, & species, non secundum similes casus conuertuntur, propositum genus non erit genus. pro huius autem loci intellectione sciendum est ex prædicamentis relatiua semper ad conuertentiam dici, sicut enim pater dicitur filii pater, ita conuersim filius dicitur patris filius. quandoque autem eisdem casibus referuntur, quandoque diuersis eisdem casibus referuntur, ut dimidium dupli dimidium duplum, dimidii duplum: item maius minori maius, & minus maiori minus: diuersis uero casibus referuntur, ut scientia scibilis dicitur scientia, scibile uero dicitur scientia scibile: & opinio opinabilis opinio: opinabile uero opinione opinabile. ita igitur fit, ut quandoque diuersis quidem casibus conuertatur relatiuum generis, & speciei. quàm genus, & species ad ipsa referantur: semper tamen illud uerum est, quo casu conuertitur relatiuum generis, eodem casu conuertitur & relatiuum speciei. & si enim scibile non referatur, ad scientiam eo casu, quo scientia ad scibile: neque existimabile ad existimationem eo casu, quo existimatio ad existimabile; scibile tamen eodem casu refertur, quo existimabile, quoniam existimatio est sciẽtiæ genus. si igitur hic conuertendi modus alicubi non fit, genus non erit recte positum. hoc modo ostenderemus excedens non esse genus maioris, quoniam eorum correlatiua non secundum similes casus conuertuntur: minus enim dicitur maiori minus; excessum uero ab excedente excessum. locus quadragesimusquartus est quartus ex relatiuis. relatiua semper ad cõuertentiam dicũtur. exemplum. si hic conuertendi modus nõ fit, destruetur.

HIC Strato philosophus adiecit locum quendam huic consimilem, qui quidem talis est, si positum genus, & posita species eisdem quidem casibus referantur: eorum autem, ad quæ referuntur, alterum quidem conuertatur, alterum autem non: positum genus non erit uere genus. exempli causa, si quis diceret defectionis genus esse indigentiam, utrunque quidem eorum refertur secundum eundem casum. dicitur enim defectio excessus defectio, & indigentia sufficientis indigentia: sed hæc utraque non conuertuntur, quoniã excessus dicitur defectionis excessus: sufficiens autem non conuertitur ad indigentiam: quare indigentia non erit genus defectionis, sed existimans Strato id se inuenisse, quod Aristotelem fugisset, non animaduertit se in maximum errorem incidere, quòd scilicet omnia relatiua ad conuertentiam non dicantur. sui autem erroris causa fuit, quoniam non recte supponit indigentiam referri ad sufficiens: neque enim indigentia refertur ad sufficiens, sed ad indigens. quidã philosophus nomine Strato hic locum nouũ adiecerat: sed admodum errauit. hæc exempla non conuertũtur.

LOCVS QVADRAGESIMVSQVINTVS.

locus quadragesimus quintus est quintus ex relatiuis. exemplum.

Rursus si non ad æqualia. Hic est quintus locus desumptus ex relatiuis, si secundum plures casus referatur species, & eisdem modis nō referatur genus, uel è contra, illud non erit uerum genus. Et ratio est, quoniam species, & genus æqualiter referri debent ad sua correlatiua. ex relatiuis enim quædam secundum unum tantum casum referuntur, ut duplum ad dimidium refertur solum per genitiunm: aliæ uero secundum plures casus referuntur, ut excedens ad excessum. dupliciter dicitur & secundum accusatiuum, & secundum genitiuum: si igitur genus, & species non æqualiter referantur, genus non erit recte positum. hoc modo ostenderemus appetitum non esse genus iræ, quoniam appetitus secundum genitiuum tantum refertur: dicitur enim appetitus appetibilis appetitus: ira autē dupliciter dicitur & alicuius,& alicui.

hic locus probabilis est tantum, non autem uerus.

Hic locus probabilis solum esse uidetur, non etiam uerus. sunt enim quædam genera, quæ non æqualiter referuntur, sicuti suæ species. duplum enim, & multiplex solum secundum genitiuum referuntur: maius autem quod est eius genus, & secundum ablatiuum, & secundum nominatiuum refertur. dicitur enim maius minori, & quàm minus maius.

LOCVS QVADRAGESIMVSSEXTVS.

locus quadragesimussextus est sextus ex relatiuis. quidnam sit intelligendū per oppositū.

Videndum autem & si oppositi. Hic est sextus locus sumptus ex relatiuis, si positum genus, & eius species sint ad aliquid, & opposita species non sit in opposito genere; neque proposita species erit in proposito genere: per oppositum autem intelligendum est id, ad quod refertur species, & genus: quoniam igitur submultiplex est genus dimidii, ideo & multiplex erit genus dupli: & quoniam existimabile est genus scibilis, ideo & existimatio est genus scientiæ. Destrueremus autem sensum esse genus scientiæ, quoniam sensibile non est genus scibilis: multa enim sunt scibilia, quæ non sunt sensibilia. erit igitur hic locus & constructiuus, & destructiuus.

LOCVS QVADRAGESIMVSSEPTIMVS.

locus quadragesimus septimus est septimus ex relatiuis. diuisio relatiuorum.

Quoniam autem eorum, quæ ad aliquid dicuntur. Hic est septimus locus sumptus ex relatiuis, pro cuius intellectione præmittenda est diuisio quædam relatiuorum.

Relatiuorum igitur quædam in his necessario sunt, ad quæ referuntur: quædam non sunt necessario in illis, possunt tamen in illis esse: quædam in his nullo pacto esse possunt. Necessario in his sunt, ad quæ referuntur, sicuti compositio. refertur enim compositio ad compositum, atque in composito necessario est. eodem modo & συμμετρία ad symmetrum refertur: atque in eo necessario reperitur: ita quoque & mansio est in manente, & habitus in habente. In his autem, ad quæ referuntur, non necessario sunt: possunt tamē in illis esse, sicuti scientia: refertur enim scientia ad scibile, & est in anima. si igitur anima scibilis sit, & ad hoc scibile scientia referatur; tunc scientia in eo erit, ad quod refertur. si autem scientia ad aliud quid scibile referatur; tunc in eo non erit ad quod refertur: neque enim omne scibile est anima, ut scientia rerum geometricarum, ad ea quidem scibilia refertur, quorum est, non tamen in illis est, quia omnis scientia est in anima. In his uero, ad quæ referuntur, nullo modo esse possunt, sicuti contrarium. refertur enim ad cō-

exemplum.

trarium:

trarium: at in eo nullo modo esse potest, quia simul essent contraria: ita & duplum refertur ad dimidium, & in eo nullo modo potest esse. hac igitur relatiuorum diuisione supposita locus est, species, & genus eodem modo se habere debent, uel scilicet quòd utrunque necessario sit in his, ad quæ referuntur, uel utrunque possit, uel neutrum possit esse. uidemus enim hoc in omnibus se habere, ut quoniam symmetria necessario est in his, ad quæ refertur, etiam proportio, quæ est eius genus, eiusmodi est: & quoniam habitus talis est, etiam dispositio, quæ est eius genus, talis est: rursus quoniam scientia in his esse potest, ad quæ refertur; ideo & existimatio, quæ est eius genus, talis est: & quoniam sensus huiusmodi est, susceptio etiam ἀντίληψις à græcis dicta, quæ est eius genus, eiusmodi erit: & quoniam duplum in eo esse non potest, ad quod refertur, nempe in dimidio, neque multiplex poterit esse in submultiplici. his igitur positis si posita species in eo necessario sit, ad quod refertur, uel in eo esse possit, uel in eo esse nõ possit. genus uero assignatũ tale nõ sit, non erit uere genus. ita igitur ostenderemus mansionẽ non esse genus memoriæ, sicuti quidam censent definientes memoriam esse mansionẽ scientiæ, eo quòd mansio eiusmodi est, quòd in eo necessario est, ad quod refertur. est enim in manente, memoria autem non est in eo, ad quod refertur, sed est in animà: memoria autem non ad animã refertur, sed ad memorabile. pariter ostẽderemus, quòd cupiditas, quã græci dicunt ὁρμὴν non est genus perturbationis, quam appellant πάθος, sicuti censent, qui definiunt perturbationem esse cupiditatem irrationalem, quoniam cupiditas ad concupiscibile refertur, non est autem in concupiscibili, sed in anima. perturbatio autẽ ad perturbatum refertur, & in eo est, quare rationabilius dicere uidentur, qui definiunt perturbationem esse motum animæ ad delectabile, aut tristabile; sicut enim perturbatio est in perturbato, ad quod etiam refertur, ita & motus semper est in moto, ad quod etiam relatiue dicitur. — exemplum. — quomodo hic locus explicetur.

NOTAT autem philosophus hunc locum non solum quæstionibus generis conuenire, sed etiam quæstionibus accidentis, sicut enim ostensum est destrui quæstionem generis, eodem pacto destruetur quæstio accidentis. si enim positum sit mansionem scientiæ memoriæ accidere, quoniam omnis mansio est in eo, ad quod refertur. erit igitur mansio in scientia: quare & memoria esset in scientia, quod falsum est, quia memoria est in anima. — locus iste nõ solum quæstionibus generis, sed & quæstionibus accidentis est aptus.

LOCVS QVADRAGESIMVSOCTAVVS.

Rursus si habitum in actu posuit. DESVMITVR hic locus ab habitu, & actu, & est, habitus non potest esse genus actus, neque actus habitus. si quis igitur ponat aut habitum esse genus actus, aut actum habitus, non recte ponet. hoc modo ostenderemus motum non esse genus sensus, quoniam sensus est habitus, motus autem est actus. hoc quoque modo redargueremus opinionem dicentium memoriam esse habitum comprehensiuum opinionum, quoniam memoria actus est non habitus: nihil enim aliud esse uidetur memoria, quàm recordandi actus. — locus quadragesimusoctauus ab habitu & actu. exemplum.

LOCVS QVADRAGESIMVSNONVS.

Peccant autem & qui habitum. DESVMITVR hic locus à potentia consequente loco generis, & est, potentia consequens habitum aliquem non potest poni pro eius genere. est autem potentia consequens habitum ueluti mansuetudinem, — locus quadragesimusnonus à potentia consequẽte loco generis.

mansuetudinem, quæ est habitus consequitur posse immoderatam iram cohibere, si aliquando incidat. si quis igitur diceret mansuetudinis genus esse continentiam iræ, non recte asignaret genus: neque enim potentia consequens potest poni loco generis, quia genus semper est inseparabile, & in substantia rei. continentia autem iræ non est inseparabilis à mansuetudine, sed tunc ei inest, quando incidit ira immoderata, quo quidem tempore neque proprie est mansuetudo, cum mansuetudo sit huiusmodi iræ priuatio; pariter ostenderemus continentiã timoris non esse genus fortitudinis, neque cõtinentiam lucri esse genus iustitiæ. fortis enim proprie est timoris expers, & iustus omnino à lucro abstinet: ad has tamen uirtutes potentiæ illæ ex suppositione cõsequuntur, quòd si quando incidat timorem, fortis uir ipsum cohibet, & uir iustus: si quando incidat lucri cupiditatem, ipsam coercet. cum igitur genus in quid prædicetur, hæ autem potentiæ habitus suos ex suppositione consequantur, non igitur possunt poni loco generis.

LOCVS QVINQVAGESIMVS.

locus quinquagesimus à quomodocunque cõsequẽti loco generis. exemplum.

Aliquoties autem, & quod sequitur quod his modo. DESVMITVR hic locus à quomodocunque consequenti loco generis, & est: consequens, quomodocunque habitum aliquem non potest esse eius genus, quoniam igitur ad iram consequitur tristitia. iratus enim tristatur, si quis poneret tristitiam esse genus iræ, aberraret; neque enim ad iram ita consequitur tristitia, sicut ad speciem consequitur genus: tristitia enim tempore præcedit iram. qui enim tristatur, quoniam existimat se iniuria affici, irascitur. genus autem nunquam tempore præcedit speciem: neque enim prius efficitur animal, & ex eo deinde homo: quare ira non erit simpliciter tristitia, idest tristitia non erit in eius essentia, neque erit eius genus. eodem modo delinqueret, qui diceret existimationem esse genus fidei: consequitur quidem existimatio fidem. si quis enim credit, idem etiam existimat, non tamen est eius genus, quoniam eadem existimatio potest esse cũ fide, & sine fide. nihil enim prohibet, ut quis eandem habens de aliquo existimationem, ut quòd anima sit immortalis, aliquando ei credat: deinde uero ob rationes aliquas non credat. hoc autẽ in genere non contingit; neque enim idem animal potest aliquando esse homo, aliquando non. aut idem color aliquando est albus, aliquando non; destruitur enim genus, quod in unoquoque est ipso destructo. atque hæc ratio superiori etiam exemplo de ira, & tristitia aptari potest. contingit enim aliquem eandem habere tristitiam & cum ira, & sine ira. Addit autem philosophus, quòd si quis hoc nollet concedere, quòd habens eandem existimationem, posit aliquando habere fidem, aliquando non habere: sed uelit, quòd qui eandem habet existimationem, omnino credat. hoc etiam pacto concedet existimationem non esse fidei genus, quoniam hoc modo existimatio esset æqualis fidei: genus autem semper est specie communius.

quòd erraret qui ponit existimationẽ esse genus fidei & quare.

nõ contingere in genere id quod in exemplo contingit.

LOCVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS.

locus quinquagesimus à subiecto. exemplum.

Videndum autem etsi in aliquo eodem etc. DESVMITVR hic locus à subiecto, & est, quòd generis, & speciei idem debet esse subiectum, ut in quo subiecto est albedo in eodem est color: utrunque enim est in corpore; & in quo est grammatica, in eodem est scientia: utrunque enim est in anima. si igitur genus asignatum non sit in eodem subiecto, in quo species non erit uere genus:

nus: ita ostenderemus timorem non esse genus pudoris, quoniam timor est in passibili animæ parte: pudor autem in rationali, pariter neque tristitia erit genus iræ, quoniam tristitia est in concupiscibili parte, quod ex eo probatur, quoniam eius contrarium nempe uoluptas in eadem parte est: ira autem est in irascibili: ita neque uoluntas erit amicitiæ genus, cum uoluntas sit in rationali, amicitia in concupiscibili: neque fortitudo erit scientia, cum fortitudo sit in irascibili, scientia in rationali.

ADMONET autem Aristoteles hunc locum quæstionibus etiam accidentis conuenire: nam & accidens, & id, cui accidit, in eodem subiecto esse uidentur: in quo enim reperitur ira, in eodem reperitur feruor sanguinis, qui iræ est accidens, & in quo reperitur superficies, in eodem reperitur color, qui est accidens superficiei. hoc autem est intelligendum, ut Alexander annotauit de illis accidentibus, quorum in aliis quibusdam sunt, sicuti sunt ea, quæ attulimus. si igitur ponatur aliquod esse accidens alicuius, & in eodem utrunque non sit accidens, & id, cui accidit illud, non erit eius accidens. hoc modo ostenderemus pallorem non esse accidens timoris, neque ruborem esse accidens pudoris, quoniam rubor, & pallor sunt in superficie: pudor autem, & timor sunt in anima. non igitur illa sunt accidentia, sed consequentia quædam ad has passiones. hic locus etiã aptari potest quæstionibus accidentis. de quibusdã accidentibus sit intelligendum.

SED dubitat Alexander, quomodo dictum sit à philosopho pudorem esse in parte animæ rationali; cum enim pudor sit passio quædam, passiones autem sint in passibili animæ parte, non igitur erit in rationali. soluit Alexander: quòd forte philosophus communius usus est exemplo, uel quòd per pudorem intelligit reuerentiam, quæ cum ratione esse uidetur: additq́;, quòd quamuis pudor non ponatur in parte rationali, sed in concupiscibili, non tamen timor erit eius genus, cum sit in irascibili. dubitatio Alexandri. solutio. quid addat Alexander.

LOCUS QUINQUAGESIMUS SECUDUS.

Rursus si secundum quid species. DESUMITUR hic locus à participatione secundum quid; & est, species non potest participare generis secundum quid. dictum enim fuit initio secundi libri ab accidente non conuerti appellationem, sicut ab aliis prædicatis, quoniam solum accidens inest secundum partem: alia autem prædicata non possunt inesse alicui secundum partem. si igitur positum genus insit speciei secundum quid, non erit uerum genus. hoc modo ostenderemus sensibile non esse genus animalis, quoniam animal secundum quid est sensibile, nempe secundum corpus: secundum autem animam non est sensibile, quia anima sub sensum non cadit: eadem ratione neque uisibile erit animalis genus. locus quinquagesimus secũdus à participatione secũdum quid. & ratio, quoniam ab accidente solum non conuertatur appellatio.

LOCUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

Latent autem quandoque. DESUMITUR hic locus à parte loco generis: & est, pars non potest esse genus sui totius: & ratio est, quoniam genus prædicatur de eo, cuius est genus, pars autem non prædicatur de suo toto: non igitur pars potest esse genus sui totius: ita igitur ostenderemus corpus non esse genus animalis, quoniam est eius pars: ita neque cælum erit terra humore consperſa, quoniam terra est eius pars. locus quinquagesimus tertius à parte loco generis.

HIC autem est annotandum hunc locum intelligi debere de parte integrali, non autem de parte essentiali. genus enim semper est pars essentialis eius, cuius de quanã parte hic locus intelligatur. exemplum.

cuius est genus, sicut animal hominis: sed nunquam est pars integralis: atque hic est, quòd hoc exemplum positum ab Aristotele non est exactum, quoniam corpus non est pars integralis animalis, sed est pars eius essentialis, atque ideo nihil prohibet, quòd sit eius genus.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS.

locus quinquagesimus quartus à malo posito sub potentia.

Videndum autem, si quid uituperandorum. DESVMITVR hic locus à malo posito sub potentia: et est, potentia non potest esse genus alicuius uituperabilis, aut euitabilis: & ratio est, quoniam omnis potentia natura bona esse uidetur: bonum autem non potest esse mali genus. si quis igitur furem definiret, quòd est is, qui potentiam habet aliena clam surripiendi; aut definiret calumniatorem, quòd est is, qui potentiam habet calumniandi, & amicos inimicos reddendi; aut definire sophistam, quod est is, qui potentiam habet ex apparenti sapientia pecunias comparare, ex hoc loco redargueretur: nullus enim horum talis est propter potentiam, sed propter electionem. nam & Deus, & sapientes uiri mala possunt, non tamen ea agunt, quoniam scilicet non eligunt ea agere: non igitur potentia potest esse alicuius mali genus. Probat præterea philosophus potentiam non esse alicuius mali genus, quoniam omnis potentia est eligibilis: probus enim ille est, qui mala quidem potest efficere, non tamen eligit efficere: qui autem mala non potest efficere, non propterea probus censendus est, quia non efficit. Aliam rationem addit Alexander ad probandum, quòd potentia bona sit, quoniam contrariorum eadem est potentia, bonorum igitur, & malorum eadem erit potentia, quòd si bonorum potentia bona est, malorũ quoque potentia bona erit.

quomodo pbet philosophus potentiam non esse alicuius mali genus.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

locus quinquagesimus quintus à pter se sub potentia.

Et si quid propter se honorabilium. DESVMITVR hic locus à propter se bono sub potentia: et est, potentia non potest esse genus alicuius honorabilis, & eligibilis propter se. cum enim bona, ut alias diximus, quædam sint honorabilia, quædam laudabilia, quædam utilia, quædam potestates. duo illa priora intelligit philosophus, cum dicit honorabilia, & eligibilia propter se. cum igitur omnis potentia sit propter aliud eligibilis, nempe propter illud, ad quod dicitur: nullum autem eorum, quæ sunt propter se eligibilia, sit propter aliud: non igitur potentia erit genus alicuius eorum. si enim genus alicuius sit propter aliud, oportet ipsum quoque talem existere. si quis igitur diceret prudentiam esse potentiam effectiuam boni, ex hoc loco redargueretur, quoniã poneret potentiam esse genus eligibilis propter se. eadem autem est ratio de potentia potente, & effectiuo. Notat autem Alexander, quòd nullum quidẽ propter aliud potest esse genus alicuius propter se, non tamen omnium eorum, quæ sunt propter se, genera sunt propter se. uirtutis enim, quæ est eligibilis propter se, genus est habitus, qui propter se non est eligibilis: quia si esset eligibilis propter se, etiam uitiũ, quod est species habitus, esset eligibile propter se. dicit tamen, quòd possumus etiam dicere habitum, qui est uirtutis genus, esse eligibile propter se: si scilicet consideremus habitum, non prout commune quoddam in pluribus repertum, sed qui est in ipsa uirtute.

honorum diuisio quadruplex.

omnis potentia propter aliud est eligibilis & propter quodnã.

notat Alexander quod nullum propter aliud potest esse genus alicuius propter se, non tamen omnium eorum, quæ sunt propter se genera sunt propter se.

LOCVS

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEXTVS.

Aut si quid eorum, quæ sunt in duobus generibus. DESVMITVR hic locus ab altero genere: et est, cum aliquod sub duobus generibus simul ponitur, non potest sub altero eorum tantum poni, exempli causa, quoniam impostor sub duobus generibus est: est enim talis, & quia potest talia facere, & quia eligit, neque enim qui solum potest, aut qui solum eligit talia facere, impostor dicitur. eodem modo se habet & calumniator. si quis igitur horum aliquod, quæ in duobus generibus sunt, in altero eorũ ponat, non recte ponet. SED dubitaret quis, quomodo aliquid in duobus generibus esse possit, quæ neque subalterna sunt, neque in communi proximo genere sunt. talia enim sunt hæc genera electio & positio, quia neque subalterna sunt, neque sub cõmuni proximo genere sunt: sed in anteprædicamentis, & in primo Topicorum capite decimo tertio dictum fuit esse impossibile aliquid esse sub duobus generibus non subalternis, nisi illa genera sint sub communi proximo genere. Soluit Alexander quòd hæc etiam sunt sub communi proximo genere, sed tale genus ex his utrisque compositum est innominatum. multa enim sunt genera nomen unum non habentia.

locus quinquagesimus sextus ab altero genere.

dubitatio.

dubitationis solutio.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

Insuper aliquoties è conuerso genus quidem etc. HIC locus est, quòd differentia non debet poni loco generis, & genus loco differentiæ. Differt autem hic locus à decimo sexto, in quo dicebatur, quòd differentia non est ponenda loco generis, quoniam hic loquitur non simpliciter, quando differentia ponitur loco generis, sed quando simul genus ponitur loco differentiæ. in hũc autem errorem incidunt, qui definiunt stuporem esse excessum admirationis: neque enim excessus est genus stuporis, sed admiratio: excessus autem est differentia. eorum enim qui admirantur, alii secundum excessum admirãtur, quod stupentes dicuntur: alii uero mediocriter. cõsimiliter delinquunt, qui definiunt fidem esse uehementiam existimationis: accipiunt enim uehementiam loco generis, & existimationem loco differentiæ, cum è contra sit existimatio genus: uehementia uero differentia. existimationum enim aliæ sunt uehementes, & hæ dicuntur fides, aliæ sunt mediocres.

locus quinquagesimus septimus, quod differentia nõ debet poni loco generis, neque genus loco differẽtiæ.

QVOD autem excessus, & uehementia non sint genera, sicuti in his definitionibus ponuntur: probat philosophus duabus rationibus deducentibus ad impossibile, quarum prima hæc est, si excessus, & uehementia sint genera stuporis, & fidei, sequeretur ipsum stuporem obstupescere, & fidem credere: hæc consequentia probatur, quoniam excessus, & uehementia in illis sunt, quorum esse dicuntur, ut excessus dulcedinis est in dulcedine: excessus albedinis in albedine: ita & uehementia spiritus est in spiritu: & uehementia motus est in motu: ita igitur & excessus admirationis erit in admiratione, & uehementia existimationis erit in existimatione. si igitur stupor est excessus admirationis, ergo stupor erit in admiratione; & si fides est uehementia existimationis, ergo fides erit in existimatione. quare admiratio obstupescet,

duabus rationibus probatur quod excessus & uehementia nõ sunt genera.

& existimatio credet: in quo enim est stupor illud obstupescit, & in quo est fides, illud credit. impossibile autem est admirationem obstupescere, aut existimationem credere: non igitur excessus est genus stuporis, aut uehementia fidei.

SECVNDA ratio, qua probat philosophus hæc non esse genera: talis est, si hæc essent genera sequeretur reperiri excessum excedentem, & uehementiã uehementem, quod est absurdissimum. Consequentia autem probatur, stupor enim quidam est excedens, & quidam moderatus. si igitur stupor est excessus, ergo erit quidam excessus excedens. pariter quoniam fides quædam est uehemens, quædam remissa: si fides est uehementia, erit igitur uehementia uehemens. nihil autem à se ipso sumit denominationẽ: neque enim sciẽtia dicitur sciens, neque motus dicitur moueri, neque albedo dicitur alba; sed semper accidentia denominant subiectum, in quo reperiuntur: scientia denominat suum subiectum sciens, & albedo denominat suum subiectum album. si autem aliquod accidens se ipsum denominaret, fieret processus in infinitum, ut si esset uehementiæ uehementia illius rursus esset uehementia: atque ita in infinitum. ita igitur patet excessum non esse genus stuporis, neque uehementiam fidei.

nihil à seipso unquam denominationẽ sumit.

LOCVS QVINQVAGESIMVS OCTAVVS.

locus quinquagesimus octauus à subiecto passionis.

Quandoque autem peccant etc. HIC locus est à subiecto passionis: Et est, subiectum non potest esse genus suæ passionis: per passionem autem intelligere debemus accidens proprium: ita igitur ostenderemus corpus non esse genus coloris, quoniam est eius subiectum, & quòd anima non est genus scientiæ appetitus, tristitiæ, aut iræ. Ex hoc loco redargui dicit philosophus sententiam eorum, qui definiunt immortalitatem esse uitam æternam: neque enim uita potest esse genus immortalitatis, cum sit eius subiectum. quòd autem immortalitas sit passio uitæ, probat philosophus suppositione quadam utens: si enim fingamus aliquid ex mortali immortale fieri posse (quod tamẽ est impossibile) tale non assumet aliam uitam, sed accidens quoddam. eadem enim uita secundum accidens mutata fiet immortalis. est igitur immortalitas uitæ passio, quare non potest esse eius species.

quid per passionem intelligatur.

quod errant qui definiunt immortalitatem esse uitã æternam.

NOTAT autem Alexander, quòd etsi immortalitas non sit passio uitæ, est enim potius eius differentia, quia uita alia est immortalis, sicuti Dei, alia mortalis, ut hominum: non propterea tamen locus infirmatur. quæcunque enim erit passio, aut accidens alicuius subiecti, non poterit esse eius species; signum autem, quòd aliquid sit passio, & non species assignati generis, est quòd ipsum genus idem permanens secundum eam passionem potest transmutari, quod in genere non contingit, sicuti superius in loco quinquagesimo dictum fuit. Quamuis autem immortalitas sit differentia uitæ, non propterea uita recte assignatur eius genus. dictum enim fuit superius in loco decimoseptimo differentiam non posse poni pro specie.

LOCVS QVINQVAGESIMVS NONVS.

locus quinquagesimus nonus, primũ uidendum est quid differat hic locus à superiori.

Rursum si passionis, cuius est passio illud genus esse dicunt. HIC primo uidẽdum est, quidnam differat hic locus à præcedente: uidetur enim idem omnino esse cũ eo: nam & hic dicit subiectum non posse esse genus suæ passionis. Dicit Alexander

xander hunc ab eo differre ſolummodo, quoniam in eo ſimpliciter dicitur ſubiectum non poſſe eſſe genus paſsionis. hic autem dicitur ſubiectum non poſſe eſſe genus paſsionis, cuius eſt ſubiectum. ſed præterea longe melius dicit Alexander hos locos non ſolummodo & dictione differre, ſed & re: quòd ſcilicet prior eſt, quando quis ponit paſsionem eſſe ſpeciem ſubiecti, neſciẽs illam eſſe paſsionem eius ſubiecti. hic autem eſt, quando quis ponit paſsionem eſſe ſpeciem ſui ſubiecti, ſciens illam eſſe eius paſsionem. & propterea in ſuperiori loco ſatis fuit philoſopho oſtendere immortalitatem eſſe paſsionem uitæ, quod ignorabant illi, qui eam ita definiunt: in hoc autem non redarguit eos, qui ponunt uentum in genere aeris ex eo, quòd uentus ſit aeris paſsio. ſupponit enim eos hoc ſcire, ſed probat ſubiectum non poſſe eſſe genus ſuæ paſsionis. exemplum.

Ratio autem, qua probat philoſophus aerem non eſſe genus uenti, talis eſt. Quandiu permanet id, quod ſubſtantiam alicuius conſtituit, tandiu illud permanet, ut quandiu permanet ſubſtantia animata ſenſibilis, quæ eſt in homine, aut in Socrate: tandiu homo aut Socrates permanet. ſed aer ſecundũ eos, qui dicunt ipſum eſſe genus uenti, eius ſubſtantiam conſtituit, quandiu igitur idem aer permanet, tãdiu permanet uentus, ſed idem aer permanet, & cum mouetur, & cum non mouetur. erit igitur uentus & cum mouetur aer, & cum non mouetur, quod eſt falſum. dicitur enim uentus ſolum cum mouetur aer, non igitur uentus eſt aeris genus. quęnam ſit ratio, qua probat philoſophus aerem nõ eſſe genus uenti.

Hoc loco dubitationem proponit Alexander, quòd non recte uidetur redargui ſententiam eorum, qui dicunt uentum eſſe aerem motum ex eo, quòd aer permaneat, & cum mouetur, & cum non mouetur: uentus autem ſolum ſit cum aer mouetur. hæc enim eſſe uidetur natura ſpeciei: animal enim permanet uel ſit rationale, uel ſit irrationale. homo autem ſolum permanet, ſi animal ſit rationale. Pro ſolutione huius difficultatis præmittit Alexander, quòd ipſa genera neque per ſe alicubi ſubſiſtunt, neque in puris, & nudis conceptibus ſunt, ut animi figmenta ſphinx, & centaurus: ſed eorum ſubſiſtentia in his eſt, de quibus prædicantur: quare his deſtructis ipſa quoque deſtruuntur. Dupliciter autem genus poteſt conſiderari, uel prout eſt genus, id eſt à pluribus ſpecie differẽtibus communicatur, uel prout eſt natura quædam, cui accidit ab illis pluribus communicari. ſi conſideratur in eo, quòd eſt genus, ipſum deſtruitur: ſi ceteris omnibus, in quibus reperitur deſtructis, unum tamen numero, uel ſpecie ſuperſit. ſi enim fingamus ſpecies omnes animalis corrumpi, & ſolum humanam ſeruari, animal non amplius erit genus eo, quòd non prædicetur de pluribus ſpecie differentibus. dubitatio, ꝙ non uidetur recte eorum qui dicunt uẽtum eſſe aerẽ motum opinio redargui. dupliciter genus conſideratur.

Si autem conſideretur genus, prout eſt natura quædam, cui uniuerſalitas illa accidit, hæc dupliciter corrumpi poteſt, uel ſimpliciter, uel particulariter. Simpliciter corrumpetur ſi omnia ea, quibus ineſt, corrumpantur: ſi unũ tantum ſeruetur, ipſa quoque ſeruabitur, ut ſi animalia omnia corrumpantur, & unum tantum numero ſeruetur, in eo ſeruabitur ſubſtantia animata ſenſibilis. particulariter autem corrumpetur hæc natura, quando aliquod eorum corrumpitur, in quibus eſt, ut cum corrumpitur Socrates, ſimul cum eo corrumpitur ſubſtantia illa animata ſenſibilis, quæ in ipſo eſt: & quandiu hæc ſeruatur, tandiu illud, in quo eſt, ſeruari neceſſe eſt. His igitur ita ſe habentibus dicit Alexander, quòd ſi aſsignatum genus alicuius, corrupto eo, cuius dicitur eſſe genus, idem particulariter permaneat, tale non erit uerum genus. Si igitur aer ſecundum numerum permanet, & cum ſi conſideretur, ut eſt natura, dupliciter illa natura corrumpi poteſt. exemplum.

mouetur, & cum non mouetur, id eſt & cum eſt uentus, & cum non eſt uentus, non igitur erit genus uenti. ſi enim eſſet eius genus, eo corrupto ſimul cum eo corrumpetur, ſicuti corrupto homine corrumpitur etiam animal, quod in eo eſt. hoc autem de motu dici non poteſt: quare præſtat ponere uentum in genere motus, quàm in genere aeris. Eadem ratione oſtenderemus aquam non eſſe genus undæ, neque aerem uocis.

EXPLANATIO LIBRI V. TOPICORVM ARISTOTELIS.

TRADIDIT philoſophus in quarto libro locos, ex quibus tum conſtruere, tum deſtruere poſſumus quæſtiones generis: in hoc autem quinto conſequẽter tradet locos ad quæſtiones proprii. Merito autem quæſtiones generis præcedunt quæſtiones proprii, & definitionis: quoniam genus eſt communius proprio, & definitione. de pluribus enim dicitur ſpecie differentibus: proprium autem, & definitio uni tantum ſpeciei conueniunt: communiora autem præcedere debent minus communia.

cur in hoc quinto libro tradat locos ad quæſtiones proprii, & quare quæſtiones generis præcedãt quæſtiones proprii, & definitionis.

OSTENDIT autem Alexãder quare quæſtiones generis præcedãt quæſtiones proprii, & quare præcedant quæſtiones definitionis. Demum quare quæſtiones proprii præcedant quæſtiones definitionis. Quare quæſtiones generis præcedant quæſtiones proprii, ratio eſt, quoniam genus eſt eſſentiale rei: proprium autem eſt extra rei ſubſtantiam: præſtantiora autem ſunt ſubſtantialia accidentalibus. quare autem præcedant quæſtiones definitionis, ratio eſt, quoniam ex quibus locis oſtendimus hoc eſſe illius genus, ex eiſdem oſtendimus, quòd genus aſſumptum in definitione ſit uerum genus: & ex quibus genus ſimpliciter deſtruimus, ex eiſdem genus quoque definitionis deſtruimus. quare demum quæſtiones proprii præcedant quæſtiones definitionis, eadem ratio eſt, quoniam loci quæſtionum proprii utiles etiam ſunt quæſtionibus definitionis. plerique enim loci ſunt, ex quibus oſtendimus aliquid non eſſe proprium alicuius, ex quibus etiam poſſumus deſtruere definitionem. Deſtruimus proprium (ſicuti uidebimus) ſi ignotius ſit, quàm ſuum ſubiectum, ut ſi quis diceret ignis propriũ eſſe, eſſe ſimilẽ animæ. Deſtruimus etiam ex eo, quòd æquiuocas uoces contineat, ut ſi quis diceret, proprium eſſe animæ mouere, motus enim multipliciter dicitur. Deſtruimus etiam proprium, ſi cum re non conuertatur, ut ſi quis diceret, proprium eſſe hominis eſſe bipedem: iiſdem etiam locis definitionem deſtruimus.

PRIVSQVAM philoſophus locos explicet, quædam præmittit, quæ pro faciliori intellectione in ſex partes apte diuidi poſſe uidentur. Primo enim propoſita huius libri intentione oſtendit propriũ quadrupliciter dici, & uniuſcuiuſque eorum exempla affert. Secundo docet proprium illud, quod dicitur ad alterum aliquando duo efficere problemata, aliquando quatuor. oſtenditq; quomodo duo efficiantur, & quomodo quatuor. Tertio declarat, quid ſit unumquodque proprium, quid proprium per ſe, quid proprium ad alterũ, quid proprium ſemper, & quid proprium aliquando. Quarto affert diuiſionem quandam proprii ad alterum, quod uel eſt in omnibus, & ſemper, uel in pluribus, & frequenter. Quinto oſtendit, quòd proprium per ſe, proprium ſemper, & proprium ad alterum logicas efficiunt quæſtiones: proprium autem aliquando non; & rationem affert. Sexto quoniam proprium ad aliud multipliciter dicitur, oſtendit quodnam ad hanc tractationem pertineat, & quodnam ad quæſtiones accidentis redigatur. Vnde concludit agendum eſſe in hoc libro de proprio per ſe, & proprio ſemper.

antequam locos explicet ſex præmittit philoſophus.

concluſio philoſophi de quonam ſit agendum.

VT igitur harum unamquanque ſigillatim explicemus, proponit primo philoſophus

quid primo proponat philoſophus.

losophus in hoc libro se tractaturum locos, ex quibus construere, ac destruere possimus: ut aliquid sit alicuius proprium. Dicit autem propriũ quadrupliciter dici uel per se, uel ad alterum, uel semper, uel aliquando. proprium per se est, ut si dicamus hominis esse proprium, quòd sit natura cicur, & mansuetus, additur natura, quoniam quædam etiam ex brutis animalibus sunt mansueta: sed non natura talia sunt, sed assuetudine, aut industria hominũ cicurantur. Proprium ad alterum est, ut si dicamus proprium esse animæ imperare: corporis autem ipsi animæ seruire. tale etiam est, si dicamus proprium esse hominis esse bipedem, respectu scilicet quadrupedum. proprium autem semper est, ut si dicamus proprium esse Dei esse immortalem. proprium aliquando est, ut alicuius hominis in gymnasio deambulare, cum forte aliquo tempore solus in gymnasio deambulet.

Sunt autem proprij, quod ad alterum assignatum. HAEC est secunda pars, in qua philosophus docet proprium ad alterum aliquando efficere duo problemata, aliquãdo quatuor. sed uidẽdũ est, quo proposito hoc doceat philosophus. HOC autem docet, quoniam sibi utile est ad ostendendum proprium ad alterum logicas quæstiones efficere, quod docet in quinta parte: ac proinde in hoc libro debere pertractari. Efficit autem proprium ad alterum aliquãdo duo problemata, aliquando quatuor. Duo quidem problemata fiunt, quando proprium alicui attribuitur, & idem proprium ab altero negatur, ut si dicamus proprium esse hominis esse bipedem: equi autem non esse bipedem. hic enim duo sunt problemata, nempe hominem esse bipedem, & equum non esse bipedem. hoc autem patet, quoniam posset quis aduersus primum problema disputare, ostendendo hominem non esse bipedem: & posse aduersus secundum disputare, ostendendo equum esse bipedem. quatuor autem efficiuntur problemata, quando unum proprium alicui attribuitur, & ab altero negatur: & rursus alterum proprium à primo subiecto negatur, & secundo attribuitur, ut si dicamus hominis esse proprium esse bipedem, non autem esse quadrupedem: equi autem proprium esse, esse quadrupedem, nõ autem bipedem, quod etiam patet. nam aduersus primum problema disputabit quis, si ostendere tentet hominem non esse bipedem, & aduersus secũdum ostendens hominem esse quadrupedem, & aduersus tertium, si probet equum esse bipedem, & aduersus quartum si probet equum non esse quadrupedem.

NOTAT autem hoc in loco Alexander impossibile quidem esse ostendere hominem esse quadrupedem, aut non esse bipedem; nisi quis sophistice hoc ostenderet. Sed hæc exempla attulit philosophus, ut perspicue ostenderet, quomodo ex proprio ad aliud duo efficiantur problemata, & quomodo quatuor.

Est autem per se quidem proprium &c. HAEC est tertia pars, in qua philosophus cum proposuerit proprium quadrupliciter dici, declarat quid sit eorum unũ quodque. Dicit autem proprium per se illud esse, quod ad omnia assignatur, & ab omnibus distinguit, idest quod competit ei, cuius est proprium, non respectu unius, aut alterius, sed respectu omnium: & quòd ipsum ab omnibus separat, & distinguit. tale autem proprium debet inesse soli, & omni, & est quod à Porphirio in quinque uocibus dicitur proprium. quarto modo sicut est proprium hominis esse risibile.

PROPRIVM ad alterum illud est, quod non ab omni separat, sed ab aliquo statuto, idest ab eo respectu, cuius dicitur esse proprium, sicuti dicimus proprium esse hominis esse bipedem respectu equi, aut canis: ita se habere dicit

quid in hac secũda doceat philosophus.

quomõ duo problemata fiant.

exemplum.

quomodo ad uersus primũ ꝓblema quis posset disputare.

quid hoc loco notet Alexander.

quid in hac tertia parte doceat philosophus.

dicit philosophus, si dicamus proprium esse uirtutis respectu scientiæ in pluribus potentiis animæ reperiri: uirtus enim & in rationali animæ parte consistit, & in passibili: neque solum in animali rationali, sed & in brutis, quin & in aliis animatis uirtus reperirur, & præterea in expertibus animæ naturalibus, & artificiosis. sicut enim hominis uirtus est secundum mentem optime operari, ita & equi optime currere, & plantæ optimos fructus ferre, & domus ambientis iniurias optime prohibere: scientia autem solum est in parte animæ rationali, & in rationem habentibus. exemplum.

PROPRIVM semper est, quod per omne tempus uerificatur de suo subiecto, & à quo subiectum nunquam separatur, ut si dicamus proprium esse animalis constare ex anima, & corpore. exemplum.

PROPRIVM aliquando est, quod non per omne tempus uerificatur, neque semper suum subiectum necessario consequitur, ut si dicamus proprium esse alicuius in foro ambulare, cum tunc temporis nullus alius in foro ambulet: quare hoc proprium dicitur, & respectu alicuius temporis, & respectu aliquorum. exemplum.

Est autem ad aliud proprium assignare. HAEC est quarta pars, in qua diuisionē quandam affert philosophus proprii ad alterum; sed hic etiam dignum est inquisitione, quo proposito hoc doceat philosophus, quoniam proprium ad alterum multipliciter dicitur: neque omnino ad hāc tractationem pertinet, ideo ipsum diuidit, ut scilicet paulo post ostendat in ultima scilicet parte, quodnam ad hanc partem pertineat, quod ue sit reiiciendum. dicit autem quòd proprium ad aliud uidetur esse differentia quædam, & quod dupliciter dicitur uel semper & in omnibus, uel aliquando & in pluribus: semper quidem, & in omnibus, ut si dicamus proprium esse hominis respectu equi esse bipedem: nam esse bipedem competit & omni homini, & semper: nulli autem equo, & nunquam conuenit. aliquando autem & in pluribus est, si dicamus rationalis potentiæ proprium esse imperare: appetitiuæ autem obedire. hoc enim non semper inest animæ, sed solum in probis uiris rationalis pars passibilem coercet; in prauis autem, & scelestis contrarium contingit, quod ratio cogitur appetitui famulari. quid in hac quarta parte doceat philosophus. quomodo ꝓprium sit aliquando & in pluribus.

Propriorum autem ea maxime logica sunt. HAEC est quinta pars, in qua docet philosophus, quænam propria ex his, quæ dicta sunt, efficiant logica problemata, ut scilicet ex his quædam accipiat, cetera prætermittat. Dicit autem tria ex illis efficere logica problemata, nempe proprium ad alterum, proprium per se, & proprium semper. proprium quidem ad alterum efficit logica problemata, quoniam illa sunt logica problemata, quæ multa, & ualida suppeditant argumenta. sed talia sunt problemata, quæ efficit proprium ad alterum, quoniam scilicet problemata huius proprii, ut superius dictum fuit, plura sunt, uel scilicet duo, uel quatuor, & uariis modis tractari possunt. proprium autem per se multa etiam suppeditat argumēta, quoniam oportet, ut sit proprium eius, cui attribuitur respectu omnium, & ipsum ab omnibus distinguat. quòd si aliquod sit, à quo non distinguatur, proprium non erit recte assignatum. qui enim dicit risibile esse hominis proprium, oportet, ut probet, quòd & soli, & omni, & semper conueniat. quòd si aliquod horum deficiat, non erit uere propriū. Propriū semper multa etiā suggerit argumēta, secundum scilicet diuersa tempora, præteritum, præsens, & futurum. ut qui dicit proprium hoc modo esse Dei contemplari, probare debet, quòd & secundum præteritum, & secundum præsens, & secundum futurum contempletur. Si enim secundum aliquod tempus ita non sit, propositum destruitur: quid philosophus in hac quinta parte doceat. quare problema logicū nō efficiatur à ꝓprio aliquando.

tur: proprium autem aliquando non efficit logicum problema, quoniam pauca ſuppeditat argumenta. ſolum enim ab uno tempore licet argumentari ad problemata. talis proprii ab eo ſcilicet, in quo ineſſe dicitur ipſum proprium, ut ſi dicamus proprium nunc eſſe Socratis in gymnaſio deambulare, reiicitur igitur hoc proprium à conſideratione dialectici.

quid in ultima parte doceat philoſophus.

Ad alterum igitur proprium dictum ex his &c. IN hac ultima parte oſtendit philoſophus, quænam propria ad hanc pertineant tractationem, & quæ non. Dictum ſuperius fuit in quarta parte proprium ad alterũ dupliciter dici, uel ſemper & in omnibus, uel aliquando & in pluribus. dicit nunc philoſophus, quòd proprium illud ad alterum, quod aliquando dicitur & in pluribus, non ad hanc tractationem pertinet, ſed ad quæſtiones accidentis. ex locis enim, qui traditi ſunt in ſecundo libro, hæ quoque quæſtiones tractantur. dictum autem fuit etiam in primo libro, quòd accidentia plerunque dicuntur propria ad alterum, ſicut igitur probatur album ineſſe corpori ex eo, quòd alicui ineſt, & alicui non ineſt: ita & hoc proprium ad alterum conſtruetur ex eo, quòd aliquibus inſit, & aliquibus non inſit. cum igitur ex quatuor modis proprii duo reiecti ſint nempe proprium aliquando, & proprium ad alterum. ſequitur propria ſolum ſecundum ſe, & ſemper hoc loco debere tractari: nam & illud proprium ad alterum, quod omni ineſt, ſemper ineſt. in hoc igitur libro tradet philoſophus locos, ex quibus tum conſtruere, tum deſtruere poſsimus quæſtiones proprii per ſe, & proprii ſemper.

quid differt prium per ſe à proprio ſemper.

DIFFERT autem proprium per ſe à proprio ſemper, quòd proprium ſemper communius eſt: omne enim proprium per ſe etiam ſemper ineſt, ut ſuſceptiuum ſcientiæ ſemper ineſt homini, non tamen quod ſemper eſt, etiam per ſe eſt. Bipes enim ſemper ineſt homini, non tamen per ſe, quoniam, ut per ſe ſit, oportet etiam, ut ſoli inſit, & omni.

LOCVS PRIMVS.

locus primus pluribus modis deſtrui poteſt propriũ.

Primum quidem ſi bene aſsignatum eſt. PROPONIT philoſophus initio diuiſionem quandam, quæ talis eſt: Pluribus modi deſtrui poteſt ipſum proprium. Primo autem deſtruitur, ſi probetur proprium non bene fuiſſe aſsignatum. Primus autem locus, quo probatur proprium non bene fuiſſe aſſignatum, eſt, ſi notius non ſit ipſo ſubiecto. ſecundus autem eſt, ſi nota non ſit eius inexiſtentia. hic igitur primus locus ad problema proprii ſumptus eſt à notiori: & eſt, proprium debet eſſe notius eo, cuius eſt proprium: & ratio eſt, quoniam proprium ſicut & definitio cognitionis, & doctrinæ gratia aſſignatur. ſi igitur ignotius ſit aſſignatum proprium, quomodo ex eo cognoſcemus ſubiectum, cuius eſt proprium? quare ſi quis proprium aliquod aſſignet, quod ſit ignotius eo, cuius dicitur eſſe proprium, non bene aſſignabit; ut ſiquis diceret ignis eſſe proprium, quòd ſit animæ ſimillimus. hoc enim proprium eſſe inquam animæ ſimile eſt ignotius ipſo igne, non igitur erit eius proprium.

quomodo oſtendat philoſophus hunc locum eſſe cõſtructiuũ, & deſtructiuũ.

INDICAT autem philoſophus hunc locum eſſe conſtructiuum, & deſtructiuum: conſtruens enim probabit aſſignatum proprium eſſe notius ſuo ſubiecto; deſtruens autem probare debet eſſe ignotius: eſt tamen magis deſtructiuus, quàm conſtructiuus; neque enim ad probandum aliquid eſſe proprium ſufficit oſtendere ipſum eſſe ſubiecto notius.

Locus

LOCVS SECVNDVS.

Aliud autem si non notius est hoc huic inesse. HIC est secundus locus sumptus à nota inexistentia: et est, quòd proprii nota debet esse inexistentia, id est notum debet esse ipsum proprium inesse illi, cuius dicitur esse proprium: & ratio est, si notum non sit ipsum proprium non inesse subiecto, neque etiam notum erit, quòd soli, & omni insit: quare continget ipsum proprium ignotum esse, & immanifestum. si quis igitur diceret ignis esse proprium, quòd in eo primo anima nata sit esse, ostenderemus hoc non esse proprium, quoniam ignotum est, utrum anima nata sit in igne esse. Dubium enim non leue est, utrum anima sit in calido innato, aut in spiritu, aut in sanguine, aut in corde: quòd si etiam concedatur animam esse in calido innato, non tamen est notum, utrum in eo primo sit: non igitur hoc proprium erit recte asignatum.

locus secundus à nota in existẽtia. qui nam sit.

dubiũ est utrũ anima sit in calido innato, aut in spiritu, aut in sanguine, aut in corde. dubitatio.

SED dubitaret quis circa exemplum philosophi. neque enim uidetur illud explicare, cuius gratia introducitur, quoniam in hoc exemplo non dubitatur, utrum hoc proprium insit igni, cuius dicitur esse proprium: sed utrum anima igni insit. Dicendum est, quòd cum hoc sit asignatum propriũ, quòd anima in ipso igne sit, si dubitatur, utrum anima ipsi insit, dubitatnr etiam, utrum hoc proprium igni insit.

solutio.

VT autem intelligatur, quomodo dixerint aliqui proprium ignis esse, ut in eo primo sit anima. Sciendum est, quòd per ignem intellexerunt calorem innatum, quem dicunt esse animæ uehiculum: in hoc enim perpetuo esse uidetur anima, & sine ipso nihil operari: frigidum enim mortificum est, & immobilitatis effectiuum: in calido igitur innato est anima motiua, nutritiua, gignitiua, & aliæ animæ potestates, & ipso tanquam organo, quodam utuntur ad nutritiones, auctiones, coctiones, aliasq; motiones, quas in animalibus fieri conspicimus. Est autem innatus calor proprium illud, & substantificum humidum corpori animalis, & eius partibus à natura insitum, atque in eo uelut in proprio subiecto residet anima: & quandiu ipsum conseruatur, tandiu anima corpus regit, & uiuificat. eo uero aut consumpto, aut propriam crasin amittente, anima quoque corpus derelinquit, unde animalis interitus consequitur.

Quid intellexerint illi per ignem proprium esse ignis ut in eo primo sit anima.

quid sit innatus calor.

Verba illa quare cum quoduis horum acciderit obscurum fit proprium. significãt, quod si proprium asignatum fuerit ignotius eo, cuius dicitur esse proprium, non recte erit asignatum, ut in primo loco dictum fuit, si etiam ignota sit eius inexistentia, non recte erit asignatum.

quid significent hæc uerba philosophi.

NOTAT deinde philosophus hos locos utiles etiam quodam modo esse ad construendum. qui enim construere uult proprium, spectare debet, utrum sit notius utroque dictorũ modorum, id est quòd neque sit simpliciter ignotum, neque ignota sit eius inexistentia. si enim & ipsum notum sit, & nota sit eius inexistentia, recte erit asignatum: ne quis autem existimaret hos locos omnino esse utiles ad construendum, ideo admonet philosophus, quòd proprium esse recte asignatum dupliciter intelligi potest uel secundum hoc solum, quòd proprium est notum utroque dictorum modorum, uel simpliciter, id est uniuersaliter, & proprie quatenus, scilicet & soli, & omni, & semper inest, & cum re conuertitur, & omnes illas conditiones habet, ex quibus probatur proprium recte esse asignatum. ex his igitur duobus locis construi poterit proprium secundum hoc solum, non autem simpliciter: attulitq; exemplum philosophus, quomodo secundum hoc ex his duobus lo-

proprium etiã recte asignatũ dupliciter accipitur.

cis construatur proprium, ut si quis diceret proprium animalis esse sensum habere, hic secundum utrunque dictorum modorum proprium recte assignat. nam & proprium hoc est notum, & eius inexistentia pariter est nota, non propterea tamen simpliciter construitur hoc esse animalis proprium. hoc autem modo loquendi in omnibus fere sequentibus locis utitur philosophus.

LOCVS TERTIVS.

locus tertius à multiplicitate proprii quinam sit.

Deinde destruenti quidem, si aliquod nominum. DESVMITVR hic locus à multiplicitate proprii: & est, quòd proprium non debet esse multiplex, quoniam autem proprium uel per simplicem dictionem explicatur, ut cum dicimus proprium esse hominis risibile; uel per orationem, ut cum dicimus propriũ esse hominis esse susceptiuum scientiæ, & disciplinæ: ideo dupliciter potest esse multiplex, uel quoniam per æquiuocam uocem explicetur, ut si dicamus proprium esse alicuius sentire, quoniam sentire dicitur & potentia, & actu. nam & dormiens sentire dicitur uerum potentia, non actu: uigilans autem actu sentit. qui igitur ita diceret, male assignaret proprium. esset enim propter æquiuocationem ignotum, quonam sensu ipsum acciperet. secundo proprium potest esse multiplex, quoniam per ambiguam orationem explicetur, ut si dicamus, proprium esse lupi ipsum canem persequi: ambiguum enim est nunquid eo sensu accipiatur, ut lupus canem persequatur, uel ut canis lupum. proprium autem ignotum esse non debet, cum cognitionis gratia proponatur.

quãdo ꝓpriũ per simplicẽ orationẽ explicatur.

exemplũ. quãdo proprium per ambiguã orationẽ explicatur.

q̃ utitur proprio multipliciter, occasionem elenchi disputãti præbet.

ADDIT autem philosophus, quòd qui affert proprium multiplex, occasionem elenchi disputanti præbet. est autem elenchus, qui redargutio latine dicitur contra disputantem ad contradictionem deducere, id est concedendũ, quod antea negauerat, uel negandum quod antea concesserat. si quis igitur diceret dormientem sentire, quoniam sentire multipliciter dicitur actu, & potentia: nisi hoc ipsum distinguat, facile poterit hoc modo redargui. Dormiens secundum sensum non operatur; qui autem secũdum sensum non operatur, non uidet, dormiens igitur non uidet, non igitur dormiens sentit: si enim sentiret, uideret.

SICVT autem in superioribus locis annotauit philosophus, ipsos esse quodam modo utiles ad construendum: ita & hunc dicit esse utilem ad construendum proprium non quidem simpliciter, sed quoad hoc. dixit autem quoad hoc, quoniam potest quidem assignatum proprium alicuius esse sine ambiguitate, & æquiuocatione: & ideo quantum ad hoc erit recte assignatum. Sed postea ob alias rationes deficiet, quo minus sit uere proprium. quòd igitur construere uult proprium, probare debet assignatum proprium, neque per æquiuocam uocem, neque per ambiguam orationem esse explicatum. ut si quis diceret proprium ignis esse corpus mobilissimum in superiorem locum. neque enim corpus est uox æquiuoca, neque mobilissimum in superiorem locum, neque etiam totum hoc ex his compositum est ambiguum. hoc igitur proprium quantum ad hoc erit recte assignatum.

exemplum.

quid hoc loco ex Theophrasto notet Alexan.

NOTAT autem Alexander: ex Theophrasto intractionem de his, quæ dicuntur multipliciter, quòd aliquando uoces simpliciter per se nullam habentes simplicitatem, compositæ ambiguam efficiunt orationem, quale est illud. Contingat iupiter me aprum interficere: Et Dionem percutere Platonem. hæ enim orationes ambiguæ sunt, cum tamen uoces eas componentes non

sint

sint multiplices: aliquando autem æquiuocæ uoces compositæ simplicem efficiunt orationem, ut si dicamus, aquila uolat, aut canis latrat.

LOCVS QVARTVS.

Deinde destruenti quidem si multipliciter dicitur. Desumitur hic locus à multiplicitate subiecti: & est, quòd subiectum, cuius proprium assignatur, non debet esse multiplex: si quis igitur assignet proprium alicuius subiecti, quod subiectum multipliciter dicatur, neque definiat de quonam significato subiecti dicatur, proprium non recte assignabit: propter quas autem causas non recte fiat talis assignatio, dicit philosophus manifestum esse ex prius dictis. prima quidem causa est, quoniam proprium traditur gratia cognitionis: sed si ambiguum sit, de quonam subiecto dicatur, nullam efficiet cognitionem. Secunda causa est, quoniam qui tale subiectum multiplex proponit sine distinctione, occasionem disputanti præbet, ut redargui possit. assumit autem philosophus in exemplo ἐπίςασθαι, quod plura significat: nam & significat scire, id est habere scientiam, & significat sciri, id est quòd eo habeatur scientia. et utroque modo accipi potest tum actu, tum potestate. de talibus igitur subiectis non sunt assignanda propria, nisi distinguantur, & indicetur, quo significato accipi debeant.

locus quartus à multiplicatiõe subiecti.

ADMONET deinde philosophus hunc locum sicuti & superiores esse utilem ad construendum quoad hoc. si enim subiectum multiplex non sit, tunc proprium quoad hoc erit recte assignatum, ut si dicamus proprium esse hominis, quòd sit animal natura mansuetum.

quomõ hic locus utilis sit ad cõstruendum quo ad hoc.

QVÒD si dicat quis, nonne etiam hoc subiectum, homo, est multiplex? dicendum est, quòd multiplex quidem potest esse, sed hæc oratio non est multiplex. ut enim superius dictum fuit, ex æquiuocis etiam uocibus simplex efficitur oratio.

dubitatio. solutio.

LOCVS QVINTVS.

Deinde destruenti quidem si frequenter dictum est idem. DESVMITVR hic locus à repetitione: & est, quòd in assignatione proprii euitanda est eiusdem rei repetitio. Patet autem hoc intelligi debere, quando proprium per orationem explicatur. Loci autem rationem affert philosophus, quoniam qui in assignatione proprii, sicut & definitionis, eandem rem sæpius ponit, perturbat audientes, unde proprium ignotum, & obscurum redditur: præterea qui hoc committunt, nugari etiam uidentur. horum autem utrunque est euitandum, & ne scilicet proprium sit ignotum, & ne nugari uideamur. Duobus autem modis in assignatione proprii eadem res sæpius ponitur, primo si idem nomen repetatur, ut si quis diceret proprium ignis esse corpus corporum tenuissimum: hic enim corpus sæpius ponitur. secundo quando idem quidem nomen sæpius non ponitur in assignatione proprii, sed ponitur nomen aliquod, in quo continetur nomen prius positum etiam, & quod si definiatur, accidit idem nomen sæpius poni, exempli causa, siquis diceret proprium terræ esse substantiam, quæ secundum naturam maxime omnium corporum in inferiorem locum fertur. hic enim siquis mutet nomen corpus in suam definitionem, accidet eiusdem nominis repetitionem fieri. est autem corpus substantia tripliciter dimensa; quare in hac proprii assignatione sub-

locus quintus à repititione, quinam sit.

duobus modis in assignatione proprii eadem res sæpe assignatur exemplum.

ſtantiæ nomen diſponetur. conſtruens autem ſi oſtendat neutro horum mo dorum eandem rem repeti, quoad hoc proprium recte aſsignabit.

LOCVS SEXTVS.

locus ſextus à tranſcendẽte quinã ſit.

Deinde conſtruenti quidem ſi tale aliquod. Deſumitur hic locus à tranſcendente. Tranſcendentia appellantur ea, quæ ad omnia conſequuntur, ut unum ens, & aliquid. Eſt igitur locus, quòd nullum tranſcendens poni debet in aſsigna tione proprii, ſicuti neque in definitione: & ratio eſt, quoniam proprium illi ſoli ineſſe debet, cuius eſt proprium, & ipſum ab omnibus ſeparare, ſicut & definitio. Tranſcendentia autem, quæ ad omnia conſequuntur, non diſtinguunt ab aliquo: non igitur aſſumi debent in aſsignatione proprii: ſiquis igitur diceret proprium ſcientiæ eſſe exiſtimationem immutabile à ratione unam exiſtentem, non recte aſsignaret, eo quòd aſſumeret unum in hac aſsignatione, quod ad omnia conſequitur, & à nullo diſtinguit. Conſtruens autem ſi nullum tranſcendens aſſumat in aſsignatione proprii quo ad hoc recte aſsignabit, ut ſi quis dicat animalis proprium eſſe animam habere.

exemplum.

quomõ quo ad hoc qui proprium cõ ſtruet.

in ſcripto error ineſt.

Hic autem Alexander dicit ſubeſſe errorem in ſcripto: neque enim ignorauit philoſophus non eſſe proprium animalis habere animam, cum hoc etiã plantis commune ſit. ſed potius debet dicere proprium eſſe animalis eſſe ſenſitiuum. hoc enim ſoli ineſt animali. Debemus igitur ex ſententia Alexandri mutare uerbum ψυχὴν in αἴσθησιν.

quid differt ſciẽtia ab opinione.

Dixit autem philoſophus ſcientiam eſſe immutabilem à ratione, quoniã in hoc differt ſcientia ab opinione, quòd qui opinionem habet ab ea dimoueri poteſt aliquibus rationibus. qui autem habet ſcientiam, quæ per demonſtrationem acquiritur, immutabilis eſt, eo quòd non ſolum ſit rem illã ita eſſe, ſed & eius oppoſitum eſſe impoſsibile.

LOCVS SEPTIMVS.

locus ſeptimus à pluralitate ꝓpriorũ. quinã ſit.

Deinde deſtruenti quidem ſi plura &c. Desumitur hic locus à pluralitate propriorum: & eſt, in aſſignatione proprii plura propria non ſunt ponenda: & affert rationem Ariſtotelis, quòd ſicuti in definitionibus non oportet aliqua aſſumere præter ea, quæ explicant ſubſtantiam rei. Si enim diceremus hominem eſſe animal rationale mortale, latis unguibus recte incedens, male aſsignaremus definitionem: ſuperuacaneum enim eſt illud latis unguibus, & recte incedens. eodem modo & in aſsignando proprio non oportet aliqua aſſumere præter nomen aut orationem proprium explicantem. male igitur quis diceret proprium ignis eſſe corpus tenuiſsimum, & leuiſsimum: alterum enim horum ſuperfluum eſt. eodem modo ſi quis diceret propriũ aquæ eſſe corpus humidum alieno termino optime terminabile, alterum horũ eſſet ſuperfluum. Eſt autem hic locus ſicut & ſuperiores utilis ad conſtruendũ quoad hoc, ut ſi quis dicat humidi eſſe proprium corpus quamcunque figurã facile ſuſcipiens quoad hoc recte aſsignabit, quia ſcilicet nõ poſuit propria plura ſimul.

utilis eſt hic locus ad conſtruendum.

qd ſit aqua.

Est autem aqua, ſicut & alia humida corpora alieno termino bene termi nabilis male proprio, quoniam aqua proprio termino contineri non poteſt: ſed uis habeat, quod ipſam contineat, funditur, & diffluit. bene autem termi

natur

natur alieno termino, quoniam facillime suscipit cuiuscunque continentis figuram, ut si in rotundo uase sit, rotundam accipit figuram, si in quadrato, quadratam.

LOCVS OCTAVVS.

Deinde destruenti quidem si eodem usus est &c. Desvmitvr hic locus à subiecto proprii, uel eius parte: & est, in assignatione proprii non est ponendum subiectum, aut eius pars, subiectum assumeret, si quis diceret hominis proprium esse animal rationale, mortale: scientiæ susceptiuum in hac assignatione assumit ipsummet subiectum. definitio enim, & definitum idem sunt: partem autem subiecti assumeret, si quis diceret proprium esse animalis esse substantiam, cuius species est homo. hic enim assumitur homo, qui est pars eius, cuius proprium assignatur, nempe animalis. Huius loci rationẽ affert philosophus, quoniam proprium assignatur doctrinæ gratia, ut scilicet ex ipso subiectum cognoscatur: at si idem subiectũ in assignatione proprii assumatur, nullam efficiet cognitionem, quoniam idem non potest se ipsum declarare, si etiam subiecti pars assumatur, continget proprium nullam efficere cognitionem, quoniam pars est posterior suo toto, posterius autem est ignotius: posteriora enim ex prioribus fidem accipiunt, non autem priora ex posterioribus. Est autem & hic locus utilis ad construendum quoad hoc. si enim assignans proprium neque ipso subiecto utitur, neque eius parte quoad hoc recte assignauit, ut si quis diceret proprium esse animalis ex anima, & corpore constare. addit philosophus eodem modo, & reliqua esse consideranda. si enim assumpta in assignatione proprii non efficiũt ipsum subiectum notius, proprium non recte fuit assignatum. si autem efficiunt ipsum notius, recte quoad hoc proprium erit assignatum.

locus octauus a subiecto proprii, uel eius parte. quinã sit.

locus iste est utilis ad construendum.

Sed dubitaret quis primo quomodo uerum sit partem esse posteriorẽ suo toto. uidetur enim quòd partes totum præcedant, sicuti partes domus præcedunt domum. Secundo quomodo uerũ sit posterius esse ignotius suo priori. uidetur enim quòd nobis, qui ex effectibus in causarum cognitionem deuenimus, posteriora sint prioribus notiora. Tertia dubitatio incidit circa exemplum philosophi: in hac enim assignatione, quòd proprium animalis sit constare ex anima, & corpore. uidetur assumi pars ipsius subiecti, anima enim & corpus sunt animalis partes. Ad primam dicendum est hoc loco philosophum loqui de parte subiectiua: est autem pars subiectiua, quæ toto uniuersali subiicitur, ut sunt species respectu generis. huiusmodi igitur pars est suo toto posterior: genus enim est prius specie, quia ab eo non conuertitur subsistendi consequentia: atque hinc pariter secunda difficultas dissoluitur: & si enim quandoque contingat partem esse notiorem suo toto, nunquam tamen hoc contingit de parte subiectiua: scientiam enim speciei necessario præcedit sciẽtia generis. Tertia quoque dubitatio dissoluitur, quoniam corpus, & anima non sunt partes subiectiuæ, sed essentiales ipsius animalis. Alexander autem ad hanc dubitationem respondet, quòd sermo est de partibus, quæ sunt posteriores suo toto. corpus autem, & anima non sunt posteriora animali, sed simul sunt cum ipso: neque enim possibile est animal intelligere non simul intellectis corpore, & anima. hæc autem solutio à priori non dissentit.

dubitatio triplex.

solutio.

solutio Alexandri.

LOCVS NONVS.

locus nonus à simul natura quinā sit.

exemplum.

Eodem autem modo & in alijs considerandum est. Hic locus est à simul natura, uel posteriori: etenim, simul aut posterius natura non debet poni in assignatione proprii: & ratio est eadem, quæ fuit superioribus locis, quoniam si in proprio assumatur, simul autem posterius natura non efficiet cognitionem sui subiecti: proprium autē assignatur gratia cognitionis sui subiecti. Si quis igitur diceret boni proprium esse contrarium malo, aberraret, quoniam assumeret aliquod simul natura, contraria enim sunt simul natura. pariter aberraret, si quis diceret proprium esse hominis scientiam suscipere: assumeret enim aliquid posterius subiecto: assumere enim scientiam est posterius homine, licet aptitudo assumendi scientiam posterior non sit: erit autem & hic locus utilis ad construendum quoad hoc.

quænam ex quatuor contrariorū modis sint simul natura & quæ non.

Notat Alexander: quòd ex quatuor modis oppositorum duo sunt simul natura, nempe contraria, & relatiua: alia uero non sunt simul natura, sed affirmatio est prior negatione, & habitus priuatione.

Sed dubitat, quomodo uerus sit locus, quòd scilicet in assignatione proprii non sint ponenda, quæ sunt simul natura, cum relatiuorum definitio, & propria non aliter dentur, quàm per ea, quæ sunt simul natura. esse enim eorum idem est, quòd ad aliud quodammodo se habent. Soluit ipse, quòd hic locus probabilis est, sed non omnino uerus.

dubitatio.

solutio.

Aliam etiam dubitationem proponit, undenam scilicet sumenda sint propria, cum sumenda non sint ex simul natura, aut posterioribus, ut locus proponit, neque ex prioribus natura, quoniam si assignatio propriii fieret ex prioribus natura, esset definitio. Soluit ipse, quòd desumēda sunt ex prioribus cognitione, sed posterioribus re; ita enim assignatio proprii non erit definitio, quoniam definitio est ex prioribus re, & poterit notum reddere ipsum subiectum, cum sit ex prioribus cognitione; sed in hac solutione uidetur Alexander sibimet contradicere, neque tamen difficultatem effugere. contradicit quidem sibi ipsi; quoniam paulo prius in expositione huius loci dixit, oportebat enim assumere prius natura, & notius ad proprii assignationem. Nec effugit difficultatem, quoniam hoc, unde dicit ipse sumi proprium, quod est prius cognitione, & posterius re, erit posterius natura, si quidem est posterius re: quòd si quis dicat non esse posterius natura, certe oportebit aut esse posterius, aut simul, aut prius: atque ita eundem lapidem uoluimus. Pro huius difficultatis solutione supponēdum est ex prædicamētis prius natura dupliciter dici, primo modo id est natura prius à quo nō conuertitur subsistendi consequentia, sicut animal est homine prius. secundo modo in quibus conuertitur subsistendi consequentia, illud est prius natura quod est alterius causa, sicuti lux est lumine prior, & existentia rei ueritate orationis. hoc igitur supposito dicimus seruando Alexandri sententiā, quòd cum proprium aliud sit semper quod omni, & semper inest, licet non soli, aliud per se, quod inest omni soli, & semper; proprium semper est prius natura quàm subiectum, primo modo, quoniam ab eo non conuertitur subsistendi consequentia, non tamen eius assignatio erit definitio, quoniam nō prædicatur essentialiter. Est autem prius cognitione eo modo, quo & propriū per se. ita igitur se habet proprium semper ad subiectum. Proprium autē per se est posterius natura ipso subiecto, secūdo modo, non primo. inter propriū enim & subiectum conuertitur subsistendi consequentia, sed subiectum est eius, causa est autem prius subiecto cognitione, hoc modo quòd scilicet

uidetur Alexander sibi contradicere neque difficultatem effugere.

pro huius difficultatis solutione præmittēda sunt nonnulla.

solutio.

proprium

proprium inesse subiecto notius est, quàm quid sit subiectum: ita igitur fit, ut assignatio proprii non sit definitio, quoniam definitio est ex prioribus natura, & essentialis rei: & poterit etiam aliquo modo notum efficere ipsum subiectum, quoniam non parum conferunt huiusmodi propria ad cognoscendum quid sit subiectum.

LOCVS DECIMVS.

Deinde destruenti quidem si non quod semper sequitur. PROPOSVIT philosophus initio horum locorum, quòd pluribus modis destrui potest ipsum propriũ. Primo autem destrui dicebat, si probetur proprium non bene fuisse asignatum atque hactenus nouem tradidit locos, quibus probatur proprium bene, aut non bene fuisse asignatum: deinceps autem afferet locos, quibus ostendetur non solum proprium bene, an non bene sit asignatum: sed in uniuersum utrum proprium sit, an non. sumitur autem hic decimus locus ab eo, quòd non semper inest, uel ut Alexander ab inexistentia: & est, propriũ semper debet inesse suo subiecto. separauit enim superius philosophus proprium aliquando, uel simpliciter dicatur, uel ad alterum: si igitur asignatum proprium non semper insit ei, cuius dicitur esse proprium, sed aliquando insit, aliquando non insit, non erit proprium, sed accidens commune. ut si quis diceret proprium esse animalis moueri; tale quid asignaret, quod nõ semper inest, ideo non recte asignauit. Huius loci duas rationes affert Philosophus, prima est, quoniam hoc proprium non conuertitur cum suo subiecto, quod autem non conuertatur, declarat: neque enim cuicunque inest tale proprium asignatum, de eo omnino uerificatur nomen subiecti, cuius proprium assignatur, quoniam scilicet tale proprium aliis quoque inesse potest: neque cuicunque non inest tale proprium, de eo uerificari non potest subiecti nomen. contingit enim tale proprium suo subiecto non inesse, exempli causa, dicemus moueri non conuerti cum animali, quoniam non quodcunque mouetur. est animal, neque quodcunque non mouetur, nõ animal: quod autem est uere proprium, cum omni, & soli insit, cuicunque inest de eo uerificatur subiecti nomen, & cuicunque non inest de eo subiecti nomen dici non potest. secunda ratio est, quoniam si proprium asignatum tale est, ut aliquando insit rei, & aliquando non insit, ignotum erit, utrum tunc cum asignatur, insit rei, quare ignotum erit, & immanifestum: & contingere poterit, quando non inest, tunc proprium asignari, quod est absurdissimum. Est autem hic locus utilis ad construendum quoad hoc, si ostendatur proprium semper inesse subiecto, ut si quis diceret proprium esse uirtutis posſidentem studiosum efficere. uerba illa philosophi, Quod aliquã-do fit non proprium. exponit Alexander, quòd aliquando non inest: cum enim non inest, patet, quòd tunc non est proprium.

locus decimus.

unde sumitur hic locus.

duę sunt huius loci rationes.

exemplum.

LOCVS VNDECIMVS.

Deinde destruenti quidem si quod est nunc proprium. DESVMITVR hic locus à proprio nunc: & est, quòd proprium nunc non est ponendum, ut proprium simpliciter. si quis igitur asignet tale proprium, quod semper non inesse subiecto, sed nunc neque determinationem aliquam afferat ad ostendendum se afferre proprium, nunc male asignaret: ut si quis diceret proprium esse Socratis deambulare, aut sedere. duas autem rationes affert philosophus, quare

locus undecimus à proprio nũc quinam sit.

prima ratio quare tale proprium nō sit recte assignatum.

quare tale proprium non sit recte asſignatum. Prima eſt, quoniam quod præter communem loquendi conſuetudinem dicitur determinatione aliqua indiget, ſed id, quod nunc ineſt proprium, aſsignare eſt præter communē loquendi conſuetudinem, qui communiter proprium illud dicitur, quod ſemper ineſt, non ergo tale proprium ſine determinatione debet aſsignari. Secūda ratio eſt, quoniam qui tale proprium affert ſine determinatione occaſionem reprehenſionis diſputanti præbet: cum enim tale proprium ſimpliciter proferat, ignotum eſt, utrum exiſtimet illud eſſe proprium ſimpliciter. merito igitur accuſationis anſam diſputanti præbet. Eſt & hic locus ad cōſtruēdum utilis quoad hoc. qui enim aſsignat proprium nunc debitam addens determinationem quoad hoc recte aſsignat. obſeruanda autem in hoc loco eſt propoſitio illa, quòd cum aliquid ſimpliciter, & ſine determinatione dicitur, intelligendum eſt in conſueto ſignificato.

LOCVS DVODECIMVS.

locus duodecimus à proprio ſenſibili. quinā ſit.

Deinde deſtruenti quidem ſi tale aſsignauit proprium. DESVMITVR hic locus à proprio ſenſibili: & eſt, quòd non eſt manifeſtum ineſſe ſubiecto aliter, quàm per ſenſum, non eſt ponendum proprium, niſi ex neceſsitate ſubiectum conſequatur. ſi quis igitur tale aliquod proprium aſsignet, quod ſcilicet neque certum ſit ineſſe ſubiecto aliter, quàm per ſenſum: neque ſubiectum ex neceſsitate conſequatur, male aſsignabit: ut ſi quis poneret proprium ſolis

exemplum.

aſtrum lucidiſsimum ſupra terram latum: quod enim ſol ſupra terram feratur ſenſu ſolū deprehendimus, quare cū nobis non apparet, neſcimus, an tūc feratur ſupra terrā. tūc igitur ignotū eſt, an tale propriū ſubiecto inſit, quare non recte eſt aſsignatū. Huius loci ratio eſt, quoniā id, quod ſolū per ſenſum cognoſcitur, quandiu ſub ſenſum cadit, cognoſcitur: ſed à ſenſu remotum immanifeſtum fit, & ignotum: ſenſus enim ad ea ſolum, quæ præſentia ſunt, extenditur: cum igitur propriū notum eſſe debeat ſemper ineſſe ſubiecto. quod autem per ſenſum ſolum cognoſcitur, non poſsit cognoſci ſemper ineſſe ſubiecto propter rationem prius dictam: non igitur eſt ponendū pro proprio. Erit hic locus utilis ad conſtruendum quoad hoc, ſi quis proprium aſsignet, quod per ſenſum notum non ſit, ut quòd homo ſit ſcientiæ ſuſceptiuus, aut quòd per ſenſum quidem notum ſit: ſed ex neceſſitate ſubiectum conſequatur, ut quòd ſuperficiei proprium ſit, quòd primum color ei inſit. hoc enim

exemplum.

eſt quidem ſenſibile, ſed tale, quòd manifeſtum eſt ſemper ineſſe. patet enim colorem ſemper eſſe in ſuperficie, ne corpus alia ratione coloratum eſſe cognoſcitur, quàm quoniam eius ſuperficies eſt colorata.

HOC autem exemplum philoſophi ſolem ſupra terram ferri ſolum eſſe ſenſu manifeſtum, ut quoddam uulgo probabile accipiendum eſt.

LOCVS DECIMVS TERTIVS.

locus decimus tertius à definitione loco proprii. quinam ſit. exemplum.

Deinde deſtruenti quidem ſi terminum ut proprium aſſignauit. DESVMITVR hic locus à definitione loco proprii: & eſt, quòd definitio non debet loco proprii: & ratio eſt, quoniam definitio explicat, quid ſit eſſe rei: proprium autem non hoc efficit, ſed eſt extra rei ſubſtantiam. male igitur quis poneret hominis proprium animal rationale: mortale autē ſcientiam eſſe ignorātiæ abiectionem, aut Ideam eſſe opificiorum, & eorum, quæ ſunt in motu cauſam.

ſam. Erit autem hic locus utilis ad conſtruendum quo ad hoc, ſi aſsignetur proprium conuertibile quidem cum ſubiecto, non tamen explicans eius eſſentiam.

LOCVS DVODECIMVS QVARTVS.

Deinde deſtruenti quidem ſi non in quod quid eſt. DESVMITVR hic locus à genere: & eſt, quòd in aſſignatione proprii genus poni debet, cuius rationem affert philoſophus, quoniam proprium ſimile eſt definitioni; ſicut igitur in definitione primo aſſumimus genus; deinde conſtitutiuas differentias adiicientes definitum ab aliis omnibus ſeparamus: ita & in aſsignatione proprii debemus primo genus afferre, ſub quo ſubiectum continetur: deinde reliqua adiicere, quæ ipſum ab aliis omnibus ſeparent. qui igitur hoc modo proprium non aſſignat, male aſſignat, ut ſi quis diceret proprium hominis animam habere. erit autem hic locus utilis ad conſtruendum quoad hoc, ſi in aſſignatione proprii non prætermittatur genus, ut ſi quis dicat proprium hominis animal ſuſceptiuum ſcientiæ. locus decimus quartus à genere, qui nam ſit.

INTELLIGIT autem, ut patet, philoſophus in hoc loco per quid eſt ipſum genus, & loquitur de proprio quod non per ſimplicem uocem, ſed per orationem explicatur. quid intelligat philoſophus p quid eſt.

Vtrum igitur bene, an non bene aſſignetur proprium. Cum propoſuerit philoſophus initio horum locorum proprium multipliciter deſtrui, primo autem ex eo, quòd non bene ſit aſsignatum hactenus quatuordecim tradidit locos, quibus oſtendi poteſt proprium non bene fuiſſe aſsiguatum. Deinceps autem locos tradet, quibus ſimpliciter probetur utrum id, quod eſt aſsignatum, propriũ ſit, aut non. Admonet autem, quòd loci conſtructiui probantes proprium eſſe bene aſsignatum, & probantes proprium ſimpliciter non differunt, ſicuti deſtructiui: ſed iidem loci ſunt: quemadmodum enim bene demonſtrare nihil plus eſt, quàm demonſtrare; & bene ſapere nihil plus, quàm ſapere: ita & probare proprium eſſe bene aſsignatum nihil plus eſt, quàm ipſum eſſe proprium. quare concludit philoſophus ſe in explicandis locis deſtructiuis proprii explicaturum etiam eſſe locos conſtructiuos, qui ſcilicet probant & proprium aſsignatum eſſe proprium, & eſſe recte aſsignatum. quid notet philoſophus per hæc uerba.

LOCVS DECIMVSQVINTVS.

Primum ergo deſtruenti quidem inſpiciendum ad unumquodque. DESVMITVR hic locus à ſubiectis, de quibus proprium dicitur: & eſt, proprium ineſſe debet ſubiecto, quatenus tale, & omnibus ſub eo contentis. Id autem dicitur ineſſe alicui, quatenus tale, quod ipſi ineſt, quatenus illud eſt id, quod eſt, ut riſibile ineſt homini, quatenus homo eſt. quod autem hoc modo ineſt, ineſt etiam ſoli: ſi proprium igitur aſsignatum uel nulli ineſt, uel non omnibus, uel non ineſt ſubiecto, quatenus tale non erit proprium, ut ſi quis diceret proprium eſſe ſcientis à ratione aliqua non decipi, nõ aſsignaret proprium, quoniam ſcilicet hoc non competit omni ſcienti. Decipitur enim Geometra in falſis deſcriptionibus. Eſt autem falſa deſcriptio, quam græci dicunt ψευδογραφία, cũ quis ex principiis alicuius artis male aſſumptis falſum aliquid concludit. ſi hoc igitur non competit geometræ, non igitur omni ſcienti cõpetit: ſed qua ratione non competit geometræ, eadẽ ratione neque alicui alteri ſcienti competere uidetur, atque ita hoc erit exemplũ primi & ſecundi modi. ſi quis autem diceret proprium eſſe hominis eſſe progreſsiuum tale locus decimus quintus à ſubiectis, de quibus propriũ dicitur. quinam ſit. quid ſit falſa deſcriptio.

quid aſsignaret, quod non competit ſubiecto quatenus tale. Neque enim homo, quatenus homo, eſt progreſsiuus, cum & alia animalia ſint progreſſiua. erit autem utilis hic locus ad conſtruendum quo ad hoc, ſi enim aſsignatum proprium, & omni competat, & quatenus tale, recte erit aſsignatum, ut ſi quis dicat proprium eſſe hominis eſſe animal ſuſceptiuũ ſcientiæ.

quid ſignificẽt uerba illa Si nulli &c.

Verba illa ſi nulli ineſt, aut ſi non ſecundum hoc, aut ſi non eſt proprium uniuſcuiuſque eorum ſecundum illud. Sgnificant, quòd ſi aſsignatum proprium nulli inſit, contento ſub ſubiecto non erit uere proprium, quoniam proprium omni ineſſe debet, atque hic ſupplere debemus, quòd ſi alicui etiam non inſit, non erit proprium, quia uniuerſalis affirmatiua non ſolum ab uniuerſali negatiua deſtruitur, ſed etiam à particulari negatiua. *aut ſi non ſecundum hoc*. aut ſi non competat ipſi ſubiecto quatenus tale, quod quoniam erat dictum obſcurius, ſequentibus uerbis philoſophus explicauit, quaſi diceret per hoc, quod dico, non ſecundum hoc intelligo, ſi non eſt proprium cuiuſque eorum ſecundum illud, cuius proprium aſsignatur. quod autem per hæc duo idem ſit intelligendum, patet, quoniam philoſophus in ſecunda huius loci parte, ubi oſtendit, quomodo locus ſit conſtructiuus, ſolum repetit particulam illam κατὰ τοῦτο, quòd ſi cui nouum uideatur philoſophum explicationem illam adiecisse, dicere poterit particulam illam expoſitionis gratia ab aliquo in margine contextus appoſitam: deinde, ut contingit à ſcriptore quopiam in contextu fuiſſe deſcriptam: aliter tamen hanc partem interpretatur Alexander: per illud enim, ſecundũ hoc, intelligit, ſi non ſoli ineſt, ſed & aliis ſpeciebus: ut ſi quis diceret proprium animalis eſſe ſenſitiuum, per illud autem ſi non eſt proprium cuiuſque eorum ſecundum illud, cuius proprium aſsignauit, intelligit, ſi non inſit ſubiecto quatenus tale: ut ſi quis poneret hominis proprium ſubſtantiam animatam ſenſitiuam: hoc enim homini non competit, quatenus homo eſt, ſed quatenus animal. Sed hæc expoſitio accipienda non eſt, quoniam quod ſoli alicui ineſt ei quatenus tale, & è conuerſo. quare nihil plus affert ſecunda illa particula, quàm prima, præterea in hoc eodem loco ubi philoſophus oſtendit, quomodo ſit conſtructiuus per illud, ſecundum hoc, ut ipſemet Alexander interpretatur, intelligit quatenus tale. alii autem ut Latini mutant contextum, & legunt non, ſecundum hoc, ſed, de hoc; & tunc plana eſt interpretatio: per hoc enim intelligunt id, quod nos diximus philoſophum prætermiſiſſe uidelicet ſi aliquod ſit contentum ſub ſubiecto, de quo non dicatur aſsignatum proprium, ſed nimis audax eſſe uidetur in omnibus græcis exemplaribus approbatum contextum corrumpere, preſertim cum philoſophus eadem uoce κατὰ τοῦτο paulo poſt utatur per quatenus tale.

quid ſignificent illa, aut ſi non ſecundum hoc.

quomõ hanc partẽ interpretetur Alexander.

hęc Alexandri expoſitio accipiẽda nõ eſt.

qd hæc pars ſit.

Eſt autem locus, hic deſtruenti quidem, ſi non de quo nomen. Hæc pars ſuſpecta omnino eſt: nihil enim aliud eſſe uidetur, quàm ſumma quædam ſequentis loci, quæ ab aliquo ſcriptore textui fuerit interpoſita. Alexander autem in ſuis commentariis hanc uidetur interpretari ſequentem, aut decimumſextum locum prætermiſit ſentiens, & ipſe aut partem hanc, aut ſequentem locum ſuperfluere licet, de hoc nihil dixerit. ſi quis tamen hanc partem, & locum etiam ſequentem ſeruare uelit eam cum loco decimoſexto connectet, & interpretabitur hoc modo, cum dixerit philoſophus deſtrui proprium, ſi omni non inſit, aut non inſit quatenus tale, quod comprehendebat ſi non ſoli. nunc oſtendere uult, quomodo cognoſcere poſsimus, utrum omni inſit, & utrum ſoli. Dicit igitur, quòd accipiemus nomen ipſius ſubiecti, & aſsignationem proprii: & ſi de aliquo uerificatur nomen ſubiecti, de quo non uerificatur

quomodo tuenda ſit hæc pars.

aſsignatio proprii; tunc proprium non inerit ſoli, neque quatenus tale: ſi autem de aliquo uerificatur aſsignatio, de quo non uerificatur nomen; tunc proprium nomen non inerit omni: atque ita quidem deſtruetur proprium. conſtruetur autem ſi de quocunque uerificatur, non eſt de eodem, uerificatur proprii aſsignatio.

LOCVS DECIMVS SEXTVS.

Deinde deſtruenti quidem ſi non de quo oratio. Deſumitur hic locus à conuerſione: & eſt, de quocunque uerificatur proprium, de eodem uerificatur ſubiecti nomen, quòd ſi de aliquo ſubiecti nomen prædicatur, de quo non prædicatur ipſum proprium, tale non erit proprium: ut ſi quis poneret hominis proprium eſſe muſicum, propterea diceremus non eſſe proprium, quoniam hominis nomen de aliquo prædicatur, de quo non prædicatur nomen. cum Socrates ſit homo, & non ſit muſicus. pariter ſi proprium de aliquo prædicatur, de quo non prædicatur ſubiecti, nomen tale nõ erit proprium: ut ſi quis poneret hominis proprium ſubſtantiam animatam ſentientem, hoc enim proprium de aliquo dicitur, ut de equo, de quo non dicitur nomen ſubiecti. Erit autem hic locus utilis ad conſtruendum, & deſtruendum. de quocunque enim uerificatur nomen ſubiecti, de eodem uerificatur & proprium, & è contra: ut ſiquis dicat proprium eſſe animalis ſenſum habere, aut hominis eſſe animal ſcientiæ ſuſceptiuum. locus decimus ſextus à conuerſione. quinam ſit.

DIFFERT autem hic locus ab ultima parte loci ſuperioris, quòd illa traditur prout confert ad uſum illius loci. hic autem eſt locus quidam per ſe.

LOCVS DECIMVS SEPTIMVS.

Deinde deſtruenti quidem ſi ſubiectum proprium aſſignauit. DESVMITVR hic locus à ſubiecto loco proprii: & eſt, quòd ſubiectum non eſt ponendum, ut proprium. ſubiectum autem ut proprium poneret: ut ſi quis diceret tenuiſsimi corporis proprium eſſe ignem. huius autem loci rationem affert philoſophus, quoniam contingeret idem proprium eſſe plurium ſubiectorum & ſpecie differentium, quod eſt impoſsibile. oportet enim ut ea, quæ ſpecie differunt, differentia etiam habeant propria. conſequentia probatur, quoniam ſi ignis eſt proprium corporis tenuiſsimi, non eadem ratione erit proprium corporis leuiſsimi, & corporis rariſsimi, & corporis calidiſsimi. erit igitur idem proprium plurium, & ſpecie differentiũ. aliam etiam rationem attulit Alexander: quoniam proprium debet eſſe in altero, nõ autem alterum in ipſo. erit autem hic locus utilis ad conſtruendum, ſi aſsignatum proprium ſoli inſit, & in ſubiecto ſit, ut ſiquis poneret proprium terræ corpus grauiſsimum ſpecie: hoc enim proprium & ſoli competit, & in ſubiecto eſt. locus decimuſſeptimus à ſubiecto loco'pprii. quinam ſit. alia ratio ab Alexãdro allata.

Verba illa, *& ut proprium prædicatur*. In fine huius loci poſita interpretatur Alexander, id eſt quod eſt natum prædicari, ut proprium. illud autem eſt natum prædicari, ut proprium, quod cum re conuertitur. quomodo Alexander interpretetur ea uerba, Et ut.

EST autem id in hoc loco præcipue obſeruandum, quòd eorum, quæ ſunt differentia ſpecie propria, debent eſſe diuerſa. quod fuit dictum ab Alexandro, cuius ratio perſpicua eſt, cum proprium ſoli alicui ſpeciei ineſſe debeat.

LOCVS DECIMVS OCTAVVS.

ocus decimus octauus à participatione. quinā sit.

Deinde destruenti quidem si secundum participationem. DESVMITVR hic locus à participatione: et est, proprium non debet inesse subiecto secundum participationem: illud autem inesse dicitur alicui secundum participationem, quod est eius pars, & eius definitionem ingreditur. ita enim & in superiori libro loco decimo sexto accipiebat philosophus participare alicuius, pro suscipere eius definitionem. Ratio huius loci est, quoniam proprium est in subiecto: quod autem est in subiecto, ut dicitur in prædicamentis, non est subiecti pars, neque ingreditur eius definitionem. si quis igitur tale quippiam asignet loco proprii, non erit proprium, sed erit differentia substantialis, quæ & ipsa cum proprio uidetur conuenire, quod uni tantum speciei conuenit: sed ab eo differt, quoniam confert ad esse, & ingreditur definitionem. si quis igitur asignet proprium hominis gressibile, aut rationale, non erit proprium, quia est secundum participationem.

exemplum.

est hic locus utilis ad construendum.

ERIT hic locus ad construendum utilis, si ostendatur asignatum propriũ non dici secundum participationem de subiecto, & conuerti cum ipso subiecto: ut si quis diceret proprium esse animalis, quod sit natura aptum sentire: hoc enim neque animalis substantia significat, & cum eo conuertitur. erit igitur tale proprium recte asignatum.

LOCVS DECIMVS NONVS.

locus decimusnonus ex eo, quod non simul inest. quinam sit.

Deinde destruenti quidem si non contingit simul inesse proprium. DESVMITVR hic locus ex eo, quod non simul inest: & est, proprium simul esse debet simul cũ subiecto, neque prius scilicet, neque posterius. huius loci ratio est, quoniam si proprium prius esset, quàm subiectum, non igitur soli subiecto conueniret: si autem esset posterius, non conueniret semper.

exemplum.

PROPRIVM autem & soli, & semper inesse debet. si igitur asignatum proprium non sit simul cum subiecto, sed aut prius, aut posterius non erit proprium. prius esset, si quis poneret proprium hominis animatũ esse, quoniam fœtus in utero mulieris animatus etiam est, cum nondum est homo. posterius autem esset, si quis poneret proprium hominis in foro deambulare: prius enim homo est, quàm deambulare in foro. tale igitur proprium, quod non simul est cum subiecto, uel nullo modo erit proprium, uel non erit proprium semper. si enim sit prius subiecto, nullo modo erit proprium, cum & aliis quibusdam inesse posit, ut animatum inest fœtui: & præterea equo, & boui, aut si sit aliquo modo proprium, non erit proprium semper, ut deambulare in foro. Erit autem hic locus ad construendum utilis, si asignatum proprium simul ex necessitate sit cum suo subiecto, & non sit eius differentia, aut definitio (nam definitio, & differentia simul & ipsa sunt cum suis subiectis, nec tamen sunt propria) recte erit asignatum: ut si quis poneret proprium hominis animal susceptiuum scientiæ.

dubitatio.

SED dubitaret quis, quoniam uidetur hic locus contradicere loco nono, in quo dicebatur proprium neque debere esse posterius, neque simul cum ipso subiecto. Dicendum est hic philosophum loqui de simul tempore, ibi autem de simul natura.

solutio.

LOCVS

LOCVS VIGESIMVS.

Deinde destruenti quidem si eorundem, qua eadem sunt. DESVMITVR hic locus ab eodem: & est, eorundem quatenus eadem sunt, idem debet esse proprium. idem autem, ut dictum fuit in primo libro, tribus præcipue modis dicitur genere, specie, & numero. si igitur alicuius generis proprium asignetur, oportet ipsum eorum omnium, quæ sunt idem genere esse proprium. si autem speciei alicuius asignetur, debet esse proprium omnium indiuiduorum, quæ sunt idem specie, quòd si alicuius unius nnmero proprium assignetur, idem proprium debebit esse omnium, quæ sunt idem numero, quòd si non sit alicuius eorum, quæ sunt idem genere, aut specie, aut numero, asignatum proprium non erit proprium, ut siquis poneret prosequendi esse proprium, quòd aliquibus bonum esse uideatur, ostenderetur non esse proprium, eo quòd non est proprium eligendi, cum eligendum, & prosequendum sint eadem numero solo nomine differentia. non est autem hoc propriũ eligendi, quoniam non id, quod aliquibus uidetur, bonum eligibile est, sed id, quod suapte natura bonum est. Erit autem hic locus utilis ad construendum: si enim assignatum proprium idem sit eorum, quæ sunt eadem, recte erit asignatum: ut si quis diceret proprium esse hominis tripartitam animã habere, idest in tres partes distinctam, rationalem, appetibilem, & concupiscibilem. hoc enim conuenit non solum homini in eo, quòd homo est, sed & aliis, quæ idem sunt cum homine, & uiro, & mortali.

locus uigesimus ab eodẽ. quinam sit.

exemplum.

est hic locus utilis ad construendum.

ADMONET autem philosophus hunc locum utilem esse in accidentibus. iisdem enim quatenus eadem sunt, idem debet inesse accidens, aut non inesse. si enim uni inest, & alteri inerit: si autem uni non insit, neque aliis inerit. ut si albedo est uisibilis, etiam disgregatiuum uisus est uisibile.

hic locus in accidentibus est utilis.

NOTANDVM autem est philosophum solum proposuisse locum in his, quæ sunt idem numero, & nomine tantum differunt. significato autem, & subiecto sunt idem: prosequendum enim & eligendum sunt idem subiecto: ita & ἄνθρωπος καὶ βροτὸς, quod tamen ipse dixit solum de polionimis, quæ sunt idem modo, extẽdere possumus ex Alexandri sententia ad ea etiam, quæ sunt idem genere, aut specie.

quid hoc loco sit notandum.

LOCVS VIGESIMVS PRIMVS.

Deinde destruenti quidem si eorum, quæ sunt eadem specie. DESVMITVR hic locus ab eodem genere, & est, quòd eorum, quæ sunt eadem genere, idem debet esse proprium genere. eadem autem genere sunt, quæ specie solum inter se differunt. si igitur alteri specierum, quæ sub eodem genere positæ contradistinctæ inter se sunt, alterum proprium ex positis sub eodem genere, & contradistinctis inter se attribuatur alteri quoque speciei contradistinctæ; alterũ proprium contradistinctum attribui debet: species autem contradistinctæ dicuntur, quæ ab oppositis differentiis constituuntur, ut homo & equus. si quis igitur poneret hominis propriũ ex se moueri, ex eo destrueretur, quoniam equi non semper est proprium stare ex se, cum enim homo, & equus sint species positæ sub eodem genere, & contradistinctæ inter se eodem modo & stare, & moueri, cum stare ex se non semper sit equi proprium: neque igitur moueri ex se erit hominis proprium. Erit hic locus constructiuus, si eorum, quæ sunt eadem genere, sit idem proprium genere: & sicut contradistinctæ speciei contradistinctum proprium conuenit: ita & alterum contradistinctum alteri contradistinctæ conuenit, ut quemadmodum proprium est hominis

locus uigesimus primus ab eodẽ genere. quinã sit.

exemplum.

hominis gressibile bipes: ita auis uolatile bipes. Hæc enim propria gressibile bipes, & uolatile bipes composita sit, sub eodem genere bipedis, & inter se contradistincta sunt homo, & auis sub genere animalis. ponantur, & contra distinguuntur inter se.

ADMONET autem in fine huius loci philosophus ipsum non esse omnino uerum, neque utile ad construendum. dicit enim quòd non est utilis ad construendum; quoniam unum ex contradistinctis propriis uni tantum speciei inest, ut gressibile bipes homini. (Auis enim est quidem bipes, sed non gressibilis, sed uolatilis) alterum autem multis speciebus inest, ut gressibile quadrupes cani, equo, boui, & aliis. hæc enim propria idem genere sunt gressibile bipes, & gressibile quadrupes, sed quoniam gressibile bipes uni tantum speciei conuenit, nempe homini, gressibile autem quadrupes pluribus speciebus inest; ideo in his, & huiusmodi aliis locus utilis non est, sed tunc erit utilis ad construendum, quãdo utrunque proprium uni tantum speciei insit, & non pluribus.

LOCVS VIGESIMVS SECVNDVS.

locus uigesimus secũdus ab eodem subiecto per se, & cum accidente. quinã sit.

Quoniam autem idem, & diuersum multipliciter dicitur. DESVMITVR hic locus ab eodem subiecto per se, & cum accidente, & est, non est omnino idem subiectum per se, & seorsum sumptum etiam cum accidente: ut non est omnino idem homo sumptus per se, & homo albus sumptus, scilicet cum albedine, quæ ei accidit, proponit autem philosophus hunc locum ad dissoluendam sophisticam quãdam argumentationem, ut aut hic locus obscurissimus facilius intelligatur, ipsum in partes quasdam diuidemus. Primo enim philosophus proponit sophisticam hanc argumentationem, qua probatur idem esse proprium subiecti per se sumpti; & cum accidente; atque hoc exemplo declarat. Secundo ostendit, quomodo dissoluenda sit. Tertio ostendit consimiliter esse dissoluendam aliam fallaciam, qua probatur idem inesse accidenti per se sumpto, & cum subiecto, & è contra. Quarto explicat hunc fallaciæ modum, atque exemplum apponit. Quinto ostendit, quomodo hic locus sit utilis ad construendum probabiliter, & non sophistice, & quomodo subiectum per se sumptum, & cum accidente idem sit, & quomodo diuersum. ultimo aliam affert obiectionem aduersus secundam fallaciam. In prima igitur parte dicit, quoniam idem, & diuersum multipliciter dicitur. dicitur enim & genere, & specie, & numero, & analogia, & quod est idem numero, uel est idem ratione, uel non est idem ratione: idem numero & ratione sunt ea, quæ non solum in eodem subiecto sunt, sed eandem etiam rem significant, ut poliognima indumentum, & uestis. huiusmodi etiam sunt nomen, & definitio. idem autem numero, & diuersa ratione sunt, quæ in eodẽ subiecto sunt: sed eandem rem non significant, ut duo accidentia in eodem subiecto existentia, ut assensus, & descensus in scala, quæ græci dicunt ἑτερόνυμα. hoc etiam modo inter se differre uidentur accidens, & subiectum, ut simus, & Socrates; proprium, & subiectum, ut risibile: & homo præterea, & subiectum per se sumptum, & cum accidente, ut homo, & homo albus, & accidens per se sumptum, & cum subiecto ab eo denominato, ut iustitia, & iustus; scientia & sciens. cum igitur multipliciter dicatur idem, hinc occasionem fallaciæ sophistæ accipiunt. supponunt enim idem esse subiectum per se sumptum, & cum accidente: & cum aliquid inest alicui subiecto per se sumpto, dicunt idem inesse & subiecto cum accidente: ut si proprium est hominis

quid in prima parte doceat philosophus.

ex eo, quod idem multipliciter dicitur sophistæ fallendi occasionẽ capiũt.

nis esse risibile, & homini insit albedo; inferunt quod etiam albo homini proprium est esse risibile, quod tamen est falsum, quoniam si albo homini esset proprium esse risibile, non igitur homo niger esset risibilis. In secunda parte ostendit philosophus huius fallaciæ dissolutionem: distinguere enim debemus, quòd idem non est subiectum per se sumptum, & cum accidente, quemadmodum sophistæ supponunt, sed aliud est homo, & aliud est homo albus. In tertia parte docet philosophus destruere aliam fallaciam sophistarum, quæ cuiusmodi sit, docet ipse in quarta parte. supponunt enim sophistæ, quòd idem sit accidens per se sumptum, & sumptum cum subiecto, quod ab eo denominatiue dicitur, ut quòd idem sit scientia, & sciens, unde ostendunt, quòd scientiæ proprium non est immutabile à ratione, quoniam si hoc esset proprium scientiæ, esset etiam proprium scientis: sed non est proprium sciẽtis: fallitur enim Geometra in falsis descriptionibus, ergo neque scientiæ: ita igitur hoc falsum construunt, quòd scientia non sit immutabilis à ratione. destruetur autem hæc fallacia, ut in tertia parte docet philosophus, si ostendamus, quòd non idem est accidens, & quod ab eo denominatiue dicitur. Alio etiam modo aduersus hanc fallaciam obiici posse. docet ipse in ultima parte, quòd scilicet in hac proprii assignatione secundum casus peccant. Cum enim diuersa sint habitus, & habens habitum; ideo & secundum diuersas terminationes, prout scilicet unicuique eorum conuenit, sua propria debent assignari. ut scilicet scientia dicatur, quæ est immutabilis à ratione. sciens autem qui est immutabilis à ratione, non autem ut ipsi faciunt utrique assignandum est proprium neutro genere, hoc etiam pacto occultare uolentes differentiam, quæ inter illa est. aduersus enim huiusmodi importunos sophistas, qui ad omnia obiiciunt, omnibus etiam modis est aduersandum. In quinta autem parte docet philosophus, quomodo hic locus non sophistice, sed probabiliter sit utilis ad construendum. debemus enim ostendere, quòd subiectum per se sumptum, & cum accidente: ita quoque accidens per se sumptum, & cum subiecto sunt idem numero, uel subiecto. ratione autem sunt diuersa, atque ita probabimus, quòd eo modo, quo idem sunt, idem etiam habent proprium.

quomõ hic locus probabiliter, nõ autem Sophistice, sit utilis ad cõstruendũ.

LOCVS VIGESIMVS TERTIVS.

Deinde destruenti quidem, si quod natura inest. DESVMITVR hic locus à proprio nam: & est, propriũ quod natura inest, non debet assignari semper inesse: huius loci ratio est, quoniam ea sunt propria natura, quæ non semper neque ex necessitate subiectis suis actu insunt: ipsa tamen subiecta sunt eorũ susceptiua, hoc modo bipes inest homini: est enim homo natura aptus, ut sit bipes, non tamen est ex necessitate bipes. eodem modo & scientia ipsi inest: est enim homo natura scientiæ susceptiuus, non tamen scientiam actu semper habet: si quis igitur quod hoc modo natura alicui inest, assignet tanquã actu, & semper ipsi insit, non recte assignabit. hoc autem fiet, si non ponatur in assignatione talis proprii illud natura, aut tale aliquid, quod indicet subiectum esse susceptiuum, non autem actu habere, ut si quis simpliciter poneret hominis proprium gressibile bipes, nisi aliud apponat. uidetur hoc proprium assignare, tanquam quoddam inseparabile, & semper ipsi inexistens, non autem ita est. neque enim homo omnis duos pedes habet. erit hic locus utilis ad construendum, si is qui assignat proprium natura inexistens, nõ assignet

locus uigesimus tertius à proprio natura. quinã sit.

asſignet ipſum ſemper ineſſe, ſed aliquid apponat, quod indicet proprium illud natura ineſſe.

quid intelligatur per illud moueri.

In hoc autem loco per illud moueri proprium, quo ter utitur philoſophus, intelligendum eſt proprium remoueri à ſuo ſubiecto. cũ enim id, quod natura ineſt ponatur actu ineſſe, non autem inſit ſemper actu. uidebitur igitur proprium aliquando remoueri à ſuo ſubiecto: quare in uerbis illis poſt principium loci poſitis: *uidebitur enim mouere quod poſitum eſt eſſe proprium.* affertur loci ratio, quoniam ſi proprium natura ponatur, ſemper ineſſe continget moueri proprium, quod eſt impoſsibile, quoniam proprium nunquã relinquit ſuum ſubiectum, id eſt ſubiectum ſine eo nunquam reperitur.

LOCVS VIGESIMVS QVARTVS.

locus uigeſimus quartus ab eo, qd' nõ primo ineſt. quinam ſit.

Inſuper quæcunque dicuntur. Desvmitvr hic locus ab eo, quod non primo ineſt, & eſt proprium quod primo alicui ineſt, aut quod alicui ſecundo ineſt, cum debita determinatione aſsignandum eſt. quæ enim in ſubiecto ſunt, aliquando primo in eo ſunt, aliquando uero non primo. Primo ſunt, ſicut eſt color in ſuperficie non primo, ſed ſecundo, & mediante alio ſicuti color eſt in corpore: ſi quis igitur ſine determinatione tale proprium aſsignet, redarguetur ex eo, quod non de quocunque prædicabitur, proprium prædicabitur etiam ſubiecti nomen, exempli cauſa, ſi quis diceret proprium eſſe ſuperficiei colorari, ex eo redargueretur, quoniam colorari de corpore etiã dicitur, de quo non dicitur ſuperficies. erit autem hic locus utilis ad conſtruendum, ſi in talis proprii aſsignationem addatur debita determinatio.

quid agat philoſophus antequam ceteros locos pertractet.

quotnã ſint modi, ſecundum quos ſolet error contingere.

Accidit autem in quibuſdam proprijs etc. Quemadmodum in uigeſimotertio & in uigeſimoquarto loco, & in aliis quibuſdam ſuperius enarratis peccatur in aſsignatione proprii ex eo, quòd non adiicitur debita determinatio; ita & plerique alii loci ſunt hac eadem ratione deſtruentes proprium, quoniam ſcilicet in eius aſsignatione prætermittitur debita determinatio: ſed philoſophus priuſquam hos locos tradat, modos enumerat, quibus proprium aſsignari ſolet, & ſecundum quos ſolet error contingere. hi igitur modi decem numero ſunt: primus eſt, quando aſsignatur proprium natura inexiſtens ſuo ſubiecto, ſicuti homo eſſe dicitur nàtura bipes. ſecundus modus eſt, cum ponitur proprium alicuius, quod ipſi actu inexiſtit: ut ſi dicatur proprium alicui eſſe quatuor tantum digitos habere. tertius modus eſt, cum ponitur proprium alicuius ſecundum ſpeciem, ut ſi quis ponat propriũ ignis corpus tenuiſsimum. quartus modus eſt, cum ponitur proprium alicuius uniuerſaliter, id eſt quod omni conuenit, & ſi non ſoli: ut ſi quis dicat proprium eſſe animalis uiuere. quintus modus eſt, cũ ponitur proprium alicuius, quod ſecundum aliud ipſi ineſt, ſicuti color ſecundum aliud corpori ineſt, atque hoc modo prudens eſſe attribuitur animæ. ſextus modus eſt, cum ponitur proprium alicuius primo & non mediante alio, quo modo prudens eſſe attribuitur ratiocinatiuo. ſeptimus modus eſt, quando proprium attribuitur alicui ex eo, quòd habeat aliquid, ut ſi ponamus proprium ſcientis immutabile à ratione. eſt enim ſciens immutabilis à ratione, propterea quod habet aliquid, nempe ſcientiam. octauus modus eſt, quando proprium attribuitur alicui ex eo, quòd habeatur ab aliquo, ut ſi dicamus proprium eſſe ſcientiæ, quòd ſit immutabilis à ratione. hoc enim proprium ineſt ſcientiæ, propterea quòd habetur ab aliquo, nempe à ſciente. nonus modus eſt, quã-

do

do attribuitur proprium alicui ex eo, quod participatur ab aliquo, ſicuti ſentire attribuitur animali, non ex eo, quòd animal ipſum per ſe ipſum ſentiat, ſed ex eo, quòd contenta ſub ipſo ſentiunt. hæc autem contenta ſentiunt, quatenus naturæ animalis participant. decimus atque ultimus modus eſt, quando proprium attribuitur alicui ex eo, quod participet alicuius, ſicuti ſentire attribuitur homini ex eo, quòd animalis participet.

Qui igitur non addit natura peccat etc. CVM hos decem modos explicauerit philoſophus, quibus aſsignari ſolet proprium, & ſecundum quos error contingit: nunc plures explicat locos, quibus proprium deſtruatur: propterea, quòd ſecundum aliquem eorum modorum error comitatur: in eius aſsignatione, atque hic eſt primus, quòd ſcilicet qui aſsignat proprium natura, non addens illud, natura peccat. cuius rationem philoſophus affert, quoniam continget quod natura alicui ineſt, ei non ineſſe. cum enim non apponatur debita determinatio, uidetur proprium poni actu ſemper ineſſe ipſi ſubiecto. Cum autem quod natura alicui ineſt, aliquando ei actu non inſit, quod igitur natura alicui ineſt, aliquando ei non inerit. Exemplum eſt, ſi quis ponatur proprium hominis eſſe bipedem. — *poſteaquam philoſophus hos decẽ modos explicauerit, quid agere tentet. primus locus quo huiuſmodi error incidat. exemplum.*

NOTANDVM autem eſt hunc locum nihil differre à decimo tertio. ipſum autem repetit philoſophus, breuibus tamen, quoniam inter decem illos modos, quibus aſsignatur proprium, hic etiam fuit enumeratus: quare non eſt hic locus, ut quidam faciunt, in numerum redigendus. — *nihil differre hunc locum à decimo tertio.*

LOCVS VIGESIMVS QVINTVS.

Qui uero non determinat, quoniam nunc ineſt. EX ſecundo decem illorum deducit philoſophus hunc uigeſimum quintum locum, qui deſumitur ab inexiſtẽte; & eſt, propriũ quod actu alicui ineſt, cum debita determinatione debet aſsignari. cuius rationem affert philoſophus, quoniam, niſi addatur debita determinatio, continget non eſſe tale, quale eſt. cum enim ſine determinatione proferatur, intelligetur eſſe proprium in conſueto ſignificato. id autem ſolet appellari proprium, quod ſemper ineſt. hoc igitur quod actu ineſt, & non ſemper ineſſe intelligetur. Exemplum eſt, ut ſi quis poneret hominis proprium quatuor digitos habere. — *locus uigeſimus quintus unde deducatur. exemplum.*

NOTANDVM autem hóc loco eſt illud ὑπάρχον ſignificare id, quod actu alicui ineſt, nullo addito modo neceſſarii contingentis aut poſsibilis. — *quid ſignificet illud ὑπάρχον.*

Qui autem non indicat, quoniam ut primum etc. NIHIL differt hic locus à uigeſimo quarto ſuperius enarrato: nam & in hoc dicit philoſophus, quòd qui aſsignat proprium, quod primo ineſt, aut quod ineſt ſecundum aliud ſine debita determinatione, peccat: & ratio eſt, quoniam continget, quòd non de quocunque prædicatur proprium, prædicabitur nomen ſubiecti. — *nihil differt hic locus à uigeſimó quarto.*

LOCVS VIGESIMVS SEXTVS.

Qui etiam non prædicit, quoniam aut in eo quod eſt habere etc. EX ſeptimo, & octauo modo ſupradictorum decem deducit philoſophus hunc. Locus uigeſimus ſextus deſumitur ab habere, & haberi: et eſt proprium quod ineſt alicui ex eo, quòd illud habeat aliquid, aut habeatur ab aliquo, non debet aſsignari ſine propria determinatione: et ratio, quoniam ſi ſimpliciter aſsignetur quod ineſt alicui, quoniam habeat, inerit etiam ei, quod habetur, & quod ineſt ei, quod habetur, inerit etiam habenti: quare non de quo proprium di- — *locus uigeſimus ſextus unde deducatur.*

 citur,

exemplum. citur, etiam ſubiecti nomen dicetur. exempli cauſa, ſi quis poneret ſcientis proprium eſſe indiſſuaſibilem à ratione, hoc non ſolum ſcienti competet, uerum etiam ſcientiæ: & ſi attribuatur ſcientiæ, non ſolum ipſi competet, uerum etiam ſcienti.

LOCVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

locus uigeſimus ſeptimus unde deducatur. *Qui etiam non præſignificat in eo, quod participat etc.* Ex nono, & decimo ſupradictorum modorum hic locus deducitur: deſumiturq; ex participare, & participari: et eſt proprium conueniens alicui ex eo, quòd participet alicuius, aut participetur ab aliquo, non debet aſsignari ſine debita determinatione. & ratio eſt, quoniam ſi ſimpliciter aſsignetur propriū alicui, quod participat, inerit etiā ei, quod participatur: & ſi aſsignetur ei, quod participatur, inerit etiam ei, quod participat. non igitur ſoli inerit. exempli cauſa, ſi quis poneret proprium animalis ſentire, non ſolum conueniet animali, ſed etiam contentis ſub animali, ut homini, & equo. ſed animali conuenit, quatenus participatur, homini: autem quatenus participat. quòd ſi quis etiam ponat hominis proprium ſentire, non ſolum ipſi conueniet, ſed etiam animali.

exemplum.

LOCVS VIGESIMVS OCTAVVS.

unde deducatur hic uigeſimus octauus locus. *Qui non diuidit etiam id quod ſpecie ineſt.* Ex tertio & quarto ſupradictorum modorum deducit philoſophus hunc locum uigeſimum octauum, qui deſumitur à ſpecie, & ſimpliciter: & eſt, proprium, quod ineſt alicui ſpecie, aut ſimpliciter, non debet ſine propria determinatione aſsignari. præcipue autem loquitur philoſophus in hoc loco de eo, quod ineſt ſpecie. intelligit autē per ineſſe ſpecie maxime ineſſe, & ſecundum excellentiam, ac perfectionem illius ſpeciei. hoc igitur quod maxime ineſt, & ſecundum excellentiam, uel attribuitur alicui ſpeciei indiuiduæ, uel attribuitur geueri alicui, ſub quo plures ſpecies ſunt. Si attribuatur ſpeciei indiuiduæ, ac in eius aſsignatione non ponatur illud ſpecie, non recte aſsignabitur, quoniam quod maxime, & ſecundum excellentiam dicitur, non ineſt omni. ſi autem ſine determinatione ponatur, uidebitur omni ineſſe, ut ſi quis dicat hominis proprium eſſe, ut ſit prudentiſsimus, niſi aliud addatur, hoc erit falſum, quoniam non omnis homo eſt prudentiſsimus. ſi autem in his debita adiiciatur determinatio, error euitabitur, & redargutio. aliquando autem hoc proprium, quod maxime ineſt, & ſecundum excellentiam attribuitur generi, ſub quo plures ſunt ſpecies, ut ſi quis dicat proprium eſſe ignis, ut ſit tenuiſsimus: ſub igne enim plures ſunt ſpecies, nempe carbo, flamma, & lux. In his igitur non ſufficit adiicere illud ſpecie, ut error euitetur; atque huius rei duas affert rationes Ariſtoteles, prima eſt, quoniam contingeret aſsignatum proprium alicui ex ſubiectis ſpeciebus magis, alicui uero minus ineſſe: nomen autem ſubiecti non ineſſe magis, aut minus, quod eſt abſurdum. abſurditas huius conſequentis probatur, quoniam ſemper ſi proprium magis, aut minus ineſt, etiā ſubiecti nomen magis, aut minus ineſt: ut quoniā proprium albedinis, quod eſt uiſum diſgregare magis ineſt niui, quàm cygno. nix igitur magis eſt alba, quam cygnus. at ſi hoc conſequens uerum eſſet, ſequeretur proprium ineſſe magis, & minus: nomen tamen ſubiecti non ineſſe magis, aut minus, quia una ſpecies ignis eſt alia tenuior non tamen una eſt alia magis ignis. cum igitur

dupliciter poteſt peccari in aſſignādo hoc proprio.

exemplum.

quomō hoc conſequens eſſe abſurdū probetur.

tur hoc consequens sit falsum, male positum est tenuissimum esse proprium ignis: consequentiam autem quòd scilicet si ponatur ignis proprium tenuissimum, cum plures sint ignis species: alia erit tenuior alia, philosophus aliter non probat, patet autem ex eo, quod ubi reperitur maximum, ibi oportet reperiri magis, & minus: quare si ignis proprium est tenuissimum, tenuior erit lux, quàm flamma: & flamma, quàm carbo. Cum igitur tale assignatum proprium magis, & minus insit, nomen autem subiecti non insit magis aut minus: non igitur erit uere proprium. secunda philosophi ratio est, quoniam contingeret unum & idem propriũ plurium esse. erit enim & eius, quod uniuersale est, & eius, quod in eo uniuersali cõtentum maxime tale est, ut tenuissimũ erit proprium ignis, quoniam eius est, assignatũ erit etiam proprium lucis, quoniam ei maxime inest. non oportet autem, ut idem propriũ sit generis, & speciei sub genere contentæ: propterea igitur si contingat assignare proprium alicuius generis, sub quo plures sint species, non sufficit determinationem illam speciei adiicere, sed addere oportet, & cuinam speciei tale proprium conueniat.

In fine autem huius loci admonet philosophus, quòd cum alius assignat, ac peccat aliquo dictorum modorum, ipsum redarguere debemus. si autem nos assignemus proprium, non debemus nobis ipsis instantiam afferre: ita enim ipsi disputanti præberemus occasionem turbandi sermones nostros: sed statim debemus determinare, quonammodo proprium sit à nobis assignatum. Dialecticus enim probabiliter, non autem sophistice, & deceptorie procedere debet. quid hoc loco admoneat philosophus.

Notandum autem est, hoc loco dicere philosophum lucem esse speciẽ ignis, cuius tamen oppositum sentit in physicis, ubi ostendit lucem non esse corpus: cum autem non sit corpus, non potest esse ignis species: ignis enim corpus est, & nullum incorporeum potest esse corporis species: sed nunc cõmunius locutus est, & aliorum sententiam secutus. quid hoc loco notandũ sit.

Observanda autem hoc loco præcipue est propositio illa, cui innititur prima philosophi ratio, quòd scilicet cui magis aut minus inest, propriũ subiectum quoque magis aut minus inesse debet: unde sequitur, quòd si proprium de aliquo assignatum magis & minus insit, nomen autem subiecti non insit, magis & minus non erit uere proprium. ita quoque si assignatum proprium non insit magis aut minus, nomen autem subiecti insit, hoc etiam modo non erit uere proprium. propõ hoc loco obseruãda

LOCVS VIGESIMVS NONVS.

Deinde destruenti quidem si idem eiusdem proprium posuit. Desumitur hic locus ab eodem: & est, quòd idem non potest esse proprium sui ipsius: tunc autem idem assignari proprium sui ipsius intelligit philosophus, quando assignatur aliquod polyonymum, ut si quis cum hæc duo πρέπον & καλὸν sint polyonyma, & idem significent; alterum diceret esse alterius proprium. huius loci rationem affert philosophus, quoniam proprium non debet significare ipsum, quid est esse. polyonymum autem significat quid est esse, non igitur potest esse proprium: quomodo autem polyonymum significet quid est esse, declaratur. nomen, & definitio idem significant, quod enim explicat definitio, idem quoque significat nomen: cũ igitur definitio quid est esse significet, nomen igitur & ipsum significat, quid est esse. si igitur polyonymũ afferatur loco proprii, proprium significabit ipsum quid est esse, quod esse non debet. locus uigesimus nonus ab eodem. & quinam sit. quomõ ꝓbetur polyonymum significare quid est eẽ.

exemplum. Erit autem hic locus ad construendum utilis, si assignatum proprium conuertatur quidem cum suo subiecto, non significet tamen, quid sit ipsi esse, ut si quis diceret proprium esse animalis, quod sit natum sentire. Sed dubitaret quis utrum hoc in loco comprehendi debeat definitio, qui enim cõprehendi debeat, ex eo patet, quoniam etiam definitio est idem cum suo definito, & subiecto, & ratione; sicuti & ipsa polyonyma idem inter se sunt. præterea quoniam ratio, quam affert Aristoteles, magis etiam conuenit definitioni, quàm polyonymo: magis enim definitio, quàm polyonymũ significat esse rei: unde & ipse in contextu dicit. significans autem ipsum esse non est proprium, sed definitio. Dicendum est hæc non loqui philosophum de definitione. quomodo enim definitio non possit poni loco proprii, docuit superius in loco decimotertio: unde hoc uolens significare philosophus in secunda huius loci parte, ubi ostendit, quomodo hic locus sit cõstructiuus, assumpsit definitionem. dicit enim quòd qui ponit animalis proprium substantiam animatam, sensitiuam quoad hoc recte assignat. (etsi enim philosophus solum dicat substantiam animatam, Alexander tamen sensitiuam suppleri debere dicit) obiecta autem dissoluuntur, si sciamus, quòd quamuis polyonymũ idem significet, sicut & definitio, est tamen aliqua differentia, quoniam scilicet quod nomen implicite significat, ipsa definitio significat explicite: uel dicamus, quòd definitio significat ipsum, quid est esse rei: nomen autem significat esse, non autem ipsum quid est esse.

dnbitatio.

solutio.

LOCVS TRIGESIMVS.

locus trigesimus à similaribus. quinã sit.

Deinde in similaribus. Desvmitvr hic locus à similaribus: & est, in similaribus idem debet esse proprium partis, & totius: & ratio est, quoniam in similaribus eadem est natura partium, & totius: unde idem etiam nomen habent, ut quælibet pars aquæ naturam aquæ habet, & aqua dicitur. si quis igitur assignet proprium alicuius totius similaris, quod parti non conueniat, uel assignet proprium partis similaris, quod toto non conueniat, tale non erit uere proprium. contingit quidem assignari proprium totius non conueniens parti, quando quis ad quantitatem, & molem totius respicit: ut si quis diceret proprium esse maris esse plurimam aquam salsam: hoc enim propriũ non competit parti. assignaretur autem proprium partis toto non conueniens, ut si quis diceret proprium esse aeris esse respirabile; hoc enim de toto aere non uerificatur. Erit autem hic locus constructiuus, si proprium assignatum alicuius similaris toto competat, & parti: ut si quis dicat propriũ esse terræ ferri deorsum. dicuntur autem partes aeris respirabiles, totus autem non, quoniam partes aeris ab animalibus attrahuntur pro cordis refrigeratione. totum autem aerem attrahi est impossibile.

exemplum.

quomodo sit hic locus utilis ad construendum.

LOCVS TRIGESIMVS PRIMVS.

locus trigesimus primus ex contrariis. quinam sit.

Deinde ex oppositis considerandum est. Qvemadmodvm ad quæstiones accidentis, & generis tradidit philosophus locos ex oppositis: ita & nunc ad quæstiones proprii eos tradit, ac primum locum tradit ex contrariis. est igitur hic locus ex contrariis, si unum contrarium est proprium unius contrarii, alterum quoque contrarium erit proprium alterius contrarii. Erit hic locus utilis ad destruendum hoc modo, quoniam iustitia, & iniustitia sunt contraria; & optimum etiam & pessimum. non est autem optimum proprium iustitiæ;

quoniam omni uirtuti competit. omnis enim uirtus est optimus habitus; neque igitur iniustitiæ proprium est pessimum. Erit autem utilis ad construendum, quoniam si unum contrarium est proprinm unius contrarii, & alterum erit alterius proprium, ut si boni proprium est eligibile, ergo & mali euitabile.

LOCVS TREGESIMVS SECVNDVS.

Secundo autem ex his quæ ad aliquid sunt. DESVMITVR hic locus ex relatiuis: & est, si unum relatiuum est proprium uuius relatiui, etiam alterum relatiuum erit proprium alterius relatiui. Erit hic locus utilis ad destruẽdum, ut quoniam excedens non est proprium dupli, quoniam est in plusquam duplum: neque igitur excessum est proprium dimidii; erit autem utilis ad construendum, ut quoniam dupli proprium est duo ad unum, ergo & dimidii proprium erit, ut unum ad duo. locus ttigesimus secundus ex relatiuis. quinam sit.

SED dubitaret quis, quomodo unum, & duo sint inter se relatiua. Dicendum est, quòd unum, & duo non sunt relatiua; sed relatiua sunt, ut duo ad unum, & ut unum ad duo. hi enim sunt termini huius relationis, non autem unum, & duo. Dicit tamen Alexander hæc proprie non esse relatiua, neque enim dicuntur duo unius duo, aut unum duorum unum: neque in habitudine mutua habent esse, sed conuenientius erit exemplum, si sensus proprium est suscipere per corpus, ergo & sensibilis erit proprium susceptibile per corpus. dubitatio. quid in hac re sentiat Alexã der.

LOCVS TRIGESIMVS TERTIVS.

Tertium autem destruenti quidem. DESVMITVR hic locus ab habitu, & priuatione: & est, si ipsius habitus id, quod secundum habitum dicitur, est proprium etiam priuationis, quod secundum priuationem dicitur, erit propriũ. Erit hic quoque locus utilis ad construendum etiam destruendum. ad destruendum quidem, ut si surditatis proprium non est insensibilitas; neque igitur auditus proprium est sensus, & è conuerso. ad construendum autem, ut si uisus proprium est uidere, quatenus uisum habemus nati habere, id est quatenus habemus potentiam uidendi, non autem potentiam audiendi, aut progrediendi nati habere, id est natura apti ad habendum uisum. si igitur hoc est proprium uisus, erit etiam proprium cæcitatis non uidere, quatenus uisum non habemus: natura tamen apti uisum habere, lapis enim uisum non habet, sed quoniam non est natura aptus uisum habere, ideo cæcus non dicitur. locus trigesimustertius ab habitu & priuatione. quinam sit.

LOCVS TRIGESIMVS QVARTVS.

Deinde ex affirmationibus, & negationibus. DEINCEPS philosophus tradit tres locos ex contradictione, quorum primus est, quando unum est subiectũ, duo autem prædicata. secundus est, quando duo sunt subiecta, & duo prædicata. tertius est, quando duo sunt subiecta, & unum prædicatum. est autem hic primus locus solum destructiuus, & est, si affirmatio, uel quod per affirmationem explicatur, est proprium alicuius: negatio aut id, quod per negationem explicatur, non erit eius proprium: & si negatio, aut quod per negationem explicatur, est proprium alicuius, affirmatio aut quod per affirmationem explicatur, non erit eius proprium, ut si animalis proprium est sensitiuum, locus trigesimus quartus ex contradictione est triplex.

dubitatio. sitiuum, non igitur proprium erit animalis non sensitiuum. sed iure dubitat hoc in loco Alexander quare non sit hic locus constructiuus. qui enim osten dit alteram partem contradictionis non inesse, alteram omnino probat inesse: cum hæc sit contradictionis natura, ut de quocunque uera sit eius altera pars.

solutio triplex, & quæ prima sit. SOLVIT ipse hanc difficultatem tripliciter, primo dicit, si quod per negationem explicatur subiecto non inest, quod explicatur per affirmationem inerit quidem, non oportet tamen, ut sit proprium, ut si probetur non sensitiuum non inesse equo, probatur quidem sensitiuum ipsi inesse, non tamen probatur quòd sensitiuum sit eius proprium. hic autem sermo nō est de simplici inexistentia, sed de inexistentia proprii. Secundo dicit si quod per negationem explicatur, non est proprium alicuius, non propterea oportet, quòd eius oppositum illi insit, ut si probetur non risibile non esse proprium equi, non propterea probatur risibile ipsi inesse. tertio dicit, si quod per affirmationem explicatur, non est proprium alicuius, non propterea oportet, ut ipsi non insit, ut si probetur hominis non esse proprium sensitiuum, non propter ea probatur sensitiuum ipsi nō inesse. solum igitur relinquitur, quod locus proponit, si quod per affirmationem explicatur, est proprium alicuius, quod per negationem explicatur, non erit eius proprium, & è conuerso.

VTITVR autem hoc in loco philosophus φάσεως nomine pro affirmatione.

LOCVS TRIGESIMVS QVINTVS.

locus trigesimus quintus secundus ex contradictoriis quinā sit. *Secundum etiam ex prædicatis*. HIC est secundus locus sumptus ex contradictione, in quo comparantur duo prædicata ad duo subiecta. Est autem hic locus constructiuus, & destructiuus.

DESTRVCTIVVS quidem est talis, si affirmatio non est proprium affirmationis: neque negatio proprium erit negationis, & è conuerso. si negatio non est proprium negationis, neque affirmatio erit proprium affirmationis: ut si hominis proprium non est animal, neque nō hominis proprium erit non animal. & si non hominis proprium non est non animal, neque hominis proprium erit animal: hoc igitur modo est destructiuus. Erit autem constructiuus hoc modo, si affirmatio est proprium affirmationis, etiam negatio erit proprium negationis, & è conuerso. Si negatio est proprium negationis, etiam affirmatio erit proprium affirmationis: ut si non animalis proprium est non sentire, animalis proprium erit sentire: & si animalis proprium est sentire, ergo non animalis proprium erit non sentire.

quid philosophus per affirmationē aut negationē intelligat. NOTANDVM autem hoc in loco est philosophum per affirmationem intelligere terminum finitum, uel scilicet subiectum, uel prædicatum; per negationem autem terminum infinitum.

LOCVS TRIGESIMVS SEXTVS.

locus trigesimus sextus tertius ex contradictoriis quinam sit. *Tertium autem ex ipsis subiectis*. HIC EST tertius locus sumptus ex contradictione, ubi unum prædicatum comparatur duobus subiectis. proponit autem philosophus hunc locum esse destructiuum, & constructiuum. Destructiuus quidem est hoc modo, si assignatum proprium est proprium affirmationis, idem non erit proprium negationis, & è conuerso. si assignatum proprium est proprium negationis, non erit proprium affirmationis: & hic per

affirmationem intelligere debemus ſubiectum finitum: per negationem autem ſubiectum infinitum. ſi igitur ſenſitiuum eſt proprium animalis, non erit proprium non animalis. conſtructiuus autem erit hoc modo, ſi aſsignatum proprium non eſt proprium affirmationis, erit proprium negationis. Addit autem philoſophus hunc locum conſtructiuum non eſſe uerum, ſimul & cauſam apponit: quoniam, inquit, affirmatio non poteſt eſſe proprium negationis, neque negatio affirmationis, ideſt quòd nomen finitum non poteſt eſſe proprium infiniti, neque infinitum finiti. finitum enim nomen ſimpliciter non poteſt prædicari. de nomine infinito, neque enim licet dicere, non homo eſt corpus, aut non lignum eſt lapis, niſi ſcilicet nomen illud infinitū particulariter intelligamus. ſi igitur nomen finitum ſimpliciter non ineſt nomini infinito, non poteſt eſſe eius proprium: at nomen infinitum ineſt quidem nomini finito, etiam uniuerſaliter, non tamen poteſt ineſſe, ut proprium. uerum enim eſt, quòd homo eſt non lapis, non tamen hoc poteſt eſſe eius proprium.

locus cōſtructiuus nō eſt uerus, & quare.

exemplum.

LOCVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

Deinde ex his, quæ ex oppoſito diuiduntur. DESVMITVR hic locus ex contradiſtinctis. contradiſtincta autem ſunt, quæ ex eodem genere ſecundum eandem diuiſionem mutuo ſeparantur. eſt autem hic locus deſtructiuus, & conſtructiuus. deſtructiuus hoc modo, ſi nullum ex reliquis contradiſtinctis proprium eſt alicuius reliquorum, neque propoſitum erit proprium propoſiti, ideſt ſi duo ſint ordines contradiſtinctorum, uel ex eodem genere ſecundum diuerſas cōſiderationes, uel ex diuerſis generibus: & unum eorum, quæ ſunt in uno ordine poſitum ſit eſſe proprium unius eorum, quæ ſunt in alio ordine. & oſtēdamus nos nullum eorum, quæ ſunt in eo ordine, in quo eſt aſſignatum proprium eſſe proprium alicuius eorum, quæ ſunt in alio ordine: neque propoſitum erit proprium propoſiti, exempli cauſa, contradiſtincta ſunt inter ſe, animal ſenſitiuum & animal intellectiuum, contradiſtincta etiā ſunt mortalia animalia, & immortalia: ſi igitur animal ſenſitiuum non eſt proprium alicuius mortalium animalium neque igitur animal intellectiuum propriū eſt immortalis Dei. erit autem conſtructiuus hoc modo, ſi alterum contradiſtinctum ſit alterius proprium, uel alia aliorum, ſi plura ſint contradiſtincta, etiam propoſitum erit proprium propoſiti, exempli cauſa, contradiſtinctæ ſunt animæ partes inter ſe rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis: contradiſtinctæ etiam ſunt hæ uirtutis ſpecies prudentia, fortitudo, & temperantia. ſi igitur prudentiæ proprium eſt eſſe per ſe nam aptam, ut ſit uirtus, & perfectio partis rationalis, ergo & fortitudinis erit proprium eſſe natura aptam: ut ſit uirtus, & perfectio partis iraſcibilis, & temperantiæ. erit propriū eſſe natura aptū, ut ſit uirtus, & perfectio partis concupiſcibilis.

locus trigeſimus ſeptimus ex contradiſtinctis quænam ſint contradiſtincta.

eſt utilis ad utrunq; quo modo deſtructiuus.

exemplum.

LOCVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

Deinde ex caſibus deſtruenti quidem etc. DESVMITVR hic locus ex caſibus: & eſt tum conſtructiuus, tum deſtructiuus. deſtructiuus hoc modo, ſi caſus non eſt proprium caſus, neque id, cuius eſt caſus, erit proprium reliqui, & è conuerſo. ut ſi eius, quod eſt iuſte proprium non eſt honeſte; neque iuſti proprium erit honeſtum. conſtructiuus autem eſt hoc modo, ſi caſus eſt proprium caſus etiam id, cuius eſt caſus, erit proprium reliqui, & è conuerſo.

locus trigeſimus octauus ex caſibus.

exemplum.

so, ut si hominis proprium est gresibile bipes, etiam homini gresibili bipedi proprium attribuemus: & si fortis proprium est magnanimum etiam eius, quod fortiter fit, proprium erit magnanimiter.

quid per casus philosophus intelligat.

NOTANDVM autem est superius philosophum appellasse casus aduerbia, quæ à nominibus deducuntur: ut à sapientia sapienter. hic autem etiam ipsa primitiua, unde talia aduerbia deducuntur, casus appellat, quin & per casus comprehendit nominum diuersas terminationes, quæ per inflexionẽ fiũt.

LOCVS TRIGESIMVS NONVS.

locus trigesimus nonus à casibus cõtrariorum.

Non solum autem in eo, quod dictum est etc. DESVMITVR hic locus à casibus oppositorum: per opposita autem hic intelliguntur contraria. & est cõstructiuus, & destructiuus. Destructiuus hoc modo, si casus contrarii non est proprium casus contrarii, neque propositum erit proprium propositi, ut si eius, quod iuste fit, proprium non est bene, neque igitur eius, quod iniuste fit, proprium est male. constructiuus autem erit hoc modo, si casus contrarii est proprium, casus contrarii etiam propositum erit proprium propositi, ut si eius, quod honeste fit, proprium est, optimum etiam inhonesti propriũ est pessimum. Notat autem Alexander in hoc loco, quòd philosophus casus nomine uniuersaliter utitur pro coniugatis: neque enim hic locus uerus est solum in casibus proprie dictis, sed in omnibus coniugatis.

exemplum. quid per casus philosophus intelligat.

LOCVS QVADRAGESIMVS.

locus quadragesimus ex similitudine.

Deinde ex his, quæ similiter se habent etc. DESVMITVR hic locus ex similitudine: & est destructiuus, & constructiuus. Destructiuus hoc modo, si similiter se habens non est proprium similiter se habentis, neque propositum erit proprium propositi: ut si similiter se habet ædificator ad ædificandum; & medicus ad sanandum: non est autem proprium medici sanare; neque igitur ædificatoris proprium est ædificare. est autem constructiuus hoc modo, si similiter se habens est proprium similiter se habentis, etiam propositum erit proprium propositi: ut si similiter se habet medicus ad sanitatem efficiendam, & gymnasta ad efficiendum bonum habitum. Est autem proprium gymnastæ bonum habitum efficere, ergo & medici proprium est sanitatem efficere.

exemplum.

quid hoc loco notet Alexander.

NOTAT Alexander hunc locum conuenire his etiam, quæ secundum analogiam dicuntur. analogia enim est similitudo quædam. in habitudine scilicet quadam consistens. eorum igitur, quæ analogia sunt, si alterum est alterius proprium, etiam alterum erit proprium alterius. & si alterum non est proprium, neque alterum erit proprium. Alio autem modo accipiuntur analoga à græcis, quàm à latinis, ut alias dictum fuit.

LOCVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

locus quadragesimus primus ex his, quæ eodem modo, se habent. quid differat hic locus à superiori.

Deinde ex his quæ eodem modo se habent. DESVMITVR hic locus ex his, quæ eodem modo se habent. differunt autem ea, quæ eodem modo se habent, de quibus hoc in loco loquitur philosophus ab his, quæ similiter se habent, de quibus locutus est in loco superiori, quòd in similiter se habentibus comparantur duo ad duo. in his autem, quæ eodem modo se habent, comparatur unum ad duo. est autem hic locus solum destructiuus, sed dupliciter, primo

quidem hoc modo, si eodem modo se habentis ad aliqua duo, alterum eorum non est eius proprium, neque alterum erit eius proprium, & è conuerso. si ipsum eodem modo se habens ad aliqua duo alterius eorum non est proprium, neque alterius erit proprium. exempli causa, si eodem modo se habet prudentia ad bonum, & malum, eo quòd est utriusque eorum, scientia non est aut prudentiæ proprium, quod sit scientia boni: neque igitur eius erit proprium, quod sit scientia mali. ita quoque si eodem modo se habet homo ad rationale, & disciplinabile: non est autem horum alterum hominis proprium, neque igitur alterum. Secundo autem hic locus est destructiuus hoc pacto, si eodem modo se habentis ad aliqua duo, alterum eorum est eius proprium, alterum non erit eius proprium, quoniam eodem modo ad ipsa non se haberet, & è conuerso. Si eodem modo se habens ad aliqua duo alterius eorum est proprium, non erit proprium alterius, quoniam idem esset proprium plurium, quod est impossibile: ut cum eodem modo se habeat prudentia ad bonum, & malum. si prudentiæ proprium est esse scientiam boni, eius igitur non erit proprium, quòd sit scientia mali. Non potest autem hic locus esse constructiuus, cuius rationem reddit Aristoteles, Quoniam (inquit) consimiliter se habens unum ad plura comparantur, hoc scilicet intelligens cum in his, quæ eodem modo se habent, unum ad duo compare tur: ideo fit, ut locus hic non possit esse constructiuus, quoniam si probetur, quòd alterum sit alterius proprium, non construetur, quòd sit propriũ alterius, quoniam tunc idem esset proprium pluriũ. si etiam probetur, quòd alicuius eorum non sit proprium, aut quod aliquod eorum sit eius propriũ, uel non sit proprium, non propterea aliquid construetur, quoniam non eodem modo ad utrunque se haberet, sicuti supponitur. est igitur solum destructiuus, non autem constructiuus.

exemplum.

quare nã possit esse hic locus constructiuus.

SED dubitat Alexander quomodo possibile sit, ut aliquid eodem modo se habeat ad aliqua duo, si alicuius eorum sit proprium, alicuius autem non. Soluit ipse, quòd hoc etiam argumento est id, quod eodem modo se habere uidetur, non eodem modo se habere; sed quoniam hoc est dictum obscurius, ideo apertius sententiam explicando. Dicendum est, quòd si uerum sit propositum, eodem modo se habere ad aliqua duo, nunquam continget, ut sit alterius eorum proprium, quòd si contingat, quod uere sit alicuius eorũ proprium, forte quidem eodem modo se habere uidebitur, non tamen eodem modo se habebit.

dubitatio.

solutio.

LOCVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Deinde destruenti quidem si quod secundum esse dicitur. DESVMITVR hic locus ab esse, generari, & corrumpi. Estq; tum constructiuus, tum destructiuus. Destructiuus triplex est, primus si quod secundum esse dicitur, non est proprium eius, quod dicitur secundum esse: neque quod dicitur secundum generari, erit proprium eius, quod dicitur secundum generari: neque quod dicitur secundum corrumpi, erit proprium quod dicitur secundum corrumpi, exempli causa, si proprium non est hominis esse animal, neque fieri hominem proprium erit fieri animal: neque corrumpi hominem proprium erit corrumpi animal. secundus si id quod dicitur secundum generari, proprium non est eius, quod dicitur secundum generari id, neque quod dicitur secundum esse, erit proprium eius, quod dicitur secundum esse: & id, quod dicitur secundum corrumpi, non erit proprium eius, quod dicitur secundum

locus quadragesimus secũdus ab esse, generari, & corrumpi.

corrumpi: ut si proprium non est generari hominem, generari animal, neque hominis proprium erit esse animal, neque corrumpi hominem proprium erit corrumpi animal. tertius si id, quod dicitur secundum corrumpi, proprium non est eius, quod dicitur secundum corrumpi: neque id, quod dicitur secundum esse, proprium erit eius, quod dicitur secundum esse: neque id, quod dicitur secundum generari, proprium erit eius, quod dicitur secũdum generari: atque hic etiam superius exẽplum accomodari facile potest. constructiuus etiam triplex est, primus si id, quod dicitur secundum esse, est proprium eius, quod dicitur secundum esse, id quoque, quod dicitur secundum generari, propriũ erit eius, quod dicitur secũdum generari: et id, quod dicitur secundũ corrumpi, erit proprium eius, quod dicitur secundũ corrumpi. ut quoniam propriũ est hominis esse risibile, proprium quoque erit fieri hominẽ, fieri risibile, & propriũ erit corrumpi hominẽ, corrumpi risibile. secũdus si id, quod dicitur secundum generari, proprium est eius, quod dicitur secundũ generari. id quoque, quod dicitur secundũ esse proprium, erit eius, quod dicitur secundum esse: & id, quod dicitur secundum corrumpi, proprium erit eius, quod dicitur secundum corrumpi: ut si generari hominem proprium est generari risibile, hominis quoque proprium erit risibile: & corrumpi hominem proprium erit corrumpi risibile. tertius si id, quod dicitur secundum corrumpi, proprium est eius, quod dicitur secundum corrumpi. id quoque quod dicitur secundum esse, proprium erit eius quod dicitur secundum esse: & id, quod dicitur secundũ generari, proprium erit eius, quod dicitur secundum generari, quod facile patet. hic etiam applicando superius exemplum.

exemplum.

Hvivs loci ratio est, quoniam quod est proprium alicuius, cũ soli, & semper competat, necesse est, ut dum illud generatur, generetur: & dum corrumpitur, corrumpatur. quare si assignatum proprium in aliquo horum dissonet, neque in aliis conueniet, quòd si cum aliquo conuenit, in aliis etiam conueniet. & quod dicit philosophus generari, & corrumpi: dicere etiam possumus generationem, & corruptionem: ut si hominis proprium est risibile, & generationis hominis proprium est generatio risibilis, atque ita forte res erit apertior.

LOCVS QVADRAGESIMVS TERTIVS.

locus quadragesimus tertius. ab Idea. Plato ideas defendit: Aristoteles cõtra.

Deinde inspiciendum ad Ideam positi. Desvmptvs est hic locus ab Idea: significat autem Idea exemplar uniuscuiusque speciei æternum, & separatum à materia, ad cuius similitudinem hæc materialia generantur: & sicuti species rerum generabilium diuersæ sunt; ita diuersæ sunt ideæ, & earum unaquæque appellatur nomine suæ speciei cum hac adiectione per se, ut idea hominis appellatur αὐτοάνθρωπος idea equi αὐτόϊππος. has igitur ideas Platonici defendunt: Aristoteles autem semper est insectatus, licet aliud ipsis attribuere quidam existiment, quàm senserint. neque enim, dicũt, Plato uoluit ideas esse entia quædam separata, ueluti sunt intelligentiæ, quod ipsi Aristoteles attribuit: sed esse species rerum in mente summi opificis existentes. quamuis autem philosophus ideas semper damnarit, atque ea monstra esse existimarit, nunc tamen tradit locum ab idea, quoniam dialecticus in quamcunque sectam se insinuat. est autem hic locus tum destructiuus, tum constructiuus. destructiuus talis est, si assignatum proprium non competit ideæ illius rei, cuius ponitur esse proprium: uel si illi quidem competit, sed non in

quid Plato uoluerit ideas esse.

eo,

eo, quod est eius idea, non erit proprium. Exempli causa, siquis ponat proprium hominis quiescere, ostendemus non esse proprium ex eo, quòd non competit ideæ hominis, quatenus est idea hominis. quiescere enim competit ipsi, quatenus est idea, quia omnis idea est motus expers, nō autem quatenus est hominis idea. cum igitur ideæ hominis non competat quiescere, neque hominis erit proprium. constructiuus autem erit talis, si assignatum proprium cōpetat ideæ eius rei, cuius ponitur proprium, quatenus est eius idea, uere erit eius proprium, ut quoniam constare ex anima, & corpore competit ideæ animalis, quatenus est talis; ideo hoc erit animalis proprium constare ex anima, & corpore.

NOTAT autem Alexander communius, ut alia plura in his libris, ita & hoc dixisse philosophum, quod constare ex anima & corpore competat ideæ hominis. hoc enim ab his, qui ideas ponunt nullo modo concederetur, licet forte ad eorum opinionem consequatur. quid notet Alexander.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Deinde ex magis, & minus. QVEMADMODVM in secundo libro quatuor locos ex magis & minus tradidit philosophus ad quæstiones accidentis: ita & ad quæstiones proprii eosdem locos tractat. atque horū primus est, ubi unū de uno dicitur, qui est destructiuus, & constructiuus. secundus est, ubi duo de duobus dicuntur, qui procedens à magis est destructiuus, procedens à minus est constructiuus. semper enim loci à magis sunt destructiui: loci à minus sunt constructiui. tertius est, ubi unum de duobus dicitur, qui solum est destructiuus. quartus est, ubi duo de uno dicuntur, & est destructiuus, & constructiuus, sicut & secundus. Hic igitur primus locus desumptus à magis, & minus, in quo unum de uno dicitur secundum magis & minus, qui & ipse duplex est, primus est, in quo proceditur à magis ad minus; ad minime ad maxime, & ad simpliciter. & est destructiuus, & constructiuus. Destructiuus talis est, si id, quod magis dicitur, non est proprium eius, quod magis dicitur. neque id, quod minus dicitur, est proprium eius, quod minus dicitur. neque id, quod minime dicitur, est proprium eius, quod minime dicitur: neque id, quod simpliciter dicitur, est proprium eius, quod simpliciter dicitur: ut si magis colorari non est proprium eius, quod est magis corpus: neque igitur colorari est proprium corporis, uel quoniam hoc exemplum est in substantiis, quæ non suscipiunt magis, aut minus, accomodatius erit, si dicamus, quoniam maioris uoluptatis proprium non est, ut sit maius bonum: neque igitur minoris uoluptatis proprium erit, ut sit minus bonum: neque minimæ uoluptatis, ut sit minimum bonum: neque uoluptatis, ut sit bonum. cōstructiuus autem talis erit, si id, quod magis dicitur, proprium est eius, quod magis dicitur: etiam id, quod minus dicitur; est proprium eius, quod minus dicitur: & quod minime dicitur, proprium est eius, quod minime dicitur: & quod simpliciter eius, quod simpliciter, ut si magis uiuentis proprium est magis sentire, etiam minus uiuentis proprium erit minus sentire, & minime uiuentis minime sentire, & uiuentis sentire. quod si hic quoque superius exemplum de uoluptate applicemus, magis erit accomodatum.

locus quadragesimus quartus ex magis, & minus.

exemplum.

exemplum.

SED hic dubitat Alexander nunquid omnino consequatur ad id, quod magis dicitur, aut minus id, quod dicitur simpliciter; de qua re bis etiam antea uerba fecit. dicimus enim aerem esse magis grauem igne, non tamen simpliciter grauem: & terram dicimus terra leuiorem, non tamen simpliciter dubitatio.

 leuem

leuem. soluit, quòd non proprie, sed abusiue, & æquiuoce, ita appellamus, quia proprie deberet dici aer minus leuis, & terra minus grauis.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVINTVS.

locus quadragesimus quintus à simpliciter ad reliqua omnia.

Ex eo autem quod simpliciter ad eadem considerandum est. HIC locus conuersus est prioris, sicut enim in eo procedimus ab eo, quod magis dicitur ad id, quod minus, ad id, quod minime, & ad id, quod simpliciter. ita in hoc procedimus, ab eo, quod simpliciter ad reliqua illa. et est destructiuus, & constructiuus. Destructiuus talis est, si id, quod simpliciter dicitur, proprium non est eius, quod simpliciter dicitur: neque id, quod magis dicitur, proprium erit eius, quod magis dicitur: neque id, quod minus eius, quod minus: neque id, quod maxime eius, quod maxime: neque id, quod minime eius, quod minime. Constructiuus autem talis erit, si id, quod simpliciter dicitur, proprium est eius, quod simpliciter: & id, quod magis erit proprium eius, quod magis: & id, quod minus eius, quod minus: & id, quod minime eius, quod minime: & id, quod maxime eius, quod maxime.

quid hoc loco notet Alexander.

NOTAT autem in fine philosophus, quòd sicuti à magis procedimus ad reliqua omnia; & à simpliciter ad reliqua omnia, ut ostensum est, ita & ab unoquoque aliorum ad reliqua omnia procedere possumus. tum destruẽdo, tum construendo, nempe ab eo, quod minus ad id, quod simpliciter, ad id, quod minime ad id, quod magis: & ad id, quod maxime. Præterea ab eo, quod minime ad id, quod simpliciter, ad id, quod minus ad id, quod magis: & ad id, quod maxime. Ex demum ab eo, quod maxime ad id, quod magis ad id, quod simpliciter ad id, quod minus: & ad id, quod minime: sed quoniam de his omnibus est eadem ratio, ideo ne in uerbis abundaret philosophus, cum hos duos explicasset, reliquos prætermisit: non ita tamẽ, quin illos indicaret.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

locus quadragesimus sextus quid differat à quadragesimo quarto.

Secundum autem destruenti quidem, si quod magis est. QVONIAM iisdem omnino uerbis explicat philosophus hunc locum, quibus explicauit quadragesimum quartum: ideo nihil ab eo differre uidetur. Differt tamen ab eo, uti indicant exempla, quoniam in eo procedimus ab intensione subiecti, & proprii ad ipsum subiectum, & proprium simpliciter dictum. si enim alterum nõ est alterius proprium, neque alterum est proprium alterius: in hoc autem procedimus ab eo, quod magis alicuius uidetur esse proprium ad id, quod minus uidetur esse proprium alterius. Est autem hic locus destructiuus, & cõstructiuus. destructiuus talis est, si id, quod magis uidetur esse alicuius proprium, non est eius proprium: neque id, quod minus uidetur esse proprium alterius, erit eius proprium: ut quoniam magis uidetur esse proprium animalis sentire, quàm hominis scire: non est autem animalis proprium sentire; neque igitur hominis proprium est scire. Constructiuus autem talis est, si id, quod minus uidetur esse alicuius proprium, eius est proprium, ergo & id, quod magis uidetur esse proprium alterius, eius erit proprium. ut si minus uidetur esse proprium homini natura mansuetum, quàm animalis uiuere: illud autem est hominis proprium, ergo & hoc animalis.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

Tertium uero destruenti quidem. Hic est locus, in quo unum de duobus dicitur. Et est solum destructiuus, sed dupliciter, primo quidem hoc pacto, si aliquod magis uidetur esse proprium unius, quàm alterius non est illius proprium: neque alterius erit proprium, ut si colorari magis uidetur esse proprium superficiei, quàm corporis: non est autem proprium superficiei, neque igitur corporis. secundo autem hoc pacto, si quod magis uidetur esse proprium unius, quàm alterius, illius est proprium, alterius nullo modo erit proprium. ut si colorari est proprium superficiei, non erit proprium corporis. Non est autem hic locus constructiuus, quoniam idem non potest esse proprium plurium, inquit philosophus, intelligens scilicet si hic locus posset esse constructiuus, esset cõstructiuus ex minus. hoc scilicet modo, si aliquod minus uidetur esse proprium unius, quàm alterius. est autem illius propriũ, erit etiam proprium alterius: atque ita contingeret idem esse proprium plurium.

locus quadragesimus septimus, in quo unũ de duobus dicitur, & est solum destructiuus sed dupliciter.

quare nõ possit esse constructiuus.

LOCVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

Quartum autem destruenti quidem. Hic locus est, ubi duo de uno dicuntur: & est destructiuus, & cõstructiuus. Destructiuus talis est; si duorum id, quod magis uidetur esse alterius, proprium nõ est eius proprium: neque id, quod minus uidetur esse eius proprium, eius erit proprium, ut si magis uidetur esse animalis proprium sensibile, quàm diuisibile: nõ est autem eius propriũ sensibile, neque igitur diuisibile. constructiuus autem talis est, si id, quod minus uidetur esse alicuius proprium, est eius proprium, etiam id, quod magis uidetur esse eius propium, eius erit proprium. at si minus uidetur esse proprium animalis uiuere, quàm sentire, est autem eius proprium uiuere, ergo & sentire erit eius proprium.

locus quadragesimus octauus, ubi duo de uno dicũtur: est utilis ad utrũque.

LOCVS QVADRAGESIMVS NONVS.

Deinde ex his, quæ similiter insunt. Sicuti & in secundo libro post locos ex magis & minus: tradidit locos ex his, quæ similiter insunt: idem hic quoque facit & sicut ibi cum attulisset quatuor locos ex magis & minus, tres tantum attulit ex his, quæ similiter insunt. ita & hic quatuor quidem locos tradidit ex magis & minus. tres autem tantum tradit ex similitudine. & ratio est eadem, quoniam similitudo non recipit primum illum modum ex magis & miuns. Tres igitur sunt loci ex similitudine. primus est, ubi duo propria duobus subiectis comparantur. secundus, ubi duo uni, atque horum uterque est tum constructiuus, tum destructiuus. tertius est, ubi unum duobus comparatur destructiuus solum, sed dupliciter.

locus quadragesimus nonus, quomodo connecta tur hæc pars cum superiori.

quare tres tãtũ locos ex similitudine tradit.

Primvs igitur destructiuus talis est, si id, quod similiter uidetur esse proprium alicuius non est eius proprium, neque id, quod similiter uidetur esse alterius, proprium erit eius proprium, ut quoniam concupiscere similiter uidetur esse proprium concupiscibilis, & rationari ratiocinabilis. nõ est autem concupiscere proprium concupiscibilis: neque igitur ratiocinari proprium erit rationabilis. constructiuus autem talis est, si id, quod similiter uidetur esse alicuius proprium eius est proprium, etiam quod similiter uidetur

esse

esse proprium alterius, eius erit proprium: ut si similiter proprium rationalis est, ut sit primo prudens, & concupiscibilis, ut sit primo temperans. est autem rationalis proprium, ut sit primo prudens, & concupiscibilis proprium est, ut sit primo temperans.

LOCVS QVINQVAGESIMVS.

locus quinquagesimus, est. secundus ex similiter ubi duo propria uni subiecto comparantur.

Secundum autem destruenti quidem si quod similiter. Hic est secundus locus desumptus ex similitudine, ubi duo propria uni subiecto cōparantur: & est destructiuus, & constructiuus. Destructiuus talis est, si id, quod similiter uidetur esse proprium alicuius, non est eius proprium, neque alterum quod eiusdem uidetur similiter, esse proprium, eius est proprium. ut si similiter uidetur esse proprium hominis uidere, & audire, non est autem eius proprium uidere, neque igitur audire. constructiuus autem talis est, si id, quod similiter uidetur esse proprium alicuius est eius proprium, alterum quoque, quod similiter uidetur esse eius proprium, eius erit proprium: ut si similiter uidetur esse animæ proprium, ut uis concupiscibilis, primo sit eius pars, & uis rationalis, primo sit eius pars. est autem eius proprium, ut uis concupiscibilis, primo sit eius pars, ergo etiam erit animæ proprium, ut rationalis sit eius pars.

LOCVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS.

locus quinquagesimus primus est tertius à similitudine, ubi unū propriū duobus subiectis comparatur. & destructiuus tantū sed dupliciter.

Septimum uero si cuius similiter est proprium. Hic est tertius locus sumptus ex similitudine, ubi unum proprium duobus subiectis comparatur: & est, solum destructiuus, sed dupliciter, primo hoc pacto, si aliquid consimiliter uidetur esse proprium duorum, & non est alterius eorum proprium, neque alterius erit, ut si comburere similiter uidetur esse proprium flammæ, & carbonis accensi, non est autem proprium flammæ; neque igitur proprium est carbonis. secundo autem hoc pacto, si aliquod consimiliter uidetur esse proprium duorum, & est alterius eorum proprium, alterius nullo modo erit proprium: quoniam idem non potest esse proprium plurium, ut si comburere sit proprium flammæ, non erit proprium carbonis.

Non est autem hic locus utilis ad construendum, quoniam neque ex eo, quod propositum sit proprium alterius duorum, neque ex eo, quòd non sit proprium, construi potest, quod sit alterius proprium.

quid differat hic locus à quadragesimo.

In fine huius loci docet philosophus, quidnam differant hi ex similitudine à loco quarto ex similiter se habentibus. differunt autem ab eo, quoniam in eo consideratur similitudo secundum habitudinem quandam, & analogiam, ut sicuti se habent medicus ad sanitatem, & gymnasta ad bonum habitum. hic autem consideratur similitudo secundum inexistentiam, ut comburere consimiliter inest flammæ, & carboni.

dubitatio.

Sed dubitaret etiam quis, quoniam non uidetur hic locus differre à quadragesimo primo. sicut enim in hoc unum proprium duobus subiectis comparatur ita & in eo. & sicut hic est solum destructiuus, sed dupliciter ita & ille. Dicendum est, quòd eodem modo differt ab eo, sicut & à quarto, quòd scilicet in illis spectatur analogia; hic autem solum similitudo inexistentiæ: unde philosophus eos locos dixit esse ἐκ τῶν ὁμοίως, καὶ ὡσαύτως ἐχόντων hos autē dicit esse ἐκ τῶν ὁμοίως ὑπαρχόντων.

solutio.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

Deinde destruenti quidem si potentia proprium assignans. DESVMITVR hic locus à proprio potentia: & est destructiuus, & constructiuus. Destructiuus talis est, si proprium potentia alicui attribuatur, quod proprium referatur ad aliquod, quod posit etiam non esse, eo existente, cuius proprium esse dicitur: & tale proprium non posit, non existente eo, ad quod refertur, non erit uere proprium. et ratio est, quoniam contingeret subiectum reperiri posse sine proprio. huius loci exemplum est, si quis poneret aeris proprium respirabile, assignaret proprium potentia. respirabile enim illud dicitur, quod potentiam habet, ut respiretur. assignauit etiam proprium tale ad aliquod, nempe ad animal. respirabilis enim est aer, quoniam animal ipso utitur ad respirationem. potest autem aer esse etiam non existente animali, non tamen erit respirabilis, sed solum est respirabilis existente animali: non igitur respirabile erit aeris proprium. constructiuus autem talis est, si propriū alicui attributum referatur ad ens, uel si refertur ad non ens, illud proprium potentia tale est, quod etiam in non ente inesse posit. tale erit uere proprium. Exemplum primi modi, quando scilicet proprium refertur ad ens, quod solum philosophus attulit, tale est, ut siquis poneret proprium entis potens pati, aut agere: tale enim proprium refertur ad ens, & quandiu est ens, tamdiu reperitur potens agere, uel pati, recte igitur tale proprium est assignatum. Exemplum autem secundi modi, quando scilicet proprium refertur ad non ens, sed potest etiam non enti inesse, quod philosophus prætermisit, tale est, ut si quis diceret proprium esse materiæ primæ, ut sit contrariorum susceptiua. tale enim proprium ad non ens refertur, nempe ad primam materiam. prima materia non est ens, cum sit omnia potentia, nihil autem sit actu eorum, quæ sunt, sed potest tamen etiam non enti inesse. recte igitur tale proprium erit assignatum.

locus quinquagesimus secūdus, à proprio potētia. exemplū primi modi. exemplū primi modi. exēplum secundi modi.

NOTANDVM autem est, quòd quando locus est destructiuus, proprium refertur ad aliud quid, non id, cuius dicitur esse proprium. quando autem locus est constructiuus, non refertur ad aliud quid, sed ad ipsummet, cuius dicitur esse proprium.

quid notandū sit.

NOTANDVM autem est hoc in loco philosophum, ubi dicit, si potentia proprium assignans etiam ad non ens assignauit, per illud ad non ens intelligit, quod id, ad quod refertur, tale proprium potest non esse, existente eo, cuius proprium assignatur.

aliud notandum.

LOCVS QVINQVAGESIMVS TERTIVS.

Deinde destruenti quidem si per superabundantiam. DESVMITVR hic locus ab hyperbole: & est destructiuus, & constructiuus. destructiuus talis est, proprium assignatum secundum excessum non est uere proprium, ut si quis diceret, proprium esse ignis corpus leuissimum: & ratio est, quoniam contingit non de quocunque uerificatur tale proprium uerificari subiecti nomen. corrupto enim eo subiecto, cuius dicitur esse proprium, semper erit aliud quid, cui tale proprium competet, ut corrupto igne semper erit aliquod

locus quinquagesimus tertius ab hyperbole.

quod aliud, cui competat proprium illud corpus leuissimum. constructiuus autem talis est, si assignatum proprium non est assignatum secundum excessum recte quoad hoc erit assignatum, ut si quis dicat proprium esse hominis animal natura mansuetum.

DICIT autem philosophus, quòd corrupto igne erit adhuc aliquod corpus leuissimum, quod quidem intelligendum non simpliciter, sed in aliorum comparatione. quod enim dicitur secundum excessum semper dicitur in aliorum comparatione.

EXPLANATIO LIBRI VI. TOPICORVM ARISTOTELIS.

Cvm proposuerit philosophus quatuor esse in uniuersum problematum genera: problemata accidentis, quibus adnectuntur: problemata comparatiua: problemata generis: problemata proprii: & problemata diffinitionis, quibus adnectuntur problemata de eodem, & diuerso. in secundo libro tradidit locos ad problemata accidentis: in tertio ad problemata comparatiua. in quarto ad problemata generis: in quinto ad problemata proprii. in hoc igitur sexto consequenter locos tradet ad problemata definitionis. Tractabit igitur in hoc libro philosophus locos ad problemata definitionis. sed quoniã de definitione multa quæri possunt, & quæ sit eius natura: quid cũ demonstratione conueniat, utrum posit demonstrari: & quorum non sit definitio singularium, ne an uniuersalium substantiarum, ne an accidentium. loci hoc in libro tractandi ad nullam harum quæstionum sunt apti, quoniam nulla earum est dialectica: sed solum apti sunt ad destruendum, aut construẽdum, utrum asignata definitio sit definitio rei propositæ. quomodo cõnectatur hic liber cum superioribus. quot de definitione quæri possunt.

Qvinqve autem modi sunt, quibus destruere possumus assignatã definitionũ. primo ex eo, quòd non insit omni definito: atque ita continget, de quo nomen definiti prædicatur, de eodem non prædicari definitionem. secundo ex eo, quod non assumptum sit genus in ipsa definitione, cum tamen genus existat: ut si quis definiens scientiam diceret ipsam esse indiuisibilem à ratione, uel si assumptum quidem sit genus, sed non proprium sed alienũ: ut siquis definiens temperantiam diceret ipsam concentum quendam, hoc enim non est proprium genus temperantiæ. Debet autem assumi genus in ipsa definitione, & quidem proprium: atque ipsi postea differentias adiicere, quoniã definitio debet significare substantiã rei: genus autem magis, quàm cetera, quæ in definitione assumuntur, significat substantiam rei, quoniam genus prædicatur in quid: differentiæ autem ut qualitates assumuntur. præterea quoniam genus principium quoddam est definitionis: differentiæ uero sunt ipsius definitionis perfectio, & absolutio. differentiæ enim separant definitum ab his, quæ congenera sunt, & cognata, à quibus imposibile est separi definitum, nisi prius separatum sit à dissimilibus genere, quod quidem facit genus. Tertius modus, quo destrui potest asignata definitio, est ex eo quòd asignata definitio non sit propria definiti, & cum eo non conuertatur, ut siquis definiens hominem diceret ipsum esse animal gresibile, aut animal bipes. oportet enim definitionem cum suo definito conuerti, quemadmodum & proprium. quinque modi sunt, quibus destruere possumus assignatã definitionem.

Qvartvs modus, quo asignata definitio destruitur, est ex eo, quòd etsi prædicata omnia obseruata sint, quòd scilicet & insit definito, & genus proprium sit assumptum, & differentiæ adiectæ, & sit cum definito conuertibilis, non tamen sit definitio, quoniam non explicet, quid sit esse ipsi definito. sed sit descriptio quædam ex accidentibus cõstans, ut siquis definiens hominem diceret ipsum esse animal erectum bipes, & latis unguibus. Quintus & ultimus modus, quo definitio destruitur, est ex eo, quòd & si asignata definitio

definito insit, genus proprium assumpserit, sit cum definito conuertibilis, significet substantiam definiti, non tamen sit recte asignata, uel scilicet, quòd obscura sit, uel quòd superfluum aliquid contineat. tot igitur modis destrui potest asignata definitio.

non omnes quinque dicti modi hic sunt tractandi. quare primus nō potest hic tractari.

Cvm igitur quinque modi sint, quibus asignata definitio destruitur, uidendum est, nũ hi omnes hic sint pertractandi, aut quinam eorum omnes quidem in hoc libro pertractari non debent, cum quidam eorum ad superiores tractationes pertineat. Primus enim modus, quando scilicet probare uolumus asignatam definitionem non inesse definito, ex locis traditis ad quæstiones accidentis tractari debet: ex illis enim disputatur, utrum aliquid alicui insit, uel non insit: accidens enim sola inexistentia describitur. erat enim quod non est neque genus, neque definitio, neque proprium, inest autem rei. cum igitur probare uelimus asignatam definitionem definito non inesse, ad eos locos accedemus, ut si uelimus probare, quòd substantia inanimata insensibilis non est hominis definitio. Secundus autem modus, quo destruitur asignata definitio ex eo scilicet, quòd non habeat genus propriũ, sed alienum; ex locis illis tractari debet, qui traditi sunt ad quæstiones generis: ex quibus enim locis ostendimus asignatum genus non esse genus alicuius. ostendemus etiam genus positum in definitione non esse uerum genus. Eadem ratione & tertius modus, quo probatur definitionem non esse propriam, definitio tractari debet ex locis traditis ad quæstiones proprii: Et sicuti ex dictis locis accidentis generis, & proprii asignata definitio dictis modis destruitur, ita quoque & construetur. quare duo sunt reliqui modi in hoc libro pertractandi, nunquid scilicet asignata definitio sit definitio, & nunquid sit recte asignata. Atque hinc patet, quare in postremum locum dilatæ sint quæstiones definitionis.

duo reliquitãtum modi hic tractantur.

Cvm igitur, ut ostensum est, hi duo modi sint pertractandi, uideamus à quonam eorum præstet incipere. incipiendum quidem est à facilioribus, quare cum facilius sit ostendere asignatam definitionem non esse recte assignatam, quam non esse omnino definitionem: hinc igitur est incipiendũ. quod autem hoc ostendere facilius sit, probatur, quoniam id reprehendere, ubi plura sunt errata, facilius est, quàm pauciora. sed in recte asignando definitionem plura incidunt errata, quàm in asignando definitionem. illud igitur reprehendere facilius est, quàm hoc. quòd autem in recte assignanda definitione plura incidant errata, ostenditur, quoniam facilius est unumquodque efficere, quàm recte efficere; in eo autem, quod facilius efficitur, pauciora incidunt errata. Primum igitur tradendi sunt loci ad probandum asignatam definitionem non esse recte assignatam.

dupliciter definitio non recte assignatur.

Dvpliciter autem definitio non recte assignatur uel propter obscuritatem, uel propter superfluitatem. propter obscuritatem quidem, quoniã cũ definitio cognitionem efficere debeat sui subiecti, si quid obscurius in ea positum sit, non recte erit asignata. propter superfluitatem autem, quoniam ea sola in definitione sunt ponenda, quæ sunt ad explicandam substantiam definiti necessaria.

dubitatio. solutio.

Sed diceret quis, nonne peccari etiam potest ob defectum, sicuti peccatur ob superfluitatem? Dicendum est, quòd quando peccatur ob defectum, non peccatur non recte definiendo, sed non definiendo: propterea enim est deficiens definitio, quia aliquid deficit ad explicandum, quid sit esse ipsi definito. oratio autem, quæ non explicat, quid sit esse ipsi definito, omnino non est definitio.

Dvpliciter igitur peccatur non recte definiendo: atque uterque horum modorum in plures alios diuiditur, ut posterius uidebitur.

LOCVS PRIMVS.

Vnus ergo locus eius quod obscure est etc. Cvm dixerit philosophus dupliciter peccari non bene definiendo: & quòd uterque horum modorum in plures alios diuiditur, nunc incipit & assignare locos probantes non recte esse definitũ, & ostendere modos, in quos diuiditur. primus ille modus quando peccatur non recte definiendo propter obscuritatem. desumitur igitur hic locus ab æquiuocatione definitionis, & est nullum æquiuocum assumi debet in definitione: æquiuocum autem assumeret, ut siquis diceret generationem esse deductionem in substantiam, aut si quis diceret sanitatem esse symmetriam calidorum, & frigidorum. est enim æquiuoca uox deductio, quæ græce dicitur ἀγωγὴ, quoniam significat & lationem, quo modo dicitur frumenti aut uini deductio; significat etiam educationem, quo modo dicitur puerorum ἀγωγὴ. significat etiam transmutationem, quo significato utitur hanc uocẽ assumens in definitione generationis. symmetria etiã est uox æquiuoca, symmetria enim dicuntur, idest cõmensurabilia, & quæ communem habent mensuram, quomodo numeri, & magnitudines dicuntur commensurabiles, dicuntur etiam symmetra, quæ unicuique conueniũt, & apta sunt, ut indumenta, & calcei. symmetra etiam dicuntur ipsa elementa, quando in compositione mixti per mutuam actionem, & passionem ita sunt refracta, ut non amplius pugnent, sed eorum potẽtiæ proportionem quãdam acquisiuerint inter se, quæ quandiu perdurat, tandiu animal sanum permanet. atque hoc significato utitur, qui dicit sanitatem esse calidorum, & frigidorum symmetriam. cum igitur hæ uoces æquiuocæ sint obscuræ, fit definitio: & propterea non recte assignatur.

locus primus quando peccatur propter obscuritatẽ.

exemplum.

quomodo deductio sit uox æquiuoca.

quomõ symmetria.

LOCVS SECVNDVS.

Similiter autem etsi cum definitum multipliciter dicitur. Desvmitvr hic locus ab æquiuocatione definiti: & est, quòd æquiuocum, nisi prius distinguatur, non debet definiri. & ratio est, communis horum locorum, quoniam definitio est gratia cognitionis ipsius definiti. Si autem definitum non distinguatur, non efficiet eius cognitionem.

locus secundus ab æquiuocatione definiti.

Addit deinde philosophus duos modos, quibus calumniari possumus eũ, qui hoc modo definiat. Primus quòd probare possumus talem definitionem nõ inesse omni definito, proferẽtes scilicet significata definiti, de quibus denitio non uerificatur. oportet enim definitionem de omnibus uerificari, de quibus definiti nomen uerificatur. & hoc maxime fieri potest, cum latet æquiuocatio, quoniam ille, quid definit, si æquiuocationem ignorat, existimat significata allata uniuoce sub definito continere, & cum illis non conueniat definitio, omnino arbitratur non esse recte assignatam definitionem. si autem definiens æquiuocationem cognosceret, facile se defenderet, dicendo ipsum definitum multa significare, atque ea significata explicando, atque ostendendo, de quonam ipse intellexerit. ita enim effugiet reprehensionem Secundus modus, quo calumniari contingit talẽ definitionem, ut Alexander exponit, talis est, quòd possumus etiam accipere ipsum definitum, quod æquiuocum est, & syllogismum efferre, idest collectionem, & enumerationem

duo modi quibus calumniari possumus eum, qui hoc modo definiat.

secundus modus.

ſuorum ſignificatorum. ſi enim aſſignata definitio nulli eorum conueniat, non recte erit aſſignata, ut ſi eſſet aſſignata canis definitio, diceremus, quoniam hæc definitio neque conuenit cæleſti cani, neque terreſtri, neque marino, non igitur eſt recte aſsignata. Sed melius forte hoc modo poſſumus interpretari, quòd ſecundus modus, quo calumniari poſſumus aſſignatam definitionem, atque oſtendere, quòd non ſolũ non eſt recte aſſignata, ſed quod neque ineſt definito, talis eſt, quòd debemus ipſius definiti ſignificata diſtinguere; atque id ſignificatum, quo definitio de ipſo uerificatur, ſubiicere: & ne uideamur illud prætermittere, enumerare eius loco ipſam definitionem aſsignatam, deinde uti tali definitione pro argumento, oſtendendo, ſcilicet quod non ineſt alicui aliorum ſignificatorum. ita enim uidebimur oſtendere ipſam definitionem nulli ſignificato definiti ineſſe. quare neque omnino definito ineſſe, ut ſi definiretur canis, quod eſt animal greſsibile latrabile, diceremus, canem alium eſſe cæleſtem, alium marinum: & quod poſitum eſt animal greſſibile latrabile, & cum animal greſſibile latrabile neque cæleſti inſit, neque marino, neque igitur omnino cani ineſt: atque hoc ſecundo modo uti poſſumus, etiam cum nota eſt æquiuocatio.

melior alia interpretatio ſecundi modi.

Dicit autem philoſophus hos duos modos calumniari, quoniam nõ uere, & legitime redarguunt poſitionem; ſed doloſe, & ſophiſtice.

ſophiſtici sũt hi duo loci.

LOCVS TERTIVS.

Alius ſi ſecundum metaphoram dixit. Desvmitvr hic locus à metaphora; eſt autem metaphora, quando uocem, quæ de aliquo proprie dicitur, ad aliud ſignificandũ transferimus propter aliquam ſimilitudinẽ. locus igitur talis eſt. in definitione poni non debet uox dicta metaphorice, male igitur quis definiret ſcientiam eſſe opinionem indeciduam, aut definiret terram eſſe uiuentium nutricem, aut temperantia eſſe partium animæ ſymphoniam; hæ enim uoces dicuntur metaphorice. Indeciduum proprie dicitur de corporibus, quæ propter robur ſuum non cadunt. Nutrix proprie dicitur, de muliere puerum lacte nutriente. Symphonia proprie eſt in ſonis. tales igitur definitiones non ſunt recte aſſignatæ.

locus tertius à metaphora. quid ſit metaphora.

Docet deinde philoſophus, quòd tales definitiones dupliciter etiam poſſumus calumniari, ideſt doloſe oſtendere, quòd non inſint definitis. primo quidem accipiendo uocem aſſumptam metaphorice in ſuo proprio ſignificato, ut ſi quis diceret temperantiam eſſe ſymphoniam, obiiceremus, quod omnis ſymphonia eſt in ſonis: temperantia autem non eſt in ſonis, non ergo temperantia eſt ſymphonia. ſecundus autem modus calumniandi talis eſt, oſtendendo quòd definitum eſſet in duobus generibus, quæ neque ſubalterna ſunt, neque ſub communi proximo genere, ut ſi temperantiæ genus eſt ſymphonia, cum eiuſdem temperantiæ genus ſit uirtus, uirtus autem & ſymphonia, neque ſubalterna ſint, neque ſub communi proximo genere. temperantia igitur ſub duobus erit generibus non ſubalternis, neque ſub communi proximo genere poſitis; quod eſt impoſsibile.

dupliciter calumniãtur tales definitiones.

LOCVS QVARTVS.

Præterea ſi non poſitis nominibus utitur. Desvmitvr hic locus à nomine inconſueto, & eſt, quòd nomina inconſueta in definitione non ſunt ponenda. quænam autem ſint hæc nomina inconſueta, oſtendit philoſophus appoſitis quibuſdam

locus quartus à nomine inconſueto. exempla.

quibusdam nominibus, quibus est usus Plato appellans oculũ ὀφρυόσχιον, idest qui est sub aliorum umbra; & phalangium, qui est aranei species σηψιδακὲς, id est uenenosum animal ex putredine genitũ, & medullam ὀστεογενὲς, idest quod ex ea generantur ossa. talia etiam pleraque sunt apud Lycophronem, ut cum dixit mortem πεφναίαν, idest morte dignam, & cum appellauit mulierem ob impudentiam canem.

LOCVS QVINTVS.

locus quintus ab abusione.

quid sit abusiuum.

Quædam autem neque secundum æquiuocationem. DESVMITVR hic locus ex abusione: & est, quòd nullum abusiuum in definitione est assumendum. abusiuum autem id dicitur, quod neque secundum æquiuocationem dicitur, neque secundum metaphoram, neque tamen proprie: ut siquis diceret legem esse mensuram, & similitudinem eorum, quæ natura iusta sunt. Probatq; philosophus peius esse talia assumere in definitione, quam aliquod metaphoricum. Et ratio est, quoniam metaphorice dictum & si proprie rem non significet, ipsam tamen aliquo modo notam facit propter similitudinem, quæ semper reperitur in metaphora. abusiua autem nullam efficere possunt cognitionem, quoniam non dicuntur secundum similitudinem aliquam: neque enim est aliqua similitudo, propter quam lex dicatur metrum, & similitudo. est etiam peius talia assumere, quàm aliquod æquiuocum, quoniam æquiuoca sunt consueta; hæc autem præter consuetudinem dicuntur. qui igitur hoc modo legem definit, quòd sit mensura, & simulachrum eorum, quæ natura iusta sunt, si existimat hæc proprie dici, aberrat. mensura enim est in genere quantitatis, lex autem non est in genere quantitatis; simulachrum autem est imitatio animalis ex coloribus quibusdam, etiã lineis efformata; lex autem non est talis imitatio: non igitur lex proprie dicitur mensura, aut simulachrum, improprie igitur dicitur. quare ignote, & immanifeste: atque ideo tales definitiones non recte assignantur.

ratio quare peius sit abusiua, quàm metaphorica in definitione assumere.

quare peius etiã sit talia assumere quã æquiuocum.

quid notãdũ.

NOTANDVM autem hic solum probare philosophum ea, quæ abusiue dicuntur peius esse assumere in definitione, quàm metaphorica.

ALEXANDER autem hoc extendit ad æquiuoca etiam: atque hoc ex uerbis etiã philosophi potest comprobari, ubi dicit, Neque proprie solet dici. in æquiuocis enim etsi similitudo non sit, est tamen consuetudo, quæ in abusiue dictis non est.

quid differãt abusiua ab æquiuocis, & metaphoricis

HINC patet quidnam differant abusiue dicta ab æquiuocis, & metaphoricis, quoniam scilicet & inconsueta dicuntur, & præter similitudinem.

LOCVS SEXTVS.

locus sextus à declaratione contrarii.

Insuper etiam si non manifestum est. DESVMITVR hic locus à declaratione contrarii: & est, quòd definitio talis debet esse, ut ex ea manifesta etiã fiat definitio contrarii, si definitum contrarium habeat. ita enim uidemus, quòd si quis definiat iniustitiam, quod est uitium animæ, hinc statim apertum fit iustitiam, quæ est iniustitiæ contraria, esse uirtutem animæ: & si quis definiat albedinem, quod est color disgregatiuus uisus, hinc statim aperitur, quòd nigredo est congregatiua uisus. si igitur assignata definitio talis sit, ut ex ea non pateat, definitio contrarii ipsius definiti non erit recte assignata.

exemplum.

LOCVS SEPTIMVS.

locus septimus à noto per se.

Aut si per se dicta non sit manifestum. DESVMITVR hic locus à noto per se, & est, quòd per se notum esse debet, cuiusnam sit assignata definitio, idest, quòd & si quis definitum non apponat, definitio tamen talis esse debet, ut facile pateat, cuiusnam definitio sit: dicitq; philosophus consimiles esse eos, qui ita definiunt, ut per se notum non sit cuiusnam sit definitio antiquis pictoribus, qui ita ruditer depingebant, ut eorum imagines inscriptione indigerent, ut cognosceretur, quarum rerum esset imagines. si enim canem, aut suem depingebant, nomen eius animalis apponebant, nequis forte lupum, aut ursum esse depictum suspicatus esset. Si igitur per se notum non sit, cuiusnam sit assignata definitio: sed oportet, ut definitum adiiciatur, talis definitio erit obscura, & non recte assignata.

cuinam sint hæ definitiones similes.

LOCVS OCTAVVS.

locus octauus & est primus locus ex superfluitate.

Si autem superfluum dixit in termino etc. CVM proposuerit philosophus duobus modis non recte assignari definitionem propter obscuritatem, & propter superfluitatem, ac tradiderit septem locos obscuritatis; nunc transit ad locos superfluitatis.

quid hoc loco notet Alexander.

NOTAT autem Alexander, quòd si definitio peccat, eo quòd sit communior, & in plus dicatur, quàm definitum, non reprehenditur superfluitatis, neque quòd nō sit recte assignata: ut si quis hominis definitionem poneret animal gressibile. sed tunc arguitur superfluitatis, quando dictio aliqua in definitione ponitur, qua ablata reliqua definitio propria est definiti, & explicat eius essentiam, atque hoc uitium est in definitione, perinde ac in formoso corpore uerruca.

unde desumatur hic locus à nomine scilicet cōmuni. exemplum.

DESVMITVR autem hic primus locus à nomine communi: & est, nullum commune nomen uel ex his, quæ rebus omnibus insunt, uel ex his, quæ insunt omnibus contentis sub genere definiti, in definitione poni debet. inexistens omnibus assumeret in definitione, si quis definiret hominem, quòd est animal rationale mortale unum existens. Additur enim illud unū existēs, quod superfluum est, quoniam omnibus inest, & eiusdem generis, & diuersorum generum. Inexistens autem omnibus eiusdem generis assumeret in definitione, si quis diceret hominem esse animal rationale sensibile. illud enim sensibile inest omnibus speciebus, quæ sunt sub animali.

huius loci rō.

HVIVS loci rationem affert philosophus, quoniam oportet genus distinguere definitum ab his, quæ sunt diuersorum generum: differentiam autem ipsam distinguere ab his, quæ sunt eiusdem generis. sed id, quod omnibus inest, non distinguit definitum ab his, quæ sunt diuersorum generum, quod autem inest omnibus eiusdem generis, non distinguit definitum ab his, quæ sunt eiusdem generis, & cum assumatur pro differentia, male assumitur. neutrum igitur horum ponendum est in definitione.

LOCVS NONVS.

locus nonus in tres partes diuiditur.

Aut si est quidem proprium quod appositum est etc. DIVIDITVR hic locus in tres partes. in prima explicat locum de proprio, atque affert exemplum. in secunda locum uniuersaliorem reddit, atque exemplum affert de genere, de

quo

quo exemplo disputat. in tertia locum etiam applicat differentiis, affert exẽplum, & de eo etiam disputat. Desumitur hic locus ab additione proprii: & est, proprium etiam, quo ablato reliqua definitio propria est, & substãtiam significat definiti, non debet poni in definitione. male igitur quis definiret hominem esse animal rationale mortale, scientiæ susceptiuum. addit enim proprium illud sciẽtiæ susceptiuum, quo ablato reliqua definitio est propria, & significat substantiam definiti.

locus iste desumitur ab additione proprii.

exemplum.

In secunda parte dicit philosophus, Simpliciter autem esse dicendo omne id est superfluum quo ablato reliqua significat, quid sit ipsum definitum. quæ uerba ob duas rationes dixisse uidetur philosophus, primo quoniam in superiori loco dixit male poni in definitione nomen commune, & in hoc loco male etiam poni nomen proprium, quando eo ablato reliquum adhuc explicat, quid sit definitum. merito subdit hoc esse in uniuersum uerum, quod illud omne superfluum est in definitione quo ablato reliquum adhuc explicat substantiam definiti. secundo hoc dixisse uidetur philosophus, quoniam non solum proprium male ponitur in definitione, si tale sit, quòd eo ablato reliquum explicat, quid sit definitum: sed etiam genus, & quicquid aliud in definitione hac conditione ponatur, unde subdit, sicuti faciunt, qui definiunt animam esse numerum se ipsum mouentem, ut Xenocrates. numerus enim in hac definitione frustra poni uidetur, quoniam eo ablato reliquum adhuc explicat, quid sit definitum. nam & quod se ipsum mouet, est anima, ut Plato definit in Phædro.

hæc est secũda pars.

exemplum.

Sed quoniam hoc loco occurrebat dubitatio, ideo philosophus ipsam dissoluit. Potuisset dicere quis, quomodo uerum est, quod dixisti, quòd ablato numero animæ definitio non corrumpitur, cum numerus sit animæ genus? Respondet philosophus ad hanc difficultatem, quòd si cõcedamus numerum esse genus animæ eo ablato, id, quod relinquitur, erit proprium animæ, non autem definitio, quoniam non significabit substantiam definiti. Vtrum autem horum uerum sit, utrum scilicet numerus sit animæ genus, uel non; & utrum eo ablato reliquum sit definitio animæ, uel proprium, difficile est determinare, & maiori inquisitione indiget, quàm quæ est à dialectica facultate. In tertia parte dicit philosophus, Vtendum autem in omnibus talibus ad id, quod expedit. quæ uerba aptauit Alexãder exemplo superius allato de animæ definitione, quòd scilicet uti debemus proposito exemplo, sicuti nobis utile est. Vtile autem nobis fuerit, si accipiamus numerum tanquam genus animæ. Et forte uitium est in Alexandri contextu, quia melius uidetur quantum pertinet ad præsentem locum, si accipiamus numerum non esse genus animæ. Hæc tamen pars aliter exponi debere uidetur, quod scilicet cum dixerit philosophus, simpliciter uerum est, quòd id omne superflue ponitur in definitione, quo ablato definitio non uitiatur: atque hoc ostendit, quando id assumitur loco generis: nunc ostendit idem uerum esse, quando assumitur loco differentiæ. Hoc igitur quod dicit philosophus, utendum autem est in omnibus, prout expedit, intelligere debemus, quod uti debemus loco proposito, non solum in proprio, aut in genere, sed in omni alio, quod assumatur in definitione. semper enim si assumptum tale sit, quod eo ablato reliquum adhuc significet substantiam definiti, superfluũ omnino erit: Vt si quis definiens phlegma diceret ipsum esse humidum, primum quòd ex cibo fit indigestum; illud enim indigestum superflue ponitur in hac definitione: & eo ablato reliqua adhuc definitio propria est. id enim quod primum ex cibo fit, unum est & non multa, unum enim tantum potest esse, quod primum ex cibo fiat:

dubitatio quã affert philosophus.

philosophi solutio.

hæc pars aliter exponi uidetur.

exemplum.

bo fiat: illud igitur indigestum frustra additur, cum definitum à nullo separet. Deinde aduersus etiam hoc exemplum dubitat philosophus, quòd forte particula illa indigestum in hac definitione esse necessaria, quoniam phlegma non simpliciter est primum eorum, quæ ex cibo fiunt, sed est primum indigestorum, quod si ita sit, nisi eam particulam adiiciamus, definitio non erit uera: sed quamuis ita sit, loco tamen uti debemus, pro ut nobis utile fuerit. cum dialectici munus sit non ueritatem inuestigare, sed probabiliter disputare: & forte hoc uoluit significare philosophus uerbis illis. Vtendum autem in omnibus talibus ad id, quod expedit.

LOCVS DECIMVS.

locus decimus ab eo, quod non est omni definito.

Insuper si quippiam eorum, quæ sunt in oratione. DESVMITVR hic locus ab eo, quod non inest omni definito: & est, id, quod non inest omnibus contentis, contentis sub definito non debet poni in eius definitione. tale autem quid assumeret, si quis definiet hominem esse animal gressibile bipes quadricubitale, neque enim omnis homo est staturæ quadricubitalis. dicit autem philosophus talem definitionem peiorẽ esse, quam ea, in qua assumitur aliquod inexistens rebus omnibus. & ratio est, quoniam peior est ea definitio, quæ non est propria, & cõuertibilis cum suo definito, sed in qua additur aliquod inexistens omnibus, est nihilominus propria & conuertibilis, quoniam si proprie, & conuertibili orationi quodcunque uerum addatur, totum etiam erit proprium, & conuertibile: si autem ei addatur aliquod, quod sit in minus, quàm definitum, oratio illa non iam amplius propria est, & conuertibilis. Peior igitur est definitio, in qua additur aliquod, quod est in minus, quàm definitum, quàm ea, in qua additur aliquod inexistens omnibus.

LOCVS VNDECIMVS.

locus undecimus à frequẽter dicto.

Rursus si idem frequenter dixit. DESVMITVR hic locus à frequenter dicto: atque in eo tractando philosophus primo locum proponit, & exemplum affert. secundo ostendit propositum exemplum nõ peccare, sicuti acceperat. & hoc alio exemplo ostendit, caussamque affert, quare neutrum eorum neque consimilia peccent. tertio ostendit quomodo peccetur idem, frequenter dicendo, & hoc duobus exemplis declarat.

quinã sit hic locus.

EST igitur hic locus, quòd idem bis, aut sæpius in definitione, poni non debet idem autem pluries potest poni in definitione, uel actu, uel potentia, ut notat Alexander: actu, ut si quis diceret hominem esse animal gressibile rationale: atque hic error raro incidit, cum sit admodum conspicuus, & manifestus. magis autem latet, atque iccirco frequentius contingit plures poni idem potentia in definitione, hoc autem fit cum ponitur aliquid in definitione, quod in alio etiam posito in eadem definitione cõprehenditur, ut si quis definiat hominẽ, quòd sit animal gressibile bipes, sensitiuum; illud enim sensitiuum potentia comprehenditur in animali, cum animal sit substantia animata sensitiua. philosophus autem huius loci tale exemplum attulit, ut si quis diceret concupiscentiam esse appetitum delectabilis. hic enim delectabile pluries dicitur, primo in uerbo concupiscentia potentia continetur, quia omnis concupiscentia est delectabilis. secũdo postea actu ponitur in definitione. quod autem hoc male ponatur, ostenditur, quoniam sequeretur concupiscentiam esse appetitum delectabilis, delectabilis quod

omnino

omnino nugatorium est, & uanum. quod autem hoc consequatur, hinc patet, quoniam omnis concupiscentia est delectabilis, ergo & omne id, quod est idem, quod concupiscentia erit delectabile: quodcunque enim alicui cõuenit, omnibus, quæ sunt, idem, ei conuenit. cum igitur appetitus delectabilis sit idem, quod concupiscentia, quia definitio est idem quod definitum, ergo appetitus delectabilis erit delectabilis. In secunda parte ostendit philosophus non esse inconueniens, quod in hoc exemplo dictum est, esse inconueniens, quòd scilicet dicatur appetitus delectabilis, delectabilis natura: etiã homo bipes est: quare & quicquid est, idem homini bipes quoque dicitur, cum igitur animal gresibile bipes sit idem homini, erit igitur animal gresibile bipes bipes. Quare autem non sit inconueniens dicere animal gresibile bipes bipes esse, neque appetitum delectabilis, delectabilis esse ratio est, quoniam non est simpliciter inconueniens idem nomen pluries dici, sed tũc est inconueniens, quando id nomen, quod pluries ponitur de aliquo in ea oratione posito, pluries prædicatur. sed cum dico animal gresibile bipes bipes esse; etsi hoc nomen bipes bis assumptum sit, non prædicatur tamen de aliquo pluries, sed semel tantum. de animali enim gresibili bipes nõ prædicatur, quoniam animal gresibile non omnino est bipes. & quando audimus animal gresibile, omnino intelligimus ipsum bipes esse, sed solum de animali gresibili bipede bipes prædicatur, quare semel tantum prædicatur. Pariter cum dicimus appetitum delectabilis esse delectabilis, etsi delectabile bis dicatur, non tamen bis prædicatur de aliquo, quoniam delectabile non prædicatur de appetitu, sed solum prædicatur de appetitu delectabilis. In tertia parte philosophus hoc primum ostendit non esse inconueniens idem nomen pluries dicere, quãdo pluries non prædicatur de aliquo. Deinde duo exempla affert, in quibus idem pluries prædicatur. Primum est Xenocratis, qui dicebat prudentiam esse definitiuam, & contemplatiuam eorum, quæ sunt, hic enim contemplatiuum bis ponitur, continetur enim in definitiuo potentia, & ei postea actu additur. Consimiliter peccant, qui dicunt refrigerationem esse priuationem caloris secundum naturam: illud enim secundum naturam superfluum est, quoniam ipsa priuatio declarat, quòd est alicuius secundum naturam, eo quòd omnis priuatio est alicuius existentis secundum naturam. consimiliter peccaret, si quis diceret uirtutem esse habitum consistentem in mediocritate, excessus, & defectus optimum; id enim optimum continetur in eo, quod dicitur in mediocritate, eo quòd omne consistens in mediocritate optimum est. Superfluum etiam est illud excessus, & defectus, cum & hoc contineatur in eo, quod dicitur in mediocritate. consimiliter etiam peccaret, qui diceret lineam esse illud ex dimensi, quoniam secundum unum tantum est dimensum. Et qui diceret hominem esse animal electionem habens, & consilium.

quid in secunda parte philosophus ostẽdat.

aliud exẽplũ.

quid in tertia parte ostendat philosophus.

CIRCA ultimum exemplum philosophi de priuatione annotat Alexander quod duplex est priuatio quædam secundum naturam, quædam præter naturam; priuatio secundum naturam est, quæ priuat solum actum contrarii habitus, non etiam potentiam, ut somnus: priuatio præter naturam est, quæ priuat non solum actum, sed etiam potẽtiam, ut cæcitas. qui igitur assignat priuationem præter naturam, & addit uerbum secundum naturam, peccat aduersus propositum locum, quoniam patet, quod omnis talis priuatio est alicuius existentis secundum naturam. at qui assignat priuationem secundum naturam, non peccat aduersus propositum locum, si addat particulam secundum naturam, ut si quis dicat somnum esse priuationem uigiliæ secundum

duplex priuatio uel secundum naturã, uel præter naturam.

dum naturam, & in hoc deceptus est Sotion philosophus.

explicatio illius partis philosophi cũ dicit nõ eẽ &c.

QVOD dictum est à philosopho non esse inconueniens idem bis dicere, sed esse inconueniens idem bis prædicare de aliquo, explicatione aliqua indiget, quando dixit philosophus non esse inconueniens idem bis dicere, intelligit, quando apponitur coniunctio uerbalis: sicut enim non est inconueniens, quòd inexistens alicui de ipso prædicetur, ut quòd bipes de homine prædicetur, & si ipsum in se habeat, uere enim & recte dicitur hominem esse bipedem. Ita non est inconueniens, quod bipes prædicetur de hominis definitionem, & dicatur animal gresibile bipes esse bipes. est autem inconueniens idem bis prædicare de aliquo, quod contingit, quando aliquod nomẽ apponitur alicui sine coniunctione uerbi, quod nomen in eo continetur uel potentia, uel actu, ut si dicamus animal sensitiuũ: aut si dicamus animal gressibile bipes, bipes & hoc est quod in hoc loco reprehenditur. atque hinc sequitur, quòd si dicamus concupiscentia est appetitus delectabilis, delectabilis aut homo est animal gressibile bipes, bipes nugatorium est, & uanum. si autem dicamus, appetitus delectabilis est, delectabilis, aut animal gresibile bipes est bipes, recte dicitur & sine reprehensione, neque ualet dicere homo est animal gresibile bipes, animal gresibile bipes est bipes, ergo homo est animal gresibile bipes bipes, sicuti non ualet dicere homo est animal, animal est uiuens, ergo homo est animal uiuens.

DVBITARET quis circa eam propositionem, quodcunque competit alicui, competit etiã omnibus, quæ sunt idem ei. si enim hoc esset uerum, sequeretur, quoniam animal rationale mortale conuenit homini, & est idem quod homo, quod animal rationale mortale esset animal rationale mortale, quod est absurdum. Dicendum est hoc omnino sequi, neque esse aliqua ex parte absurdum, neque absurdum est, ut superius diximus, idem bis dicere.

LOCVS DVODECIMVS.

locus duodecimus ab additione particularis.

Rursus si uniuersaliter dicto. DESVMITVR hic locus ab additione particularis: & est, quòd cum in definitione positum sit uniuersale, particulare sub eo cõtentum non debet apponi. Ita igitur quis male definiret clementiam esse imminutionem conducibilium, & iustorum. Iustum enim in conducibili comprehenditur, quare superfluum est. Pariter quoque male quis definiret medicinam esse scientiam salubrium animali, & homini, homo enim in animali comprehenditur, quare superflue additur. Male etiam quis definiret legem esse imaginem eorum, quæ natura honesta sunt, & iusta. iustum enim in honesto comprehenditur atque hi sunt loci, quibus ostenditur definitionem non esse recte asignatam. Deinceps autem tradentur loci, quibus ostendatur asignatam definitionem non esse definitionem.

exẽpla loci.

quid differat hic locus à superiori.

NOTAT Alexander differre hunc locum à superiori, eo quòd in eo ostenditur, propositum esse idem alicui eorum, quæ ponuntur in definitionem. Hic autem ostenditur, quod comprehenditur sub aliquo, ut particulare sub uniuersali.

dubitatio.

solutio.

DVBITAT etiam, quoniam uidetur, quòd hic locus sit falsus: si enim dicamus auem esse uolatilem fissipennem, illud fissipennem non superflue additur, & tamen continetur in uolatili. soluit Alexander, quòd hoc exemplum non est simile exemplis in loco propositis: in his enim uniuersale est propriũ rei, quæ definitur, idest ipsi uniuersaliter competit: atque ita particulare superflue additur, qui enim dicit legem esse imaginem natura honestorum,

omnia

omnia honesta comprehendit, quia si particulariter intelligeret, determinationem aliquam adiiceret: ut quod est imago honestorũ, quæ in iustis sunt, eodem modo & qui dicit medicinam esse scientiam salubrium animali: & cũ dicimus auem esse uolatilem, illud uolatile non est proprium aui, neque ei uniuersaliter competit. Præterea in hoc exemplo illud uolatile est genus, fissipenne est differentia. propositus autẽ locus intelligitur, cum fuerit assumptum genus non debere etiam assumi speciem sub eo contentam. tria igitur ex Alexandri sententia requirit hic locus, primo quòd uniuersale assumptũ sit proprium definiti. secundo quòd non sit eius genus. tertio quòd particulare assumptum non sit differentia, sed contineatur in uniuersali, ut species in genere.

tria ex Alexandri sentẽtia hic requiruntur.

LOCVS DECIMVS TERTIVS.

Vtrum uero definiuit, & dixit ect. DESVMITVR hic locus ex prioribus, & notioribus: & est, definitio constare debet ex prioribus, & notioribus. Philosophus autem posteaquam hunc locum explicauit, duos locos tradit, qui bus ostendatur definitionem non esse ex notioribus. Horum secundus est, si quietum, & determinatum pro mota, & indeterminata definiatur. Primus autem est, si definitio non sit ex prioribus: ad ostendendum autem definitionem non esse ex prioribus tres tradit locos, primus est ex contrariis, secundus ex eodem, tertius ex contradistinctis: alium etiam locum addit ex inferioribus, quem tamen reducit ad secundum.

locus decimus tertius ex prioribus & notioribus

PRIMO igitur philosophus tradit locum, qui talis est; definitio debet esse ex prioribus, & notioribus: atque huius loci duas affert rationes, prima est, quoniam definitio est gratia cognitionis; cognoscimus autem ex prioribus & notioribus. secunda ratio est per deductionem ad impossibile, quoniam sequeretur plures esse eiusdem definitiones, atque ita plures essentias. Deinde ostendit, quòd dupliciter redarguitur definitio, quòd non sit ex notioribus, primo quia non sit ex notioribus simpliciter, secundo quia non sit ex notioribus nobis. declaratq;, quid sit notius simpliciter, est enim uatura prius, quare hic erit primus locus ostendendi definitum non esse ex notioribus, eo quòd non sit ex prioribus natura. Declarat deinde philosophus, quòd nobis aliquando accidit natura posterius esse notius, & quòd simpliciter melius est definire ex prioribus simpliciter, propter eos tamen, qui ea non assequuntur, melius est definire ex posterioribus, & quæ illis sunt notiora: & ostendit quænam sint hæ definitiones ex posterioribus, Deinde duabus rationibus probat, quòd qui definit ex prioribus, & notioribus, nobis non definit, neque significat quid est esse definito, nisi contingat eadem esse priora, & notiora simpliciter. Prima ratio est, quoniam definitio constat ex genere, & differentia, quorum utrunque est prius definito, quoniam ab ipsis non conuertitur subsistendi consequentia, & eadem ratione sunt etiam notiora definito, quod est species, quoniam ab ipsis ad speciem non conuertitur cognoscendi consequentia. secunda ratio est, quoniã plures erunt eiusdem rei definitiones, quoniam hæc notiora nobis non semper eadem assumentur, cum alia aliis sint notiora, immo uni, & eidem diuersis temporibus, alia atque alia sunt notiora. si autem ex prioribus, quæ simpliciter notiora sunt, definitio fiat una tantum, unius rei erit definitio, ut conuenit: & declarat, quòd simpliciter notius non dicitur, quod est notum omnibus, sed scientibus, & peritis, sicuti & salubre simpliciter non dicitur respectu omnium,

quinam sit locus.

dupliciter redarguitur definitio.

quid deinde declaret philosophus.

nium, sed eorum, qui recte sunt affecti. admonetq́; hæc quidem esse cognoscenda, sed quod in disputando ipsis uti debemus, prout nobis utile fuerit. si enim quis definiuit ex notioribus simpliciter, dicere debemus oportere definire ex notioribus, nobis: si definiuit ex notioribus nobis, dicere debemus oportere definire ex notioribus simpliciter: quod si utrunque adsit, alterū tamē eorū tentare debemus infirmare. Deinde dicit destrui quidem definitionē ostēdendo, quòd non sit ex notioribus, simpliciter, sed quod præcipue, & maxime destruitur, si ostendatur quòd non sit ex notioribus neque nobis neque simpliciter: ut si quis definiret hominem esse animal instar aquæ motum, atque ita concludit primum locum ad ostendendum definitionem non esse ex notioribus, esse ex eo, quòd non sit ex prioribus. Secundus autem locus talis est. quietum, & determinatum, per motum & indeterminatum definiri non debet, quoniam quietum, & determinatum notius est, quàm motum, & indeterminatum. hoc modo peccaret, qui definiret ideam esse causam rerum materialium, quæ ad ipsam fiunt. Hoc etiam modo peccaret, qui definiret scientiam esse abiectionem ignorantiæ. Tradit deinde philosophus tres locos, quibus ostendatur definitionem assignatam non esse ex prioribus; eorum primus talis est, si definitio alicuius assignetur per eius conrium, non erit ex prioribus, quoniam contraria sunt simul natura: ut si quis definiens bonum acciperet malum. Notat tamen quædam esse relatiua scilicet in quorum definitione oppositum necessario assumi debet: notatq́; hæc quidem esse cognoscenda, sed quòd ipsis uti debemus, sicuti nobis utile fuerit. si enim aliquod relatiuum definiens assumpsit oppositum, obiicere debemus, quòd non definiuit ex prioribus: si autem uelimus construere hos locos, proposito nostro accommodabimus. dialectica enim non est ueritatis inquisitiua, sed solum probabiliter disputat. Tradit deinde philosophus secundum locum, quo ostenditur definitionem assignatam non esse ex prioribus, qui talis est, si idem, quod definitur, in sui definitione accipiatur, definitio non erit ex prioribus: hoc autem latenter aliquando fit assumendo scilicet ipsum definitum alio nomine, uel assumendo aliquid, in cuius definitione ipsum definitum contineatur. Docet autem, quomodo talis error defendatur assumendo, scilicet nominis definitionem, exemplum est, ut si quis definiat solem, quòd sit astrum in die apparens.

qui sit secundus locus.

Tertivs locus, quo ostendatur definitionem assignatam nō esse ex prioribus, talis est, si in definitione contradistincti contradistinctum assumatur, talis definitio non erit ex prioribus, quoniam cōtradistincta sunt simul natura, exemplum est, ut si quis impar definiat, quòd est pari unitate maius. addit deinde philosophus alium locum ad idem probandum definitionem scilicet assignatam non esse ex prioribus, qui talis est, si in definitione alicuius superioris aliquod inferius contineatur, ea definitio non erit ex prioribus, sed ostendit quòd hic locus reducitur ad secundum, quoniam qui assumit in definitione superioris, aliquod inferius omnino unum idem assumit, ut qui definiens numerum parem, quod in duo æqualia diuidatur, accipiens duo accipit unum parem numerum, quoniam duo sunt numerus par.

qui sit tertius.

huius loci exemplum.

Hic autem plura sunt obseruanda, ac primo loci, qui sunt omnes numero septem. locus primo uniuersalis, cuius sunt aliæ partes, quòd definitio constare debet ex prioribus, & notioribus: deinde sunt duo loci, quibus ostenditur definitionē non esse ex notioribus. Primus si definitio nō sit ex prioribus natura: secundus si quietum, & determinatum per motum, & indeterminatum definiatur. deinde quatuor sunt loci, quibus ostenditur definitionem non

quenā hic obseruanda.

non esse ex prioribus natura. Primus est, si in definitione unius contrarii alterum contrarium assumatur. secundus est, si definitum in definitione assumatur. tertius. si contradistinctum per contradistinctum definiatur. quartus si in definitione superioris assumatur aliquod inferius, licet ad secundum hic locus reducatur.

OBSERVANDA etiam est propositio illa, quæ est in principio huius loci, quòd definitio, & demonstratio, & omnis doctrina, & disciplina est ex prioribus, & notioribus, quæ propositio ponitur etiam ab ipso philosopho initio libri posteriorum. obseruandum etiam est deducente philosopho pro absurdo, quòd plures essent eiusdem definitiones, quòd unius rei una tantum potest esse definitio, cum & una tantum sit essentia.

INTELLIGENDVM autem est de propria definitione, & quæ datur per intrinseca. obseruandum etiam est, quænam dicantur notiora simpliciter, quòd scilicet ea sunt, quæ sunt natura priora, sicuti sunt principia his, quæ constant ex principiis, & uniuersalia singularibus. Et non dicuntur notiora simpliciter, quod omnibus sint nota, sed sapientibus, & eruditis, sicuti & salubre simpliciter. quænam sint ea, quæ dicuntur notiora simpliciter.

NOTANDVM etiam est circa id, quod dictum est aliquando accidere natura posterius esse nobis notius, quòd optima illa est definitio, quæ constat ex notioribus nobis, & simpliciter. in his autem definiendis, quæ non sunt notiora nobis, & simpliciter, necesse est alterum absurdum contingere: uel scilicet quòd definitio non sit ex notioribus natura, uel quòd non sit ex notioribus nobis. quid notandum.

NOTANDVM etiam est, quænam sint notiora nobis, quòd ea scilicet sunt, quæ magis sub sensum cadunt, ut corpus, quàm linea. Quænam sint notiora nobis.

NOTANDVM etiam est, quod dicit philosophus melius esse definire ex prioribus, & notioribus simpliciter, quàm ex notioribus nobis: & quòd respectu imperitorum melius est ex notioribus ipsis.

NOTANDVM & id, quomodo peccent definitiones illæ puncti lineæ, & superficiei.

NOTANDVM etiam, quòd si definitio dicitur per posteriora non significat quod est esse definito, quod philosophus diligenter probat, ut dictū est.

NOTANDVM & illud est, quòd si definitio constet ex genere, & differentia, constabit ex prioribus & notioribus tum nobis, tum simpliciter.

NOTANDVM & illud quomodo probetur aliquid esse simpliciter notius, quoniam scilicet ab eo non conuertatur cognoscendi consequentia, qua ratione genus est nobis notius specie. si enim cognoscimus speciem omnino, & genus cognoscimus: sed non è conuerso. uidentes enim piscem, & auem inconsuetam scimus quidem esse piscem, aut auem, quænam sit nescimus.

QVOD autem dictum est, quod uni, & eidem diuersis temporibus alia, atque alia sunt notiora: hoc modo est intelligendum, quoniam in prima ætate pueritiæ scilicet sensibilia nota sunt, quoniam tunc sensus solum operatur: intelligibilia autem omnino ignota. ei autem, qui in disciplinis profecerit sensibilia ignota esse uidentur, quod in continuo fluxu sint. Intelligibilia autem nota esse uidentur, quòd stabilia sint permanentia, & nulli obnoxia mutationi. quare si ex notioribus nobis assignetur definitio, neque etiam respectu eiusdem eadem semper assignari debebit definitio. Quid hoc loco sit intelligendum per quod uni &c.

CIRCA id, quod dictum est in definitione ideæ, quòd est causa rerum materialium, quæ ad ipsam fiunt. Notandum est hunc esse proprium modum loquendi ideæ. Plato enim formalem causam appellabat, quòd materialem secundum modus proprius loquendi secundum Platonem.

cundū quod efficientem à quo, finalem propter quod, exemplarē ad quod, instrumentalem quo.

In eodem loco uerba quædam sunt, quæ dupliciter leguntur. quidam enim contextus habent, & quæcunque non secundum se, sed ad aliud dicuntur. & eorum intellectus apertus est, quòd scilicet in definitione eorum oppositorum, quæ non dicuntur per se, sed ad aliud, quæ sunt relatiua, oppositū omnino assumitur. alii autem legunt, & quæcunque per se ad aliquid dicuntur; atque hoc modo legit & interpretatur Alexander. Dicit enim quædam esse, quæ non per se sunt ad aliquid, sed per aliud: & quædam, quæ per accidens sunt ad aliquid ea, quorum genus est ad aliquid: ipsa autem alioqui non sunt ad aliquid, ut medicina, & musica: sunt ad aliquid in eo quòd scientiæ: per accidens autem sunt ad aliquid, quæ propter aliquid accidens ipsis ad aliquid referuntur, non autem propria ratione, ut unitas est ad aliquid in eo, quod principium. ut igitur hæc excluderet, dixit philosophus, quæ per se sunt ad aliquid.

Notandvm demum est uitium in definitionibus illis numeri paris, atque imparis existens: & quanam ratione tales definitiones peccent.

LOCVS DECIMVS QVARTVS.

Locus decimus quartus unde desumatur.

Secundus autem si in genere existentis. Hic est secundus locus, quo probatur definitionem assignatam non esse definitionem, est autem locorum definitionis. decimus quartus, desumitur à genere prætermisso: & est in definitione cuiuscūque habentis genus, ipsum genus assumi debet, cuius rationem afferens Alexander dicit, quòd quemadmodum pictores imagines suas prius delineant, deinde uero coloribus uariis depingunt, & absoluunt: ita nos in assignandis definitionibus per genus primo delineamus naturam rei, per differentias autem depingimus, & absoluimus. Primum enim dicere oportet, quidnam sit res, deinde uero quale quid sit: ex utroque enim genere horum constat ipsum, quid est esse rei. Qui igitur definiunt, & prætermittunt dicere, quid sit definitum, peccant, ut si quis definiat corpus, quod tres habet dimensiones, aut si quis definiat hominem, definiat hominem, quod sciat numerare. non enim dicunt, quidnam sit id, quod tres habet dimensiones, aut quidnam sit id, quod scit numerare.

exemplum.

Dixit autem philosophus si in genere existentis, quoniam quædam sunt, quæ non sunt in genere, ut transcendentia, & genera generalissima: atque iccirco in his definiendis, aut potius describendis uitium non est, si genus non ponatur.

LOCVS DECIMVS QVINTVS.

Locus decimus quintus unde desumatur.

Insuper si cum dicatur ad plura. Desvmitvr hic locus ab eo, quod ad multa dicitur: & est, in definitione eius, quod ad plura dicitur, ea omnia, ad quæ dicitur, poni debent. ita igitur, quando quoniam grammatica ad plura dicitur, est ars recte scribendi; & recte legendi, si quis igitur eam definiret esse artem recte scribendi, male definiret: & ratio est, quoniam grammatica non magis est unius quàm alterius: & quod eam definit non magis potest dicere eam esse scribendi, quàm legendi. Quare qui alterum tantum horum in definitione assumit, non definit, sed ille solum, qui assumit utrunque: alio

exemplum.

qui

qui enim contingeret eiusdem rei plures esse definitiones, quod est absurdũ. una enim est uniuscuiusque rei essentia, cuius definitio est significatiua.

NOTAT autem philosophus in secunda huius loci parte, quòd in aliquibus ita se habet, ut dictum est: in aliquibus autem non. quædam enim sunt, quæ per se ad plura referuntur, quædã uero sunt, quæ ad plura quidem referũtur, sed per se ad eorum unum, ad alia uero per accidens; per se ad plura refertur, ut grammatica ad recte dicendum, & ad recte scribendum, & dialectica ad construendum, & destruendum: atque in horum definitione omnia ea, ad quæ referuntur, poni debent: quæ uero ad plura referuntur, sed ad aliquid per se, ad aliquid uero per accidens sunt, ut medicina, quæ ad sanitat per se refertur, ad interitũ per accidens: atque in horum definitione, id solum ad quod per se refertur, poni debet: & quòd in horum definitione utrunque poneret, non propterea: rectius definiret, immo forte peius, quoniam alienũ est à proposito artificis id, quod per accidens efficit. neque enim in substantia alicuius est id, quod per accidens ipsi inest.

quid in hac secunda parte sit notandum.

LOCVS DECIMVS SEXTVS.

Insuper si non ad melius, sed ad peius. POSSET hæc pars superiori etiam loco adnecti, sed potest etiam nouus esse locus desumptus à peiori eorum, ad quæ refertur: & est, si aliquod ad plura referatur, quorum alterum sit melius, alterum uero peius: & in eius definitione peius ponatur, talis definitio non erit definitio. Male igitur quis definiret nauigatoriam, quòd sit effectiua naufragii; aut medicinam, quòd sit effectiua interitus. Dubitaret quis, quomodo differat hic locus à secunda parte superioris loci, cum omnes disciplinæ ad melius per se referantur, ad peius uero per accidens. Dicendum est, quòd superius ostendit philosophus in definitione non debere poni utrunque eorum, ad quæ refertur definitum. hic autem docet, quòd si ponatur peius eorum, ad quæ refertur, non definietur. Præterea non semper uerum est quòd omnis disciplina referatur ad melius per se, ad peius uero per accidens, quoniam dialectica, & rhetorica per se referuntur ad defendendum & uerum, & falsum: etsi uerum sit melius falso.

locus decimus sextus unde desumatur.

exemplum.

dubitatio.

solutio.

Rursum si non positum est in proprio genere. IN hac parte docet philosophus id, quod initio etiam huius libri docuit, quòd scilicet cum definitio constare debeat ex proprio genere, utrum proprium genus assumptum fuerit in definitione, disputandum est ex locis traditis. In quarto libro ad quæstiones generis. atque iccirco initio quarti libri dicebat eos locos esse elementa quæstionum definitionis. quoties igitur opus fuerit disputare, utrum in definitione proprium genus fuerit assumptum ad locos generis in quarto libro traditos nos conuertemus.

quid hoc loco doceat philosophus.

LOCVS DECIMVS SEPTIMVS.

Præterea si transcendens dicit genera. DESVMITVR hic locus à genere remoto, quod philosophus appellat transcendens: & est, in definitione genus remotum poni non debet. Et ratio est, quoniam substantia uniuscuiusque sine proprio genere non potest explicari, eo quòd genus significat, quid sit ipsum definitum. Ita igitur male quis definiret iustitiam esse habitũ æqualitatis effectiuum, aut æqui distributiuum, quoniam assumeret genus remotum, nempe habitum; & prætermitteret propinquum, nempe uirtutem. Deinde declarat

locus decimus septimus unde sumatur.

exemplum.

rat philosophus, quod per transcendens intelligit genus remotum. Deinde tacitæ cuidam obiectioni respondet.

obiectio. POTVISSET enim dicere, quòd quemadmodum peccat, qui remotum genus assumit in definitione propinquum prætermittens: eodem modo peccat, qui propinquum assumit remotum prætermittens. cum etiam remotũ genus significet, quid sit definitum: soluit igitur philosophus, quòd qui propinquum genus ponit, omnia etiam remota comprehendit, quoniam omnia superiora in inferioribus continẽtur: qui autem superius genus dicit, nõ etiam inferius comprehendit, ut qui dicit plantam, non dicit arborẽ: quare concludit, quòd in definitione, uel est assumendum propinquum genus definiti, uel si assumitur genus remotum, debent cum eo simul assumi differentiæ omnes, ex quibus propinquum genus constituitur: & tunc loco propinqui generis assumemus eius definitionem, ut si quis definiens hominem diceret ipsum esse substantiam corpoream, animatam, sensitiuam, rationalem, mortalem. si autem quis solum accipiat genus remotum, & si non addat differentias, ex quibus constituitur propinquum genus, sed solum accipiat differentias, quæ propinquo generi additæ constituunt definitum, hic non definiet, ut si quis diceret hominem esse substantiam rationalem mortalem; uel si quis diceret albedinem esse qualitatem disgregatiuam uisus, circa id, quod dicit philosophus, quòd in genere propinquo omnia remota comprehenduntur, non est contra. Notandum est, quòd inferius actu continet ipsa superiora. superius autem non continet inferiora actu, licet ipsa contineat potentia, quoniam potest cum uno quoque eorum esse.

solutio.

conclusio.

LOCVS DECIMVS OCTAVVS.

locus decimus octauus desumitur à differentia.

Rursus si in differentijs similiter considerandum. DESVMVNTVR hi sequentes loci à differentia, atque hic primus est in definitione proprii generis differentiæ, in quo definitum reperitur, assumi debent. Si igitur non assumantur propriæ differẽtiæ, aut assumatur aliquod loco differẽtiæ, quod nullo modo possit esse differentia, assignata definitio non erit definitio: hoc modo peccaret si quis diceret iustitiam esse uirtutem pulcherrimam, aut si quis acciperet animal, aut substãtia loco differentiæ, cum differẽtiæ nullo modo possint esse.

exemplum.

LOCVS DECIMVS NONVS.

locus decimus nonus desumptus à differentia.

Videndum autem etsi est aliquod quod è diuerso. HIC est alius locus desumptus à differentia, cuius tres sunt partes, quæ etiam pro tribus locis possent enumerari. prima huius loci pars est, si assumpta differentii non sit alia differentia contradistincta, ea non erit uera differentia: & ratio est, quoniam omne genus per contradistincta, differentias diuiditur: hoc modo redargueretur, qui diceret animam esse motum substantialem. substantiale enim non est differẽtia contradistincta, secundum quam diuidatur motus: non igitur ita definiẽs propriam assumpsit differentiam.

SECVNDA pars est, si assumptæ differentiæ sit quidem contradistincta differentia, sed non sit sub assignato genere, neque assumpta differentia erit sub assignato genere, quoniam contradistinctæ differentiæ sub eodem genere esse debent. hoc modo peccaret, si quis diceret hominem esse animal continuum: continuum enim habet, quid est contradistinctam differentiam, sed non

non ſub genere animalis poſitam: quare neque aſſumpta differentia eius generis erit differentia.

Tertia pars eſt, ſi aſſumpta differentia contradiſtinctam quidem differẽtiam habeat, & ſub eo genere poſitam: ſed quæ tamen genere addita ſpeciẽ non conſtituat, talis differentia non erit uera differentia: & ratio eſt, quoniam differentiæ, quæ ad definitionem aſſumuntur, debent eſſe ſpecificæ: ſpecificæ autem illæ ſunt, quæ additæ generi ſpeciem conſtituunt: hoc modo peccaret, qui definiret hominem eſſe animal erectum: hæc enim differentia habet differentiam contradiſtinctam, nempe pronum, quæ differentia eſt in genere animalis, ſed talis eſt, quòd generi addita non conſtituit ſpeciem. nõ igitur eſt uera differentia: quare neque aſſumpta differentia erit ſpecifica.

Verba illa philoſophi, Aut ſi eſt quidem cõtradiſtincta differentia non uerificatur autem de genere. Vario modo exponit Alexander primo quòd differentiæ uerificatur de genere, quoniam in genere continentur, uel quoniã ſimul ſumptæ prædicantur de genere, uel quoniam hæ differentiæ prædicantur de aliquo ſub genere contento. quid ſignificet hæc uerba philoſophi.

LOCVS VIGESIMVS.

Præterea ſi negatione diuiſerit genus. In hoc loco tractando philoſophus primo proponit locum, eius exemplum affert: & ipſum probat per deductionem ad incommodum. ſecundo oſtendit, quomodo ſit uerus, & quomodo non ſit uerus, & rationẽ affert. in tertia, & quarta parte duo affert documenta. locus uigeſimus. in hoc loco tractando quatuor agit philoſophus, ac qd' i unaquaque earum agat.

In prima igitur parte locum proponit, qui deſumitur à differentia dicta per negationem: & eſt in definitione differentia per negationem dicta poni non debet: differentiam autem per negationem dictam aſſumunt in definitione, qui definiunt lineam eſſe longitudinem ſine latitudine. idem enim eſt dicere longitudinem ſine latitudine, ac dicere longitudinem non habentem latitudinem. Explicant igitur differentiam per negationem, quod minime faciendum eſt. quare autem differentia per negationem non ſit explicanda, ratio eſt, quoniam contingeret genus participare ſpeciei, & differentiæ, id eſt prædicationem, & definitionem ſuſcipere, quod eſt inconueniens, quoniã ſpecies, & differentia, cum ſint in minus, de genere non prædicantur, ſed è contra: conſequentia autem probatur, cum altera pars contradictionis de quocunque uerificetur, neceſſe eſt, ut etiam de genere, quod per negationem diuiditur, affirmatio prædicetur, uel negatio. quare longitudo, quæ eſt lineæ genus uel habebit. latitudinem, uel non habebit: quodcunque horũ dicatur continget genus ſuſcipere definitionem ſpeciei, quoniam longitudo habens latitudinem eſt definitio ſuperficiei; longitudo non habens latitudinem eſt definitio lineæ. quòd illæ ſint definitiones ſpecierum, patet, quoniam habens latitudinem, & non habens latitudinem ſunt differentiæ: differentiæ autem generi additæ perficiunt definitionem ſpecierum; continget igitur genus ſuſcipere definitionem ſpeciei, quod etiam contingat genus participare differentiæ, patet, quoniam neceſſe eſt alteram earum differentiarum de genere prædicari, uel ſcilicet quòd habeat latitudinem, uel quòd non habeat, cum hoc ſit contradictio. quomodo hæ definitiones ſint definitiones ſpecierũ.

In ſecũda parte oſtendit philoſophus, quomodo hic locus ſit uerus, & quomodo non ſit uerus. Dicit igitur, quòd ſolum uerus eſt, ſi ponantur ideæ: ſi autem non ponantur, non eſt uerus, quoniam ſi altera differentia prædicaretur de genere, ut nõ habens latitudinem, prædicaretur etiam de omni ſub

genere contento, quod tamen falsum est, quia quædam est cum latitudine, quædam sine latitudine. In tertia autem parte philosophus tale affert documentum, quòd forte necesse est in aliquorum definitionem negatione uti, ut in definitione priuationum. recte enim definitur cæcum non habens uisum, quo tempore natura aptum est ipsum habere. infans enim in utero matris non dicitur cæcus, aut catulus ante nonum diem, quoniam scilicet eo tempore non sint apti habere uisum, sed tunc solum cæcum quid dicitur, cum natura aptum est uisum habere, atque ipsum non habet. Quod autem in quarta parte affert documentum, tale est. quòd sicuti diuiditur genus per negationem, quando differentia per negationem explicatur: ita non minus diuiditur per negationem, quando differentia proposita talis est, quòd eius opposita per negationem explicetur, ut si quis definiet aliquid, ut puta superficiem, quòd sit longitudo habens latitudinem, huic enim differētiæ, quæ est habere latitudinem, aliud non opponitur, quàm non habere latitudinē, quæ differentia explicatur per negationem: hoc autem in omnibus, non fit. plures enim differentiæ sunt, quarum oppositæ non explicantur per negationem, ut congregatiuo disgregatiuum opponitur, & simplici mixtum. ita igitur uel differentia proposita per negationem explicetur, uel talis sit, ut eius opposita explicetur per negationem, genus omnino per negationem diuidi dicetur.

quid per hæc uerba philosophus intelligat.

Neque negatione diuidentes genus. Hæc uerba interpretatur Alexander idest in definitione negationem tanquam differentiā propositi generis assumentes. Quoniam dixit philosophus ex genere, & differentia constare speciei definitionem, uideamus quænam sit huius rei ratio. Tres autem rationes præcipue uidentur esse, primo quoniam ut dixit Porphyrius in capite de differentia res omnes constare uidentur ex materia, & forma; uel ex aliquo proportionali materiæ, & formæ: ita igitur & species ex genere constat proportionali materiæ: differentia autem proportionali formæ: & cum in definitione poni debeant ea, ex quibus definitum constat, merito in definitione assumitur genus, & differentia. secunda ratio est, quoniam definitio explicare debet ipsum, quid est esse definitio. hoc autem quid est esse, ex duobus constat, ex quid, uel ex quale quid est: & genus significat quid est; differentia uero quale quid. tertia ratio est, quoniam definitio debet separare definitum ab his omnibus, quæ sunt tum heterogenea, tū homogenea. genus autem separat ab heterogeneis; differentia autē ab homogeneis: unde sequitur cum longe plura sint heterogenea, quàm homogenea, quod genus à longe pluribus distinguit & separat definitum, quàm differentia.

duplex dubitatio.

EST aliud considerandum, quomodo uerum sit, quod dicitur à philosopho hunc locum non esse uerum, nisi ponātur ideæ, quia scilicet aliter uerum nō est, quòd altera differentiarum, quæ per contradictionem explicatur, de genere uerificetur. Hic enim non leuis occurrit dubitatio, quoniam ex hoc dicto destrui uidetur maxima illa propositio, cui omnis disciplina nititur, quòd de quocunque uerificatur contradictionis altera pars. non enim uidetur philosophus concedere, quòd eius altera pars de genere uerificetur. præterea & alia ratione reprehendi posse uidetur hæc propositio. si enim dicam Socrates currit, Socrates non currit, non uidetur, quòd huius contradictionis altera pars uerificetur de quocunque, quomodo enim uerificabitur de Platone, aut Dione? Primo igitur primam difficultatem tractemus. In hac duæ sunt opiniones diuersæ: quidam enim simpliciter dicunt alteram contradictonis partem de genere uerificari, & si quæratur, exempli causa, utrū

in prima difficultate due sunt sententiæ.

animal ſit rationale, aut non rationale, dicunt ipſum eſſe non rationale, & quoniam ad hoc conſequitur non rationale poſſe eſſe rationale, ideo dicunt animal eſſe non rationale actu, eſſe tamen potentia rationale, ſicut & irrationale. Vnde & quælibet harum differentiarum ipſi generi poteſt adiungi. uerum hæc opinio habet. aduerſus ſe & Ariſtotelis, & Alexandri ſententiam, qui nullo modo uolunt, quòd talis contradictionis altera pars de genere uerificetur: immo dicit Alexander hunc locum eſſe omnino ſophiſticum: neque enim inquit differentiæ longitudinis habere ſcilicet latitudinem, & non habere latitudinem de genere ſuo uerificãtur. tunc enim prædicarentur, ſi eſſent eius generis conſtitutiuæ, non autem diuiſiuæ. hoc autem ex eo eſt manifeſtum, quòd rationale, & irrationale ſunt differentiæ animalis, non tamen prædicantur de animali, ſed animali additæ de homine prædicantur, & aliis ſpeciebus animalis: ita quoque in propoſito exemplo ſe habet. diuidatur longitudo in habentem latitudinem & non habentem latitudinem: ſed neutra harum differentiarum de longitudine prædicantur, ſed altera earum additæ longitudini conſtituit lineam, altera ſuperficiem, & de his prædicantur. Eſt præterea philoſophi ratio, quòd ſi altera horum differentiarum de genere prædicaretur, prædicaretur etiam de omnibus ſub genere contentis, quod eſt falſum. ita igitur hæc opinio reiecta ſit: alii uero dixerunt, quòd altera pars contradictionis non uerificatur de genere, & quòd propoſitio illa de quocunque uerificatur, altera contradictionis pars intelligenda eſt in ſingularibus, & indiuiduis, non autem in uniuerſalibus. Hæc quidem opinio conſona uidetur dictis philoſophi, qui dicit hunc locum eſſe uerum, ſi ponãtur ideæ, quoniam tunc genus eſt unum numero: uidetur igitur uelle ſolum propoſitionem illam ſolum uerificari in ſingularibus: deficit tamen hæc opinio, eo quòd uериſſimam illã propoſitionem in anguſtum contrahit, cum tamen ſimpliciter uera ſit, ut igitur hæc cõtrouerſia dirimatur. Dicendum eſt ex ſententia Alexandri propoſitionem hanc eſſe ueram tam in ſingularibus, quàm in uniuerſalibus: ſed non eodem modo. in ſingularibus enim uera eſt ſine præfinitione aliqua: in uniuerſalibus autem cum præfinitione, non igitur eſt neceſſe, quòd de animali dicatur uel rationale, uel non rationale, quoniã hæc in uniuerſali ſubiecto non contradicunt, ſed alterum horum uerificabitur. omne animal eſt rationale, non eſſe animal eſt rationale, ita quoque nõ oportet, ut habens latitudinem, uel non habens latitudinem prædicetur de longitudine, ſed oportet, ut alterum horum, omnis longitudo habet latitudinem, non omnis longitudo habet latitudinem, de ipſa longitudine uerificetur. Atque hinc patet, quomodo hic locus utilis ſit aduerſus ponentes ideas: cum enim dicunt ideam eſſe quoddam ſingulare, & unum numero, ut αὐτόζωον, & αὐτόμηκος: ideo non recipiet uniuerſalem præfinitionem, ſed altera contradictionis pars de ipſo genere ſine præfinitione uerificabitur, uti eſſe rationale, uel non eſſe rationale de animali habere latitudinem, & non habere latitudinem de longitudine: ita igitur tollitur hæc difficultas. erat alia dubitatio, quomodo altera pars contradictionis de quocunque uerificetur, quia ſi dicamus, Socrates ſedet, Socrates non ſedet, non uidetur, quòd altera pars huius uerificetur de quocunque. ſoluitur ex ſententia Ammonii, quòd ſi uelimus alteram partem contradictionis de quocunque uerificari, eam hoc modo reſoluere debemus. Eſt Socrates ſedens, non eſt Socrates ſedens. tunc enim altera pars de quocunque tam ente, quàm non ente, uerificabitur.

alia ſentẽtia.

quomodo ſoluatur hæc obiectio.

primæ dubitationis.

CIRCA id, quod dicit philoſophus in primo documento, quòd in aliquo-

quid notandum sit in primo documento. duplex opinio.

rum definitione necesse est poni negationem, ut cum definitur cæcum non habens uisum, cum est natura aptum habere. Notat Alexander, quòd si in definitione assumatur negatio, assumitur pro differētia, nō autē pro genere, quoniam negatio non significat, quid sit aliquid, cum non determinet, aut ponat aliquid: sed ipsa per se dicta non magis de ente uerificetur, quàm de non ente. Alii autem dixerunt, cum ponitur negatio in definitione, non poni ut differentiam, sed ut genus: quoniam differentia, quæ debet rem constituere, non potest esse negatio. Vnde patet has duas opiniones inter se pugnare. melius tamen sentit Alexander, quoniam in hac definitione cæcum est non habens uisum, cum est aptum habere; illud non habens uisum, est differentia; genus enim est animal, quod est prætermissum. Ita enim philosophus superius in loco decimo quarto dicebat, cum definitur corpus, quod est habens tres dimensiones, quod genus prætermittitur.

LOCVS VIGESIMVS PRIMVS.

locus uigesimus primus à specie loco differentiæ. exemplum.

Rursus si speciem, ut differentiam assignauit. DESVMITVR hic locus à specie loco differentiæ: & est, quòd species alicuius generis non debet ei apponi in definitione loco differentiæ: ita igitur aberraret, qui diceret conuicium esse iniuriam cum irrisione, cum enim irrisio sit, quædam iniuriæ species, nō recte loco differentiæ ponitur. In huius autem loci expositione Alexander quædam apponit exempla, quæ non huic loco, sed sequenti accōmodātur.

LOCVS VIGESIMVS SECVNDVS.

locus uigesimus secūdus à genere loco differentiæ. exemplum.

Insuper si genus, ut differentiam dixit. HIC locus est desumptus à genere loco differentiæ; & est, quòd genus alicuius non debet poni in eius definitione loco differentiæ: male igitur quis definiret uocem esse aerem percussum, quoniam percusſio est genus uocis; ideo non potest pro differentia poni. Pariter erraret, qui definiret simitatem esse nasum curuum, eo quòd curuities est genus simitatis; ideo non potest esse eius differentia. Huius autem loci tale exemplum attulit philosophus, ut si quis definiret uirtutem esse habitū bonū. bonū enim est genus uirtutis, non igitur recte assumitur pro differentia Deinde philosophus dubitationem proponit, nunquid bonum sit uirtutis genus: & duabus rationibus probat, quòd non est genus, sed differentia. Prima ratio est, non potest aliquid esse in duobus generibus, quæ subalterna non sint, sed si bonum sit uirtutis genus, continget uirtutem esse in duobus generibus non subalternis, nempe in genere habitus, & in genere boni, non ergo bonū est genus uirtutis, sed differentia potius. quòd autem bonum, & habitus non sint genera subalterna, patet, quoniam bonum non continet habitum, neque habitus continet bonum. est enim quoddam bonum, quod non est habitus: & sunt quidam habitus mali. secunda ratio est, quoniam genus semper significat quid est: differentia autem quale quid est. sed habitus significat quid est: bonum autem quale quid. habitus igitur erit genus; & bonum erit differentia. Atque ita patet non recte reprehendi hanc definitionem, uirtutem esse habitum bonum. quòd in ea accipiatur genus loco differentiæ. Si quis tamen uellet hanc definitionem accusare, quòd peccat aduersus propositum locum, quod uidetur uoluisse, Alexander diceret ad primam rationem, quòd licet bonum, & habitus nō sint genera subalterna; utrunque tamen sub communi genere comprehenditur qualitatis (quā-

probat philosophus bonū non esse uirtutis genus, sed differentia.

alia ratio.

quomodo refellēda sit prima opinio.

uis

uis enim bonum reperiatur in pluribus prædicamentis, hic accipitur bonũ quod est in qualitate.)

Ad secundam autem diceret, quòd licet bonum non prædicetur de uirtute in quid, sed in quale, propterea prædicatur in quale, quoniam accipitur pro adiectiuo. omne autem adiectiuum nomen prædicatur in quale; sed quoniã eius substantiuum est genus uirtutis; ideo ipsum non potest esse eius differentia, si enim substantiuum aliquod sit genus alicuius, licet postea in adiectiuũ mutetur, non potest esse eius differentia, ut patet in exemplis superius adductis ex Alexandro. quomodo se cunda.

LOCVS VIGESIMVS TERTIVS.

Videndum autem et si non quale quid. Desvmitvr hic locus à differentia prædicata in quid: & est, non debet aliquid in definitione assumi pro differentia, quod prædicetur de definitio in quid. omnis enim differentia prædicatur in quale quid de eo, cuius est differentia. ita igitur erraret, qui diceret iniustitiam esse habitum cum uitio inferenda iniuriæ. uitium enim prædicatur in quid de iniustitia: quare non potest esse eius differentia.

locus uigesimus tertius à differẽtia prædicata in quid. exemplum.

LOCVS VIGESIMVS QVARTVS.

Considerandum autem et si secundum accidens. Desvmitvr hic locus à differentia dicta secundum accidens: et est, id, quod de aliquo prædicatur secundum accidens, non debet poni in eius definitione pro differentia: & ratio est, quoniam differentia essentialiter prædicatur, sicut & genus. quod autem essentialiter prædicetur, patet, quoniam quod prædicatur de aliquo, uel prædicatur essentialiter, uel accidentaliter, sed differentia non prædicatur accidentaliter, ergo prædicatur essentialiter, quòd non prædicetur accidentaliter patet, quoniam non potest alicui inesse, & non inesse, quòd habent omnia, quæ accidentaliter prædicantur. Ita igitur erraret, qui definiret, cygnũ esse animal candidissimum: leporem esse animal timidissimum, quoniam acciperet, quod secundum accidens inest loco differentiæ.

locus uigesimus quartus à differentia dicta per accidens. exemplum.

LOCVS VIGESIMVS QVINTVS.

Insuper si prædicatur de genere differentia. De hoc loco nihil omnino dixit Alexander. Desumitur autem à genere subiecto: & est, differentia, aut species non debet de genere prædicari: si igitur differentia, aut species, aut aliquid sub genere positum prædicetur de genere in definitione posito, assignata oratio non erit definitio: & ratio est, quoniam genus in plus est, quàm differentia, & species: quare nihil horum potest de genere prædicari. male igitur quis definiret spongiam esse animal uiuens terræ affixum, quoniam uiuẽs de animali prædicatur: non igitur potest esse eius differentia.

locus uigesimus quintus à genere subiecto. exemplum.

Patet autem, quòd cum dicitur differentiam non prædicari de genere, intelligitur de differentia diuisiua ipsius generis, non autem de differentia constitutiua.

LOCVS

LOCVS VIGESIMVS SEXTVS.

locus uigesimus sextus à genere dicto de differẽtia.

Rursus si prædicatur de differentia. DESVMITVR hic locus à genere dicto de differentia: & est, genus de differentia non debet prædicari: si igitur genus positum in definitione prædicetur de differentia ei apposita, ea non erit definitio. neque enim genus prædicatur de differentia, sed de his, de quibus prædicatur differentia speciebus, scilicet & indiuiduis, ut animal de homine, & equo: quare autem genus non prædicatur de differentia duas affert rationes philosophus, prima est, quoniam si genus prædicaretur de differentia, ipsum genus sæpius prædicaretur de specie. inconueniens autem est, ut superius uidimus in loco undecimo huius libri, quòd idem sæpius prædicetur de aliquo: consequentia autem patet, quoniam si genus prædicetur de differentia, animal, exempli causa, prædicabitur de greßibili, & de bipede: quare & greßibile erit animal, & bipes erit animal: & cum homo sit animal greßibile bipes; homo igitur erit animal, animal, animal. Secũda ratio est, omne sub genere positum uel species est, uel indiuiduum. in hac enim genus diuiditur primo quidem in species. secundo autem in indiuidua. si igitur differentia generi subiicitur, erit aut species, aut indiuiduum, quod est falsum. QVOD autem in hoc loco dicitur præcipue est obseruandum differentiam scilicet de genere non prædicari.

exemplum.

LOCVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

locus uigesimus septimus à specie, aut indiuiduo dicto de differentia.

Similiter autem inspiciendum, & si species. DESVMITVR hic locus à specie, aut indiuiduo dicto de differentia: & est, species, aut indiuiduum non debet de differentia prædicari. Si igitur differentia posita in definitione talis sit, quod de ea species, aut indiuiduum dicatur, ea non erit definitio: quare autem species aut indiuiduum non dicantur de differentia, duæ sunt rationes, prima est, quoniam differentia est in plus, nunquam autem quod est in minus prædicatur de eo, quod est in plus. secunda ratio est, quoniam si species prædicetur de differentia, non erit differentia, sed erit species: si enim de ea prædicetur species, uel erit species, uel indiuiduum. sed cum euidens sit ipsam non esse indiuiduum: erit igitur species, quod tamen falsum est. Hoc autẽ modo peccaret, qui diceret immortalẽ esse animam, aut rõnalẽ esse Socratẽ.

prima ratio quare spẽs, aut indiuiduũ de differẽtia non dicãtur. exemplum.

LOCVS VIGESIMVS OCTAVVS.

locus uigesimus octauus à priori.

Rursus si non prior est. DESVMITVR hic locus à priori: & est, differentia debet esse prior natura, quàm species. semper enim genus est prius natura, quàm differentia. differentia autem est prior natura, quàm species. priora autem natura sunt, ut sæpius dictum fuit, quæ ablata auferunt, & posita non ponunt, & non è contra.

LOCVS VIGESIMVS NONVS.

locus uigesimus nonus.

Considerandum autem est etsi alterius generis. IN hoc loco tractando philosophus primo locum proponit, secundo ipsum probat per deductionem ad impossibile, tertio ipsum corrigit conditionem quandam apponens, quarto propositionem quandam corrigit, qua in secunda parte utitur.

Est

Est igitur hic locus, eadem differentia in pluribus generibus non subalternis esse non potest. si igitur differentia in definitione posita alterius etiã generis sit differentia, quod neque continet genus positum in definitione, neque ab eo continetur, assignata oratio non erit definitio. In secunda parte hunc locum probat philosophus per deductionem ad imposibile. Si enim differentia aliqua sit in duobus generibus, sequetur etiam speciẽ esse in duobus generibus. semper enim differentia infert genus proprium, ut rationale, infert animal, & sensitiuum, infert uiuens. cum autem & species inferat differentiam, ergo infert & genus. quicquid enim sequitur ad consequens, sequitur etiam ad eius antecedens: & si differentia sit in pluribus generibus, illa etiam omnia inferet, erit igitur species in duobus generibus non subalternis, quod est maxime inconueniens. In tertia parte corrigit philosophus locumq; ei conditionem quandam addens. reuocat enim in dubium, quod dictum fuit, differentiam scilicet non posse esse in duobus generibus non subalternis, quoniam animal gresibile, & animal uolatile sunt genera non subalterna, & utriusque eorum bipes est differentia, ergo eadem differentia potest esse in duobus generibus non subalternis. propter hanc causam dicit philosophus addenda esse huic loco conditionem quandam, quòd scilicet genera non subalterna non sunt sub communi genere: gresibile autem, & uolatile sunt sub communi genere animalis. hac igitur addita locus uerisimus erit, quòd scilicet imposibile est eandem differentiam esse in pluribus generibus non subalternis: & quæ sub communi genere non sint. In quarta parte philosophus corrigit eam propositionem, qua usus fuit in secunda parte, quòd differentia inferat proprium genus. Si enim differentia sit in uno tantũ genere, utique illud genus inferet: si autem sit in pluribus generibus (uidimus enim quod esse potest) alterum solum inferet, ut si quid est bipes, non possumus dicere, quòd sit uolatile, & gresibile, sed quod est uolatile, aut gresibile, & hoc quidem si differentia per se accipiatur. si enim sit addita speciei solum inferet genus, sub quo ponitur species, & hoc superiora genera ut bipes in definitione hominis inferet gresibile solum, & genera supe riora ut animal uiuens, & cetera. Sed dubitaret quis, quoniam si uerum est, quòd differentia inferat genus, ergo genus prædicabitur de differẽtia, quod est contra locum uigesimum sextum. Dicendum est, quòd id, quod ab aliquo infertur, non est necesse, ut de eo prædicetur, sed aliquando prædicatur, aliquando non prædicatur. genus enim infertur à specie, & de specie prædicatur, sed & fumus infert ignem, non tamen ignis de fumo prædicatur.

Notat autem Alexander quòd philosophus hoc in loco corrigere uidetur, quod dictum fuit in prædicamentis diuersorum generum, & non subalternatim positorum. diuersæ sunt specie differentiæ; neque enim, ut hic dicit, est hoc simpliciter uerum, sed quando ea genera non subalterna nõ sunt sub communi genere, sed hoc forte intellexit philosophus, eo in loco dixit Alexander addita particula, specie, uel ibi locutus est de generibus generalissimis (& hæc est uera eius loci interpretatio) diuersa enim genera generalissima diuersas differentias specie, habent, et si differentiæ diuersæ sint, patet, quod etiam species, quæ ab ipsis differentiis constituuntur, diuersæ sunt.

Notat etiã Alexander quinã sit usus huius loci, quando enim in definitione accipitur aliqua differentia, quæ sit differentia alterius generis, tunc continget eã differentiam esse duorum generum alterius quidem, quoniam ita sumitur. Alterius autem, quoniam eius proprie est: ut si quis definiat animal esse substantiam contemplatiuam, contemplatiuum enim est differentia sciẽtiæ:

qui sit locus.

exemplum.

correctio propositionis illius qua usus est philosophus in secunda parte.

dubitatio.

solutio.

quid hoc loco notandũ. sit.

tiæ: sumitur autem & pro differentia animalis, & hæc genera sunt diuersa nō subalterna, neque sub communi genere, ergo eadem differentia esset sub duobus generibus non subalternis, neque sub communi genere existentibus, quod est impossibile.

NOTANDVM autem est, quòd in contextu Alexandri expositio huius loci usque ad quartam partem posita est ante locum uigesimum septimum.

LOCVS TRIGESIMVS.

locus trigesimus à differētia loci.

Videndum autem & si in aliquo differentiam assignauit. DESVMITVR hic locus à differentia loci: & est, differentia ex loco sumpta non est assumenda in definitione: & ratio est, quoniam definitio explicat substantiam rei. differētia autem ex loco, cum sit quoddam extrinsecum, non est de substantia rei, nō igitur debet assumi in definitione. hac ratione reprehendunt quidam diuisionem illam animalis, quæ fieri solet, quòd aliud est terrestre, & aliud aquatile, eo quòd hæ differentiæ ex loco sunt desumptæ, & non sunt essentiales, nō igitur possunt esse diuisiuæ, aut constitutiuæ. hæc tamen reprehensio iusta esse non uidetur, eo quòd hæ differentiæ terrestre, & aquatile non significant esse in loco, sed magis potestatem quandam, & qualitatem. terrestre significat id, quod est natura aptum in terra uersari; & aquatile, quod est natura aptum in aqua uersari: unde quamuis mutent loca, non tamen mutant differentias, ut cum homo nauigat, non propterea aquatilis dicitur, sed terrestris. eodem modo & aquatilia in terram prodeuntia non propterea dicuntur terrestria. hic igitur locus hoc pacto est intelligendus, quòd differentia desumpta ex loco non est assumenda in definitione, quando talis differentia significat solum esse in loco, & mutato loco, mutatur differentia. hoc autem fit, quando differentia non significat potentiam, & aptitudinem uersandi in aliquo loco, sed significat actu in eo loco esse. hoc igitur modo erraret, qui diuideret animalia, quòd quædam sunt citra mare, & quædam ultra mare.

quomodo intelligatur hic locus.

QVOD autem dictum est de differentia sumpta ex loco, idem dicatur de differentia sumpta ex tempore, & aliis consimilibus.

VTITVR autem philosophus esse in aliquo pro esse in loco; cum enim esse in aliquo pluribus modis dicatur: inter cetera significat etiam esse in loco.

quare philosophus utatur exemplo diuisionis, cum dicitur definitione agat.

VTITVR etiam philosophus exemplo diuisionis, quoniam diuisionis, & definitionis est eadem ratio, & quemadmodum differentia sumpta ex loco non debet assumi ad definitionem speciei: ita neque est assumenda ad diuisionem generis.

LOCVS TRIGESIMVS PRIMVS.

locus trigesimus primus à passione loco differentiæ.

Rursus si affectum differentiam assignauit. DESVMITVR hic locus à passione loco differentiæ: & est, quòd passio nō debet poni in definitione loco differentiæ: & ratio est, quoniã passio omnis intensa detrahit à substantia, idest ipsam substantiã immutat, & alterat: atque ita etiã intendi potest, ut ipsam corrũpat, exẽpli causa, caliditas est passio animalis, & cũ intenditur, alterat animal, atque eo intendi potest, ut animal corrũpat, differẽtia autẽ neque intendi potest, neque alterat, aut corrumpit suum subiectũ, immo ipsum cõseruat, nō igitur passio potest esse differentia. Præterea impossibile est aliquid esse sine propria differentia, ut hominẽ sine rationali, aut brutum sine irrationali. Sed unumquodque potest esse sine propria passione, non igitur passio potest

poni

poni loco differentiæ: ita igitur aberraret, qui diceret hominem eſſe animal, quod calefit, aut frigefit. addit autem philoſophus, quòd ſimpliciter qualitates omnes, ſecundum quas fit alteratio, non poſſunt eſſe differentiæ, quoniam ſecundum differentias non fit alteratio, neque immutatur rei ſubſtantia: ita igitur album, nigrum, calidum, frigidum, dulce, amarum, timidum, audax, & ceteræ huiuſmodi qualitates differentiæ eſſe non poſſunt.

LOCVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

Et ſi alicuius eorum quæ ſunt ad aliquid. TRADIDIT hactenus philoſophus plures locos deſumptos à differentiis, num alios tradit locos ex relatiuis, quorum primus eſt, eorum, quæ ſunt ad aliquid, differentiæ quoque debent eſſe ad aliquid: ſi quis igitur definiens aliquod relatiuum in eius definitione aſſumat differentiam, quæ non ſit ad aliquid aſsignata oratio, non erit definitio: quomodo in definitione eius, quod eſt aliquid, apponatur differentia, quæ eſt ad aliquid? oſtendit philoſophus, & quoniam eadem ratio eſt de differentiis diuidentibus genus, & de differentiis ex quibus conſtituitur definitio: ideo affert exemplum de diuiſione generis. ſcientia enim diuiditur per contemplatiuam, actiuam, & factiuam. unaquæque autem harum ad aliquid dicitur. quid autem differat actiuum à factiuo, uidimus in expoſitione loci quadrageſimi ſeptimi, libri tertii.

locus trigeſimus ſecũdus ex relatiuis eorum, quæ ſunt ad aliquid differentiæ etiam eſſe debent ad aliquid.

exemplum.

LOCVS TREGESIMVS TERTIVS.

Conſiderandum autem & ſi non ad quod natum eſt. HIC locus talis eſt ſi aliquid ad plura referatur, ad aliquod proprie, & ad aliquod improprie id, ad quod improprie refertur, non debet poni in eius definitione: per ea autem, quæ referuntur ad aliquid, intelligere debemus ea, quæ ad aliquos uſus diriguntur: quædam autem ad unum tantum referuntur, ſicut uiſus ad uidendum, & auditus ad audiendum. Et in horum definitione id ſolum ponendum eſt. quædã autem referuntur ad plura, & hæc ſunt in triplici differentia: uel enim ad ea omnia æqualiter referuntur, ut grammatica ad recte ſcribendum, & ad recte legendum, & in horum definitione, ut dictum fuit in loco decimoquinto ea omnia, ad quæ referuntur, poni debent, uel cum ad plura referatur ad aliquod eorum, refertur per ſe ad aliquod per accidens, ut medicina per ſe refertur ad ſanandum, per accidens ad morbum faciendum: & in horum definitione id ſolum poni debet, ad quod per ſe referuntur; uel cum referãtur ad plura ad aliquod eorum referuntur proprie, ad aliquod improprie, exempli cauſa, ſtrigil proprie refertur ad abſtergendum: eſt autem ſtrigil, qui græce dicitur στλεγγίς. στλεγγὶς inſtrumentum quoddam trilaterum, & cauum dentatum, quo utebãtur antiqui in balneis ad abſtergendos, & immundities: fiebatq; potiſsimum ex ebore, aut argento: unde στλεγγίσματα dicebãtur ſordities, quæ huiuſmodi inſtrumento detergebantur. hoc igitur inſtrumentũ proprie refertur ad detergendum. hic enim eſt eius uſus, poteſt tamen quis ipſo uti ad hauriendam aquam, cum ſit cauum: ſed ad hoc refertur improprie, quoniam hic non eſt eius uſus, cuius gratia factum eſt hoc inſtrumentũ. Locus igitur, qui nunc traditur ab Ariſtotele, talis eſt, quando aliquid refertur ad plura, & ad aliquod eorum proprie, ad aliquod improprie, id, ad quod improprie refertur, non debet poni in eius definitione: ſi quis igitur definiet ſtrigilem non debet dicere, quòd ſit inſtrumentum aptum ad hauriendã

locus trigeſimus tertius ex eo, quod ad plura refertur.

exemplum.

qui igitur ſit locus.

unde p tatur distinctio eorum, quæ referuntur uel proprie, uel improprie.

aquam. Distinctio autem eius, ad quod proprie refertur ab eo, ad quod refertur improprie, peti debet à uiro prudente, in qua prudens est: & à disciplina, quæ de re illa agit: ut si sit medica res, uidere debemus, quomodo medici ea utantur: si geometrica, quomodo geometræ.

LOCVS TRIGESIMVS QVARTVS.

locus trigesimus quartus ab eo, quod non primo refertur.

exemplum.

Insuper si non primum assignauit. DESVMITVR hic locus ab eo, ad quod non primo refertur: & est, quando aliquid ad plura refertur, & ad aliquod eorum primo: ad aliquod non primo id, ad quod non primo refertur, non est ponendum in eius definitione. Exempli causa, quoniam prudentia ad plura refertur ad hominem, ad animam, & ad rationalem partem. primo autem refertur ad rationalem partem: refertur autem ad animam, quoniam rationalis uis est animæ pars: refertur ad hominem, quoniam uis rationalis sit in homine. siquis igitur definire uellet prudentiam, dicere deberet ipsam esse uirtutem partis rationalis, non autem animæ, aut hominis. eodem modo, & temperantia concupiscibilis partis primo est uirtus: postea autem animæ, & hominis, & fortitudo irascibilis partis. pariter color primo ad superficiē: deinde uero ad corpus refertur.

LOCVS TRIGESIMVS QVINTVS.

locus trigesimus quintus. à susceptiuo.

exemplum.

Præterea si eius non susceptiuum est cuius dicitur. DESVMITVR hic locus à susceptiuo: & est, id, ad quod refertur passio, aut dispositio, debet esse eius susceptiuum: siquis igitur definiens passionem, aut dispositionem ipsam referat ad aliquod, quod non sit eius susceptiuum, assignata oratio non erit definitio. hoc modo erraret, qui diceret somnum esse impotentiam sensus, eo quòd sensus non est somni susceptiuus, sed ipsum animal: ita errant, qui definiunt dubitationē, quòd est contrariarū rationū æqualitas: neque enim dubitatio inest contrariis rationibus. pariter errant qui dicunt dolorē esse uiolentam separationem naturalium partium: neque enim partes naturales susceptiuæ doloris, sed solum partes sentientes. errāt etiā, qui definiunt sanitatem esse symmetriam calidorum, & frigidorum. hoc enim modo sanitas esset in calidis, & frigidis, quod est falsum: sanitas enim est in animali.

quid in secunda parte agat philosophus.

In secunda parte philosophus aliam rationem affert: quare in talibus definitionibus error comitatur: & est, quoniam ponunt effectiuum esse ipsum effectiuum, uel effectum esse ipsum effectiuum. uiolēta enim separatio naturaliū partium non est dolor, sed est potius doloris effectiua, & impotentia sensus, uel est effectiua somni, uel potius somnus est effectiuus talis impotentiæ: ita quoque, & æqualitas pugnantium rationum est effectiua dubitationis.

quid differāt dispositio, & passio.

Differunt autem inter se dispositio, & passio ex Ammonii sentētia, quòd dispositio solum est in animalibus, & non infert passionem in sensum, quoniā sub sensum non cadit, cuiusmodi est sanitas, & ægritudo in corpore, in animo uirtus, & uitium, quando scilicet non sunt fixa, sed facile dimouētur à subiecto. aliter enim essent habitus.

PASSIO etiam omnis à subiecto aliquando dimouetur, (in qua re differt à passibili qualitate) non ita tamen quin subiectum ab ea suscipiat denominationem: in qua re differt à passione, quæ non est qualitas. & aliquando ex eo dicitur, quod passionem inferat in sensum, ut uini dulcedo, aut acciditas. aliquando ex eò potius, quod ex passione fiat, ut palledo ex longo morbo contracta; nigredo èx diuturna mora sub sole.

LOCVS TRIGESIMVS SEXTVS.

Ad hæc secundum tempora omnia considerandum. IN hoc loco tractando philosophus primo proponit locum, atque exemplum affert. secundo hoc exemplũ defendit. tertio docet, quonammodo hoc loco uti debeamus. Locus desumitur à tempore: & est, definitum, & definitio secundum omnia tempora debet conuenire: si igitur definitum ad aliquod tempus extendatur, ad quod non extendatur assignata definitio, uel è contra; talis assignata oratio non erit definitio, exempli causa, siquis definiens immortale diceret ipsum esse animal nunc incorruptibile: cum enim hæc definitio sit limitata ad tempus præsens, etiam definitum, ad idem tempus erit limitatum: quare & ipsum immortale erit nunc, quod falsum est, quoniam immortale, quod dicitur non respectu præsentis temporis, sed etiam præteriti, & futuri. In secunda parte philosophus hoc exemplum defendit, eo quòd illud incorruptibile nunc ambiguum est, & multa potest significare. primo quod hucusque incorruptum permansit. secundo potest significare, quod impossibile est, ut nunc corrumpatur. tertio potest significare, quod tale nunc est, ut nullo modo corrumpi possit, quando igitur definimus immortale, quod est incorruptibile, nunc non intelligimus primo, aut secundo, sed tertio, quòd scilicet nullo modo corrumpi potest. hoc autem idem omnino est, quod immortale: quia nõ limitatur ad tempus præsens, neque possumus ex hac definitione inferre, quòd immortale ad præsens tempus sit limitatum. In tertia parte philosophus docet, quomodo hoc loco utendum sit, quòd scilicet ubicunque deprehendemus assignatam definitionem ad aliquod tempus extendi, aut limitari ad quod non extendatur, aut limitetur definitum, ea non erit definitio: ut si quis definiret æternum, quod est semper futurum; hæc enim definitio solum ad futurum tempus extenditur; definitum autem ad omnia; æternum enim est non solum quod semper futurum est, sed quod semper est, & quod semper fuit.

[Margin: locus trigesimus sextus à tempore. — exemplum. — quid in secunda agat philosophus. — quid ĩ tertia.]

LOCVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

Inspiciendum autem, etsi secundum aliud. DESVMITVR hic locus ex comparatione assignatæ definitionis ad alteram: & est, si definitum magis explicatum per aliam definitionem, quàm per assignatam, ea, quæ est assignata, non erit definitio: & ratio est, quoniam definitio, quæ magis explicat definitum, erit eius propria definitio, & cum plures non possint esse eiusdem definitiones, altera non erit eius definitio, exempli causa, si quis definiret iustitiam, quòd est potentia æqualitatis distributiua: si enim ita esset, etiam iustus esset potens æquum distribuere, sed iustus potius ille est, qui elegit æquum distribuere, ergo & iustitia potius erit habitus electiuus iusta distribuendi. quod cum ita sit, non igitur ea erit iustitiæ definitio, quòd sit potentia æqualitatis distributiua: quod autem iustitia potius constat in electione, quàm in potentia, patet, ex eo, quòd omnis uirtus, & omne uitium consistit in electione.

[Margin: locus trigesimus septimus ex cõparatione assignatæ definitiõis ad alteram.]

LOCVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

Insuper si res quidem suscipit magis & minus. HIC locus, & quidam ex sequentibus desumuntur ex magis, & minus: est autem talis. si definitum suscipit ma-

[Margin: locus trigesimus octauus ex magis, & minus.]

 gis,

exemplum.

gis, & minus; etiam definitio ſuſcipere debet, & è contra. ſi igitur definitũ ſuſcipiat magis, & minus: definitio autem non, aut è contra aſsignata definitio non erit definitio: ita ſi quis definiret uoluptatem, quòd ſit animæ habitus optimus, male definiret, quoniam uoluptas ſuſcipit magis & minus. hæc autem definitio non ſuſcipit, eo quòd habitus non ſuſcipit magis, & minus. Pariter ſi quis definiret hominem, quòd ſit animal album, grammaticũ: definitum enim non ſuſcipit magis, & minus, definitio autem ſuſcipit. ratio autem huius loci eſt, quoniam definitio, & definitum idem ſunt, quia oportet, quòd utrunque eorum, uel quòd neutrum ſuſcipiat magis, & minus.

LOCVS TRIGESIMVS NONVS.

locus trigeſimusnonus ex magis, & minus.

Ad hæc, ſi ſuſcipiant utraque quidem. CVM definitio, & definitum idem ſint, non ſolum oportet, ut ſi alterum eorum ſuſcipit magis & minus, etiam alterum ſuſcipiat, ut in priori loco docuit philoſophus: ſed & oportet, ut ſimul ſuſcipiant magis, & minus, quod quidem docet philoſophus in hoc loco. ſi contingat igitur, ut definitum, & definitio aſsignata licet utrunque ſuſcipiat magis, & minus, non tamen ſimul ſuſcipiat aſsignata definitio, non erit definitio. Hoc modo igitur erraret, qui definiret amorem eſſe appetitũ concubitus. quando enim amor intenditur appetitus, hic imminuitur. quod enim magis amat, non magis appetit concumbere. concubitus enim eſt amoris corruptiuus, quando autem appetitus concubitus intenditnr, amor imminuitur. qui enim magis appetit concumbere, minus amat; nõ igitur hæc eſt amoris definitio, quia ſimul magis, & minus ſuſciperent.

exemplum.

LOCVS QVADRAGESIMVS.

locus quadrageſimus ex magis, & minus.
exemplum.

Præterea ſi duobus quibuſdam propoſitis. HIC locus talis eſt. ſi definitum magis de aliquo dicitur, de quo definitio minus dicatur, talis definitio non erit definitio, exempli cauſa, ſi quis definiret ignem eſſe corpus tenuiſsimum, quoniam ignis magis dicitur de flamma, quàm de luce; contra uero corpus tenuiſsimum magis dicitur de luce, quàm de flamma; ideo hæc non eſt ignis definitio. Si enim eſſet eius definitio, eſſet idem cum eo: atque ita eidem magis conſimiliter ineſſent: atque hic etiam communius loquitur philoſophus dicens lucem eſſe corpus tenuiſsimum.

LOCVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

locus quadrageſimus primus ex magis & minus.
exemplum.

Rurſum ſi hoc quidem ſimiliter. HIC locus eſt, ſi definitum de aliquibus conſimiliter dicatur. definitio non conſimiliter, ſed de aliquo eorum magis dicatur, talis definitio non erit definitio: ita igitur ſi quis definiret ignẽ eſſe corpus combuſtiuum, quoniam ignis non magis dicitur de flãma, quàm de carbone accenſo: corpus autem conbuſtiuum magis dicitur de carbone: carbo enim quando eſt diuiſionis ſubſtantiæ magis urit, nõ igitur hæc erit ignis definitio, quoniam & ipſa conſimiliter ineſſet, quibus definitum conſimiliter ineſt.

LOCVS

LOCVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Ad hæc si ad duo definitionem assignauit secundum utrunque. DESVMITVR hic locus ab eo, quod ad plura refertur cum disiunctione: & est, cum aliquid definitur, non debet ad plura referri cum disiunctione. male igitur quis definiret pulchrū esse, quod uisu, uel auditu est delectabile, aut ens, quod potest agere, uel dari. Huius loci ratio est, quoniam contingeret idem simul esse quidpiam, & non esse, ut in propositis exemplis idem simul esse pulchrū, & non esse pulchrum: atque idem simul esse ens, & non esse ens. Consequentia autem probatur, si enim pulchrum est, quod uisu est delectabile; est autē & quod auditu est delectabile; pulchrum erit idem utrique eorum: idem igitur erit pulchrum, & auditu delectabile: sed eorum, quæ sunt eadem, opposita quoque sunt eadem, ut si idem est homo, & animal ratiocinatiuum, idem quoque erit non homo, & non animal ratiocinatiuum: quare idem etiam erit non pulchrum, & non delectabile auditu. si quid igitur sit delectabile uisu, non etiam delectabile auditu idem erit pulchrum, & non pulchrū erit quidem pulchrum, eo quòd est uisu delectabile, non erit pulchrum, eo quòd non est auditu delectabile. eodem modo si ens sit, quod potest agere, uel pati, continget idem simul esse ens, & non ens. erit enim ens idem utrique eorum: erit igitur idem cum eo, quod potest facere: quare & oppositū erit idem opposito non ens, scilicet cum eo, quod non potest facere. si quid igitur sit non potens facere, & potens pati erit ens, & non ens: ens eo, quòd potest pati, non ens eo, quòd non potest facere.

locus quadragesimus secūdus ex eo, qd' ad plura refertur cum disiunctione.

exemplum.

HIC autem præcipue obseruāda est propositio illa, quòd eorum, quæ sunt eadem, opposita quoque sunt eadem.

eorum, quæ sunt eadē opposita quoque sunt eadem.

LOCVS QVADRAGESIMVS TERTIVS.

Deinde & generibus & differentiis. DESVMITVR hic locus à definitione positorum in definitione: & est, si definitio aut generis, aut differentiæ, aut alterius assumpti in definitione non conueniat ipsi definito, assignata oratio non erit definitio: ratio autem loci est, quoniam quæ ponuntur in definitione, uniuoce prædicantur de ipso definito. assumere igitur debemus definitiones eorum, quæ posita sunt in definitione, & considerare, num aliquid sit, quod non conueniat definito. hoc igitur modo male quis definiret plantam, quòd sit animal terra radicatum, eo quòd definitio animalis, quæ est substantia animata, sensitiua plantæ non conuenit.

locus quadragesimus tertius à definitione positorum.

loci ratio.

exemplum.

DIXIT autem philosophus, & aliis omnibus, quæ in definitione sunt propter definitiones relatiuorum, in quibus accipiuntur termini relationis, qui tamen nec genera sunt, nec differentiæ: & propter definitiones accidentiū, in quibus accipiuntur subiecta, quæ nec genera sunt, nec differentiæ.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Si autem sit ad aliquid, quod definitur. EA, quæ referuntur ad aliquid, uel secundum se referuntur, ut scientia ad scibile: & sensus ad sensibile: & duplum ad dimidium, uel secundum aliud referuntur, ut quoniam eorum genus ad illud referatur, ut Geometria, & Grammatica referuntur ad scibile in eo, quòd scientiæ sunt. hoc igitur supposito desumitur hic locus à termino eorū, quæ

referuntur

desumitur à termino eorũ, quæ ad aliquid referuntur.

exempla.

referuntur ad aliquid: & est, quod in definitione eorum, quæ referuntur ad aliquid, uel secundum se, uel secundum genus assumptum in definitione, id, ad quod referuntur, assumi debet. & ratio est, quoniam relatiuorum essentia in eo consistit, quòd ad aliquid aliquo modo referuntur. ita igitur male quis definiret scientiam esse existimationem indiuisibilem: neque enim assumit id, ad quod refertur, scientia aut secundum se, aut secundum genus: sed oportet dicere ipsam esse existimationem scibilis. pariter erraret, qui diceret uoluntatem esse appetitum sine tristitia: sed oporteret dicere uoluntatem esse appetitum eius, quod uolumus, quod θελητὸν græci dicunt, uel appetitum boni. uoluntas enim ad bonum referri uidetur. pariter erraret, qui definiret grammaticam esse scientiam literarum, eo quòd grammatica neque refertur ad literas secundum se, cum secundum se referatur potius ad recte legendum, & recte scribendum: neque refertur ad literas secundum genus, quoniam secundum genus refertur ad scibile. oportebat igitur dicere grammaticam esse scientiam recte legendi, recteq; scribendi, uel esse scientiam scibilium, quæ sunt circa legendum, & scribendum. oportet enim ut in definitione eorum, quæ referuntur ad aliquid, ponatur id, ad quod referuntur, uel secundum se, uel secundum genus, ut locus proponit.

NOTANDVM autem est, quòd licet dicat philosophus in his definitionibus poni debere id, ad quod referuntur uel secundum se, uel secundum genus; melius tamen est ponere id, ad quod referuntur secundum se (si aliquod tale sit) quod si ponatur id, ad quod referuntur secundum genus, oportet tamen præterea addere id, ad quod referuntur secundum se.

NOTAT Alexander, quòd cum dicit philosophus, quod oportebat dicere uoluntatem esse appetitum boni, quòd debebat dicere appetitum appetibilis: est autem appetibile communius, quàm bonum. omne enim bonum est appetibile, non tamen omne appetibile est bonum. furari enim alicui est appetibile, non tamen bonum. possumus tamen dicere, quòd philosophus usus est nomine boni pro eo, ad quod uoluntas refertur secundum se. uoluntas enim ad bonum refertur saltem secundum rem, licet non secundum nomen, quòd etiam dicit appetibile communius esse, quàm bonum dubiũ est. uidetur enim potius, quòd si bonum, & appetibile accipiantur secundum rei naturam; idem omnino sunt. Si autem æstimentur ex opinione, se habent secundum excedens, & excessum.

LOCVS QVADRAGESIMVS QVINTVS.

locus quadragesimus quintus ex fine.

quid sit finis.

exemplum.

Aut si cum quidpiam ad aliquid dicatur. DESVMITVR hic locus ex fine: & est, quando aliquid ad plura refertur, quorum aliud est finis; aliud uero propter finem: id, quod est finis, non autem quod est finis gratia, in eius definitione poni debet. Est autem finis id, quod in ordine aliquo est optimum; uel id cuius gratia reliqua fiunt. male igitur quis definiret concupiscentiam esse appetitum delectabilis: deberet enim potius dicere, quod est appetitus uoluptatis, delectabile enim est propter uoluptatem.

quid annotandum.

NOTANDVM autem est, quòd sicut hoc in loco philosophus accipere ui uideatur extremum pro eo, cuius gratia, non tamen idem est extremum, & id, cuius gratia: non enim omne extremum dicitur esse, cuius gratia, sed id, quod est optimum: quare licet mors sit extremum humanæ uitæ, non tamẽ est id, cuius gratia, quoniam non est optimum.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEXTVS.

Considerandum etsi generatio etc. DESVMITVR hic locus à generatione, uel actione: & est, quòd in definitione eorum, quæ ad aliquid referuntur, generatio, uel actio poni non debet: & ratio est, quoniam unumquodque referri debet ad finem: generatio autem, aut actio non potest esse finis. Ita igitur male quis definiret album esse corpus ad albedinem motum, aut à nigredine discedens. nullum enim horum est finis: egisse enim & generatum esse fines sunt potius, quàm agere, aut generari. in secunda parte philosophus hunc locum corrigit, neque enim in omnibus uerum esse uidetur, quòd egisse finis sit potius, quàm agere: melius enim uidetur delectari, quàm delectatum esse.

locus quadragesimus sextus. à generatione, & actione.

quid in secunda parte agat philosophus.

NOTANDVM autem est, quòd in quibus post actionem est genus aliquod, actio ipsa non est finis, sed opus. actio enim est propter opus: in quibus autem post actionem non est opus aliquod, actio ipsa uidetur esse finis.

LOCVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS.

Rursus in quibusdam si non determinetur. DESVMITVR hic locus à defectu debitæ determinationis. quædam enim sunt, quæ non simpliciter in aliquibus sunt, sed cum determinatione aliqua quantitatis, aut qualitatis, aut loci, aut quapiam simili. quæ igitur talia sunt sine debita determinatione definiri non debent. Ita igitur male quis definiret ambitiosum esse honoris cupidum non addens qualis natura, aut quanti honoris sit cupidus: omnes enim sumus honoris cupidi. Eodem modo peccaret, qui definiret auarum esse pecuniarum cupidum, non addens quantarum sit cupidus. et qui definiunt intemperantem, quòd est uoluptatum studiosus, non addentes quãtarum, aut qualium: & qui definiunt noctem esse umbram terræ, non addentes aliam determinationem. debet enim definiri, quòd nox est umbra totius terræ, sole diametraliter ipsi umbræ opposito. Pariter delinquunt, qui definiunt terræmotum esse motionem terræ: oportebat enim addere, quòd est subita motio insignis alicuius partis terræ ob spiritum uiolenter retentum in concauitatibus terræ, atque exitum quærentem. Pariter delinquunt definientes nubem esse condensationem aeris, & qui definiunt uentum esse motum aeris: in his enim & aliis consimilibus addi opportet debitam determinationem, alioqui non est determinatio. in fine autem huius loci philosophus documẽtum affert, quòd scilicet considerare debemus huiusmodi definitiones, in quo natura deficiant: atque in eo ipsas redarguere. exempli causa, si quis illam superiorem terræmotus definitionem afferret, obiiceremus, quòd non quomodocunque terra mota terræmotus dicitur: nam & aliquo fodiente, & aut in duriorem terram, aut in lapidem ligone demisso terra concutitur, nec tamen ille dicitur terræmotus. ita nec quantacunque terra mota dicitur terræmotus: pugillo enim terræ moto non fit terræmotus. eodem modo & si quis definitionem eam uenti poneret, obiiceremus, quòd non quomodocunque aere moto uentus fit, neque quantocunque. ita igitur has definitiones si debitæ determinationes, uel quanti, uel qualis, uel loci, uel causæ fuerint prætermissam redargueremus.

locus quadragesimus septimus. à defectu debitæ determinatiõis.

exemplum.

LOCVS

LOCVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

locus quadragesimus octauus ab apparenti.

Insuper in appetitibus, si non apponitur quod apparet. HIC locus desumptus est ab apparenti. Est autem communis his omnibus, in quorum definitione assumitur appetitus, ut genus. est autem appetitus genus uoluntatis concupiscentiæ, & iræ, & eorum, quæ his supponuntur. si igitur in horum definitione non assumatur apparens, asignata oratio non erit definitio. Ita igitur male quis definiret uoluntatem esse appetitum boni, aut concupiscentiam esse appetitum delectabilis. oporteret enim dicere uoluntatem esse appetitum apparentis boni; & concupiscentiam appetitum apparentis delectabilis. Ratio autem loci est, quoniam qui appetunt plerunque falluntur opinantes, scilicet aliquid esse bonum, quod minime bonum est. non igitur necesse est, ut quod appetitur, bonum sit, sed solum ut appareat bonum, ut intemperanti luxus bonum esse uidetur, cum tamen bonum non sit: nunquam tamen contingit, ut aliquid appetatur, quod bonum esse non uideatur. In secunda parte philosophus docet, quòd si quis etiam in his definitionibus assumat apparens, redargui tamen poterit, si ex eorum numero sit, qui ponunt ideas, redargui autem poterit hoc modo, quoniam ita se habet species ad speciem, sicut idea ad ideam: sed idea nullius est apparentis; neque enim per se uoluntas est apparentis boni, sed per se boni; neque per se concupiscentia est apparentis delectabilis, sed per se delectabilis; neque igitur uoluntas erit apparentis boni, sed boni simpliciter. quòd si quis forte comminiscatur per se uoluntatem esse per se apparentis boni: uoluntatem autem esse apparentis boni, hoc ita est absurdum, ut neque redargui mereatur.

exemplum.

quid in secunda parte agat philosophus.

PATET autem, quòd hic philosophus, cum dicit, per se uoluntatem, aut per se bonum, intelligit ideam: idea enim uniuscuiusque rem appellatur nomine suæ speciei, addita particula, per se.

LOCVS QVADRAGESIMVS NONVS.

locus quadragesimus nonus ab habente, & habitu.

Præterea si sit quidem habitus. DESVMITVR hic locus ab habente, & habitu: & est, habitus, & habentis consimilis esse debet definitio, ut si delectabile id ipsum est, qui utile etiam, qui delectatur, id ipsum erit, quod utilitate affectus. In secunda parte philosophus hũc locũ amplificat: ipsum enim extendit ad omnia coniugata, & contraria: in his enim definitionibus, qui unum definit, modo quodam plura definit: nam & coniugata omnia potestate definit, sicut enim se habet in uno coniugatorum, ita se habet & in reliquis. præterea definit & contraria, & contrariorum coniugata, ut qui definit scientiam, definit & sciens, & scire: & præterea ignorantiam, ignorans, & ignorare. considerare igitur debemus, nunquid his omnibus accõmodetur asignata definitio. si enim alicui horum non cõueniat, non erit definitio.

quid in secunda parte agat philosophus.

exemplum.

LOCVS QVINQVAGESIMVS.

locus quadragesimus septimus à defectu debitæ determinationis.

Deinceps in his, quæ ad aliquid sunt. HIC locus talis est in his, quæ referuntur ad aliquid, si genus refertur ad genus, & species illius generis referri debet ad speciem huius, ut si existimatio refertur ad existimabile, etiam quæcunque species existimationis referri debet ad aliquam speciem existimabilis: & si multiplex refertur ad submultiplex, etiam quæcunque species multiplicis referri

exemplum.

referri debet ad aliquam speciem sub multiplicis, quod si ita non sit, assignata oratio non erit definitio.

LOCVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS.

Videndum autem et si oppositi opposita est definitio. HIC etiam locus de relatiuis intelligendus est. est autem talis eorum, quæ relatiue sunt opposita: definitiones quoque relatiue debent esse oppositæ, ut quoniam duplum, & dimidium relatiue opponuntur: eorum igitur definitiones relatiue debent opponi. Si igitur duplum est, quod in æquali superat dimidiũ, dimidium erit, quod in æquali superatur. quod si ita non sit, assignata oratio non erit definitio. locus quadragesimus primus ex relatiuis. exemplum.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

Et in contrariis similiter. SICVT eorum, quæ relatiue opponuntur definitiones, relatiue debent opponi: ita & contrariorum definitiones debẽt esse cõtrariæ. hoc igitur in hoc loco docet philosophus, quòd scilicet si definitio assignata sit alicuius habentis contrarium, & contraria definitio conuenire debet contrario definiti, quod si non conueniat, neque assignata definitio recte est assignata. Dicit autem philosophus, quòd definitio contraria secundum unam aliquam contrariorum complexionem conueniet contrario definiti, quoniam ut in secundo libro uidimus uni orationi plures possunt esse contrariæ, ut ei, quæ dicit, amicis benefacere: contraria est, quæ dicit inimicis benefacere; & quæ dicit, amicis malefacere. si igitur definiatur utile, quòd sit effectiuum boni, cum huic contrarium sit, & effectiuum mali, & corruptiuum boni, necesse est, quòd alterum horum sit definitio nocui, quod est utili contrarium. Deinde philosophus ostendit, quonam modo cognoscere possimus, utrum aliquid eorum, quæ contrariantur, assignatæ definitioni sit definitio contrarii definito. Dicit enim, quòd erit definitio, si cõtrarietur ei, quod definitum initio fuit, exempli causa, effectiuum mali, uel corruptiuum boni erit definitio inutilis, si contrarietur utili; si autem nullum horum contrarietur ei, quod initio fuit definitum, non erit definitio cõtrarii: quare neque assignata definitio erit recte assignata, exempli causa, si quis definiret delectabile, quod est effectiuum boni, quoniam nullum eorũ, quæ sunt huic definitioni contraria contrariatur ipsi definito: neque igitur ullum horum erit definitio tristabilis: quare neque effectiuum boni erit definitio delectabilis, ut ponebatur. locus quinquagesimus secundus.

LOCVS QVINQVAGESIMVS TERTIVS.

Quoniam autem quædam contrariorum priuatione alterius. PRO intellectione horum duorum locorum supponenda est quædam contrariorum diuisio, quòd scilicet quædam sunt contraria, quorum alterum per priuationem dicitur, ut æquale, & inæquale. inæqualitas enim nihil aliud esse uidetur, quàm priuatio æqualitatis. eodem modo se habent rationale, & irrationale; finitum, & infinitum. Aliæ uero sunt, quorum nullum dicitur per priuationem, ut bonum, & malum. hic igitur locus est, quòd in his contrariis, quorum alterũ dicitur per priuationem, id, quod dicitur per priuationem, alterum necesse est assumere in sui definitione. In definitione autem eius, quod non dicitur per priuationem, alterum nullo modo assumi debet. male igitur quis de- locus quinquagesimus tertius contrariorum occisio. exemplum.

finiret æquale, quod est inæquali contrarium. huius loci duas affert rationes philosophus. Prima est, quoniam definitio notum efficere debet ipsum definitum, sed habitus potest quidem notitiam efficere priuationis: priuatio autem habitus nullo modo. Secunda ratio est, quoniam idem in sui definitione nullo modo accipi debet; sed si quis eo modo definiret, idem acciperet in sui definitione: hoc autem patet, si loco nominis accipiatur definitio. si enim æqualitas est contrarium inæqualitati, cum inæqualitatis definitio sit priuatio æqualitatis, nihil autem differat accipere nomen, uel eius definitionem. erit igitur æqualitas contrarium priuationi æqualitatis, atque ita idem assumitur in sui definitione.

loci prima ratio.

exemplum.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS.

locus quinquagesimus quartus à cōtrariis, quorum nullum dicitur per priuationem.

exemplum.

Si autem neutrum contrariorum secundum priuationem. LOQVITVR hic locus de his contrariis, quorum nullum dicitur per priuationem: & est, quòd in his contrariis, quorum nullum dicitur per priuationem, neutrum debet poni in alterius definitione. male igitur quis definiret malum esse bono contrarium, aut bonum malo contrarium. Huius loci ratio est, quoniam si alterū horum contrariorum per alterum definiatur, eadem ratione & alterum per alterum debet definiri: quare magis in definitione boni malum debet assumi, quàm in definitione mali bonum? Neque enim hic est ea differentia, quæ est in his contrariis, quorum alterum dicitur per priuationem, sed in his definitio utriusque eodem modo debet assignari. si autem hoc fiat, continget idem assumi in sui ipsius definitione. Si enim bonum est contrariū malo, cum mali definitio sit, quòd est contrarium bono. si loco mali suam accipiamus definitionem, bonum erit contrarium contrario boni: atque ita idem assumetur in sui definitione, quod est inconueniens.

LOCVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

locus quinquagesimus quintus à definitione priuationis.

exemplum.

Insuper si quod secundum priuationem dicitur assignans. DESVMITVR hic locus à definitione priuationis, & est, quòd in definitione priuationis poni debet id, cuius est priuatio, & subiectum, in quo nata est esse primo. si igitur in definienda priuatione prætermissum fuerit uel id, cuius est priuatio, uel subiectum simpliciter, uel in quo primo nata est esse, assignata oratio non erit definitio. male igitur quis definiret ignorantiam esse priuationem quandam in hominis intellectu existentem, eo quòd prætermittit id, cuius est priuatio. Male etiam quis diceret, quòd sit priuatio perfectionis existens in intellectu, eo quòd etsi dicat, quòd est priuatio perfectionis, non tamen assumit id, cuius uere est priuatio: neque enim ignorantia est priuatio perfectionis, sed priuatio scientiæ. his igitur duobus modis peccatur prætermittendo id, cuius est priuatio, uel quoniam nihil omnino assumatur, uel quòd aliud assumatur, quàm cuius uere est. Si quis autem definiret scientiam, quòd est priuatio ignorantiæ, aut cæcitatem, quòd est priuatio uisus, male definiret, quoniam prætermitteret subiectum; quòd si quis diceret ignorantiam esse priuationem scientiæ existens in animali, male definiret, quia non assumeret subiectum, in quo primo natura apta est esse. ignorantia enim sicut & scientia primo sunt in parte rationali: secundario autem in anima, & in homine. Cum igitur definiuntur priuationes, oportet, ut primo assumatur genus. nulla enim definitio recte fit sine genere: deinde addatur id, cuius est priuatio,

uel illud sit habitus, uel sit contrarium: deinde addatur subiectum, in quo talis priuatio natura apta est primo inesse.

Hic autem locus non solum intelligendus est de priuatione, sed etiam de contrario dicto per priuationem.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEXTVS.

Videndum autem et si non secundum priuationem dictum. Hic locus est de his contrariis, quorum neutrum dicitur per priuationem: illud autem per priuationem dicitur inter quod, & suum contrarium non est medium, & est suo opposito deterius, ut inæquale dicitur per priuationem, quoniam inter ipsum, & æquale non est medium, & est æquali deterius. Hic igitur locus talis est in definitione contrarii, quod non dicitur per priuationem, priuatio assumi non debet: ita igitur quoniam ignorantia non dicitur per priuationem, eo quòd inter ipsam & scientiam datur medium, si quis definiret ignorantiam esse priuationem scientiæ, male definiret, presertim ex eorum sententia qui non dicunt ignorantiam eam, quæ est per negationem. si enim ea, quæ est per negationem esset ignorantia, tunc ignorantia diceretur per priuationem, atque ita non esset inconueniens, ut in eius definitione priuatio assumeretur. ex horum igitur sententia male definitur ignorantia, quòd sit priuatio scientiæ, eo quòd non omne quod est priuatum, scientia dicitur ignorans, neque enim inanimata dicuntur ignorantia, neque pueri, sed ignorans illud dicitur, quod habet habitum falsum, & deprauatum scientiæ oppositum. eodem modo aberraret, qui definiret immortalitatem esse priuationem mortalitatis. immortalitas enim est dispositio mortalitate præstantior, non autem priuatio mortalitatis.

locus quinquagesimus sextus à cōtrariis quorū neutrum dicitur per priuationem.
exemplum.

LOCVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS.

Insuper si similibus nominis casibus. Hvnc locum dicit Alexander eundem fere esse cum 49. unde elicitur ipsum Alexandrum. Eodem modo hos locos diuisisse, sicuti & nos diuisimus, licet alii longe aliter ipsos diuidant: differt tamen hic locus à 49, quòd ille docet definitionem assignatam omnibus coniugatis conueuire debere, hic autem docere uidetur quonam modo coniugatis conuenire debeat, quòd scilicet assignata definitio coniugatis omnibus secundum consimiles casus debet conuenire, ut si salubre est effectiuum sanitatis, etiam salubriter erit idem, quod effectiua sanitatis, & salubris erit effectiuus sanitatis.

locus quinquagesimus septimus.
quid differat hic locus à 49.
exemplum.

LOCVS QVINQVAGESIMVS OCTAVVS.

Considerandum & in idea &c. Hic locus etiam utilis est aduersus ponentes ideas: & est, si assignata alicuius definitio non conuenit eius ideæ, non erit recte assignata: ita igitur male solebat Plato definire animalia apponēs mortale in eorum definitione, ut cum dicebat hominem esse animal rationale mortale: neque enim mortale conuenit ideæ hominis, quæ immortalis est, & impassibilis. Addit autem philosophus, quòd non solum definitio illa non conuenit ideæ, in qua ponitur mortale, sed in uniuersum omnis definitio, in qua ponitur factiuum aliquod, aut passiuum, eo quòd idea ponitur esse immobilis, & impassibilis. postremo autem dicit philosophus, πρὸς δὲ τούτοις

locus quinquagesimus octauus contra ideas aptus est.
exemplum.

καὶ οὗτοι οἱ λόγοι χρήσιμοι: quod Alexander dupliciter interpretatur, primo, quòd præter hactenus dictos locos, hi etiam, qui deinceps dicendi sunt, utiles erunt ad quæstiones definitionis. secundo autem quòd aduersus eos, qui ponunt ideas, tales loci utiles sunt. Et hoc uidetur esse conuenientius sententiæ philosophi, sed si hoc intelligatur, melius erit scribere πρὸς δὲ τούτους, quàm πρὸς δὲ τούτοις.

LOCVS QVINQVAGESIMVS NONVS.

locus quinquagesimus nonus. septē huius loci partes. *Amplius si eorum quæ secundum æquiuocationem dicuntur.* Vt hic locus facilius intelligatur, in septem partes diuidatur. In prima philosophus proponit locum, & affert rationem loci: in secunda ostendit errorem Dionysii cuiusdam philosophi: in tertia docet, quòd hoc modo potest quis errare duobus modis, & uolens, & nesciens: in quarta, quinta, sexta, & septima, quatuor affert documenta, seu cautelas. In prima igitur parte tradit locum, qui talis est. in prima parte locus est. Eorum, quæ æquiuoca sunt, communis definitio non debet assignari, si quis igitur tale, quid agat, peccabit. Huius loci ratio est, quoniam ut in prædicamentis dictum fuit, ea, quibus definitio secundum commune nomen conuenit, uniuoca sunt: quare definitio assignata ipsis æquiuocis secundum commune nomen non poterit illis omnibus conuenire, quia uniuoca essent, nō æquiuoca. sed neque poterit alicui eorum conuenire, cum eorum definitiones diuersæ inter se sint. hæc autem data sit secundum commune nomen, quod omnibus conuenit, non autem uni magis, quàm alteri. Definitio igitur æquiuocis aliquibus assignata secundum commune nomen, neque omnibus illis, neque alicui eorum conuenire poterit. dubitatio. Sed dubitaret quis quomodo possibile sit ipsis æquiuocis assignare unam communem definitionem cum æquiuoca illa esse dicantur, quæ non habeant unam communem definitionem. solutio. Soluit Alexander quòd æquiuoca nō habent communem definitionem, quæ sit uera definitio data scilicet per essentialia. nihil tamē prohibet, ut communem aliquam descriptionem habeant collectam scilicet ex quibusdam accidentibus in illis omnibus repertis.

secunda pars. In secunda parte philosophus ostendit hac ratione peccasse Dionysium quēdam philosophum definiendo uitam: dicebat enim uitam esse motum ad nutritiuum genus naturaliter consequens: sed peccabat, eo quòd nomen uitæ æquiuoce dicitur, de uita plantarum & animalium. alia enim est uita in plantis, alia in animalibus. hæc autem definitio non magis conuenit animalibus, quàm plantis: est enim data secundum commune nomen. Ita igitur peccauit Dionysius rebus æquiuocis assignans unam definitionem secundum commune nomen. dubitatio. Sed dubitaret quis, quomodo uita sit nomen æquiuocum: si enim uiuens uniuoce dicitur de plantis, & de animalibus, ergo uita non est in ipsis æquiuoce. solutio. Dicendum uidetur, quòd uita alia est uegetatiua, alia sensitiua, alia intellectiua; & quòd uegetatiua, & sensitiua forte uniuoca sunt: sed uita intellectiua omnino cum his æquiuoce dicitur, cum sit immortalis, & non educta ex potentia materiæ. philosophus igitur cum dicit aliam esse uitam in plantis, aliam in animalibus, intellexit uitam intellectiuam, quæ in homine reperitur.

tertia pars. In tertia parte philosophus docet, quòd duobus modis potest quis peccare assignando communem definitionem aliquibus æquiuocis, uel scilicet ex proposito existimans scilicet ea esse uniuoca, non autem æquiuoca, quomodo uidetur errasse Dionysius definiens uitam, eo quòd existimauerit, quòd

uita uniuoce dicatur? secundo modo potest quis peccare præter propositũ sciens scilicet propositum nomen esse æquiuocum, & plura significare: sed dum uult aliquod eorum, quæ ab eo significantur definire, non animaduertit se communem definitionem omnibus his, quæ ab eo nomine significantur assignare, ut si quis uolens definire generationem, diceret ipsam esse actum entis in potentia, quatenus est in potentia: hæc enim definitio competit motui in uniuersum.

In quarta parte philosophus primum affert documentum, quod est, quoniã plerunque latet, æquiuocatio dicit, quòd interrogans huiusmodi æquiuocis, uti debet, perinde ac si essent uniuoca: ita enim facile destruet quamcunque assignatam definitionem ostendens scilicet ipsam alicui significato nominis æquiuoci non conuenire, cum enim respondens existimet nomen illud esse uniuocum, ac uideat assignatam definitionem non conuenire omnibus sub eo nomine, contentis omnino existimabit definitionem male esse assignatam. atque ita procedere debet interrogans, qui aduersus positionem disputat. Qui autem respondet, & positionem sustinet, debet distinguere æquiuocum nomen, atque ita redargutionem effugere. quarta pars.

In quinta parte philosophus secundum dat documentũ: quidam enim sunt, qui si uideant definitionem à se assignatam conuenire omnibus contentis, aut significatis à definito, diceret ipsum esse uniuocum. Si autem uideant, quòd non omnibus conueniat, dicent ipsum esse æquiuocum, non id dicentes, quod uere sentiunt, sed id solum, quod ipsis in disputatione usui esse uideatur. docet philosophus quonam modo cum his agere debeamus, ante quàm enim disputemus, utrũ assignata definitio omnibus conueniat: prius debemus exigere, ut fateantur, num propositum nomen sit uniuocum, aut æquiuocum. quòd si hoc non fateantur, hoc nos probare debemus. Quare autem hoc prius faciendum sit, pulcherrimam rationem affert philosophus, quoniam scilicet respondens longe facilius admittit aliquid, cum non uidet redargutionem ex eo consecuturam, quòd si hoc præsentiat. quinta pars.

In sexta parte philosophus tertium dat documentum, quòd si contingat huiusmodi confessionem factam non fuisse, quam in superiori parte docuit, & ille, qui respondet, dicat aliquod uniuocũ esse æquiuocum: propterea quòd definitio assignata, non conueniat omnibus sub eo contentis. Dicit igitur, quòd ubi definitio assignata non conuenit alicui contento sub definito uniuoco, debemus accipere definitionem huius, non quidem propriam, sed communem, atque ostendere hanc definitionem reliquis etiam omnibus cõuenire: unde propositum nomen non esse æquiuocum, sed uniuocum. quòd si non propterea dicant illud esse uniuocum, sequetur unius, & eiusdem rei plures esse definitiones. duæ enim erunt definitiones, & prior illa, quæ fuit assignata, & ea, quam posterius nos assignauimus, quæ ambæ eisdem rebus conueniet. Huius documenti exemplum est, ut si quis definiens animal diceret ipsum esse substantiam animatam sensitiuam gressibilem, & uidens hanc definitionem non competere aui, dicat nomen animal esse æquiuocum: tũc enim debemus nos accipere definitionem auis communem in eo scilicet, quòd animal. hæc autem substantia animata sensitiua, quoniam igitur hæc definitio competit & gressibilibus, & uolatilibus. gressibilia igitur, & uolatilia uniuoca erunt, & animal de ipsis dicetur uniuoce, non autem æquiuoce, ut positum est. quòd si dicant non propterea nomen illud animal esse uniuocum, hoc consequetur inconueniens. quod eadem res duas habeat definitiones. canis enim, exempli causa, eam primo habebit definitionem, quam sexta pars. huius documenti exemplum.

quam ipsi asignarunt, quæ est substantia animata, sensitiua, gressibilis: habebit præterea & alteram, quam nos asignauimus, quæ est substantia animata, sensitiua. Sed dicet quis quanam ratione est inconueniens, quòd eiusdem rei sint plures definitiones una propria, & altera communis, ut est in proposito. Dicendum est, quòd si nomen commune sit uniuocum, nihil erit inconueniens: at si æquiuocum sit, ut in proposito supponitur, inconueniens erit, & impossibile.

dubitatio.

solutio.

NOTANDVM autem est hic philosophum solum docere, quomodo procedere debeamus, quando respondens dicit aliquod uniuocum esse æquiuocum: prætermittit autem quomodo procedere debeamus, si dicat aliquod æquiuocum esse uniuocum, eo quòd asignata definitio competat omnibus significatis ab eo communi nomine. Si igitur hoc contingat, ita procedemus, ostendemus asignatam definitionem non esse ueram definitionem ex rebus scilicet essentialibus, sed constare ex accidentibus quibusdam ac nullam definitionem essentialem asignari posse.

ultima pars.

IN ultima parte philosophus dat quartum documentum, si enim quandoque contingat aliquem definire aliquod æquiuocum, ut uniuocum, & cum obiiciatur eam definitionem non competere omnibus contentis sub definito, dicat hoc non esse, quia definitum sit æquiuocum: sed quoniam neque nomen quod definitur omnibus conuenit, docet philosophus, quomodo hic sit redarguendus. Debemus enim dicere, quòd nominibus quidem uti debemus, ut ipsa fert consuetudo, quædam tamen dicenda sunt, non ut multi id est quòd ea, quæ unius natura sunt, una definitione complecti debemus, licet unum commune non habeant, ut enim dictum fuit in secundo libro, loco quinto in nominibus appellationibus, cum uulgo consentire debemus, in rerum autem intellectione cum sapientibus. Alexander tamen hanc partem aliter exposuit, quod scilicet nominibus uti debemus, quæ consuetudine sunt recepta, ipsa tamen rebus accommodare debemus, non ut multi, sed ut sapientes: neque enim cum uulgo fortunatum appellare debemus felicē, neque illiberalem œconomicum, idest rei familiaris regendæ peritum: neque timidum prudentem, neque temerarium fortem, sed hæc nomina rebus ipsis, ut earum natura fert, & secundum sententiam sapientum accommodare debemus. ita & in proposito, & si nomen aliquod apud uulgum non conueniet omnibus his, quæ eiusdem naturæ sunt, nos tamen illud accommodabimus omnibus.

Alexandri expositio.

LOCVS SEXAGESIMVS.

Si autem alicuius complexorum. DESVMITVR hic locus à definitione complexi: & est, si aliquod ex duobus quibusdam compositum definiatur, & à tota definitione id auferatur, quod est alterius eorum proprium, reliquum quoque debet esse proprium alterius, exempli causa, si definiatur homo albus, quod est animal rationale, mortale, susceptiuum coloris disgregatiui uisus, & ab hac definitione auferamus animal rationale, mortale, quæ est hominis definitio; reliquum erit definitio albi, color scilicet disgregatiuus uisus. Si autem reliquum non sit definitio reliqui, neque tota definitio est totius definiti, ut si quis definiret lineam finitam rectam esse terminū superficiei habentis terminos, cuius medium superadditur finibus. Si hoc complexum in duo diuidamus lineæ finitæ, definitio erit terminus superficiei habentis terminos: quare oportet, ut reliquum sit definitio reliqui, ut scilicet

locus sexagesimus à definitione complexi.

exemplum.

cet

cet cuius medium ſuperadditur finibus ſit definitio recti. non eſt autem, quoniam ſi intelligamus rectam lineam in infinitum ductam, ea neque media habebit, neque fines. ſed licet etiam infinita linea intelligi non poſſet, illa tamen nō eſſet definitio recti, neque igitur tota definitio erit totius cōplexi.

LOCVS SEXAGESIMVS PRIMVS.

Inſuper ſi cum ſit compoſitum quod definitur. DESVMITVR hic locus à nominum commutatione: & eſt, ſi definitio alicuius compoſiti ex duobus, aut pluribus nominibus aſsignetur totidem habens nomina quod ipſum definitum, ea non erit illius definitio. talem autem definitionē appellauit philoſophus ἰσόκωλον, ideſt æquimembrem & quid per hoc nomen intelligat expoſuit. Huius loci rationem affert philoſophus, quoniam in talibus definitionibus ſolum fit nominum commutatio: commutatio autem nominum non eſt definitio: definitio enim aſſumit orationem pro nominibus; non autem nomina pro nominibus. nam hoc quoque modo cum unum nomen in alterum mutatur, ut nomen tunicæ in nomen ueſtis, definitio eſſet.

locus ſexageſimus primus à nominum commutatione.

NOMEN illud ἰσόκωλον quo hic utitur philoſophus apud rhetores ſignificat colorem quendam, in quo ſingula ſingulis reſpondent, quale eſt illud Virgilii de ſeipſo,

qd ſignificet illud uerbum ἰσόκωλον.

Paſtor, arator, eques, paui, colui, ſuperaui,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

exemplū ex Virgilio ſumptum.

Fit autem, ut dicit philoſophus, commutatio uel omnium nominum, uel aliquorum tantum omnium, ut ſi dicamus, homo albus eſt terrigena candidus aliquorum, ſi dicamus homo albus eſt homo candidus.

duplex commutatio nominum.

DICIT autem eum, qui definit nomina definiti commutare debere in orationem uel omnia, uel plura: omnia quidem commutantur, ſi dicamus homo albus eſt animal, rationale, mortale, mentis, & ſcientiæ ſuſceptiuū, habens colorem diſgregatiuum uiſus. Plura autem ignotiora ſcilicet commutantur in orationem, cum definimus ſyllogiſmum demonſtratiuum eſſe orationem ex ueris, primis immediatis, & cauſis concluſionis. hoc autem fit, quando genus alicuius notum eſt, neque indiget definitione.

LOCVS SEXAGESIMVS SECVNDVS.

Adhuc autem maius peccatum erit. DESVMITVR hic locus à commutatione in obſcuriora nomina: & eſt, commutatio nominum nunquam eſt definitio, ſed ea in primis eſt uitioſa, quæ fit in nomina obſcuriora, ut ſi quis uolens definire hominem album diceret ipſum eſſe terrigenam candidum.

locus ſexageſimus ſecundus à cōmutatione in obſcuriora nomina.

LOCVS SEXAGESIMVS TERTIVS.

Conſiderandum etiam in commutatione nominum. HIC locus talis eſt, ſi nomina commutata non idem ſignificent, quod definitum, hac etiam ratione male aſsignantur pro definitione: ita igitur peccaret, qui definiret ſcientiam contemplatiuam eſſe opinionem contemplatiuam. hic enim contemplatiuum eſt & in definito, & in definitione. reliquum autem idem non eſt. differt enim ſcientia ab opinione, quòd ſcientia eſt circa æterna, & quæ ſemper eodem modo ſe habent: opinio autem eſt eorum, circa quæ uerſatur error, & quæ non ſemper eodem modo ſe habent.

locus ſexageſimus tertius. exemplum.

LOCVS SEXAGESIMVS QVARTVS.

locus sexagesimus quartus.

Insuper si alterius nominis commutationem faciens. HIC locus talis est, cum fit nominum commutatio, si generis fiat commutatio, non autem differētiæ. hac etiam ratione peccabit assignata definitio: eius enim quod ignotius est, cōmutatio est facienda; genus autem est notius differentia, quoniam communius est differentiæ, igitur potius, quàm generis commutatio facienda est. Hac etiam ratione peccat, qui definit scientiam contemplatiuam, esse opinionem contemplatiuam.

exemplum.

obiectio à philosopho allata.

DEINDE philosophus obiectionem affert, quòd scilicet non est necesse differentiam esse ignotiorem genere. nihil enim prohibet differentiam nomine notiori explicari, quàm genus: tunc autem generis potius, quàm differentiæ commutatio est facienda.

quare genus differentia sit notior.

NOTANDA hoc in loco est propositio illa, quòd genus notius est, quàm differentia, quoniam communius est. communiora enim notiora nobis sunt, eo quòd in pluribus reperiuntur, & sæpius sub sensum cadunt, nihil tamen prohibet, ut genus per nomen ignotum explicetur, etsi natura sua sit notius, differentia uero per nomen notius.

LOCVS SEXAGESIMVS QVINTVS.

locus sexagesimus quintus.

Si autem non nomen pro nomine, sed orationem explicetur. QVANDO nominum, ex quibus componitur, definitum commutatur in orationem differentia potius, quàm genus debet commutari. Et ratio est, quoniam cognitio differentiæ, quæ est ignotior magis conducit ad cognitionem definiti, quàm cognitio generis, quod est notius: definitio autem assignatur gratia cognitionis ipsius definiti præterea ut dicit Alexander differentia est magis propria rei, quàm genus: quare per differentiam ipsam rem magis proprie cognoscimus: per genus non magis eam cognoscimus, quàm aliā quamlibet ex his, quæ sunt eiusdem generis: ita igitur si propositum esset definire syllogismū demonstratiuum, non syllogismum simpliciter definire debemus, sed demōstratiuum potius. hoc enim quærimus tanquam proprium.

loci ratio.

exemplum.

dubitatio.

DVBITAT Alexander, quòd uidetur philosophus sibi contradicere, cum hic dicat differentiam esse ignotiorem genere, cum in fine superioris loci dixerit, differentiam notiori nomine dici, quàm genus. Facile soluitur, quòd etsi nomen differentiæ notius aliquando sit, quàm nomen generis, ipsa tamē res, quæ ab eo nomine significatur, minus est nota, quàm id, quod à nomine generis significatur. qui enim differentiam cognoscit, cognoscit & genus, quoniam in cognitione differentiæ genus quoque comprehenditur, non tamen è contra.

obiectio.

LOCVS SEXAGESIMVS SEXTVS.

locus sexagesimus sextus.

Si autem differentiæ terminum assignarit. HIC locus eiusmodi est, quando differentia in orationem commutatur. superior locus docuit, si ea oratio alicui alteri à definito conueniat, non erit eius definitio. oportet enim definitionem definito tantum conuenire, & nulli alteri. Ita igitur erraret, qui definiret numerum imparem esse numerum medium habentem. genus enim nō commutatur in orationem, sed differentia: commutatur autem in orationem

nem

nem talem, quæ aliis etiam conuenit. nam & linea, & corpus medium habent, quæ tamen impares numeri non sunt. oportebat igitur dicere imparẽ numerum esse numerum medium unitatem habentem.

NOTAT Alexander, quòd non solum peccat assignans orationem differẽtiæ, quæ non solum definito conueniat, sed & ille peccat, qui assignat orationem non omni definito conuenientem, ut si quis definiret lineam rectam esse lineam, cuius media supperadduntur extremis, neque enim hæc definitio competit lineæ infinitæ.

IN secunda huius loci parte dicit philosophus, quòd si forte oratio differentiæ assignata multipliciter dicatur, quod ipsam distinguere debemus, atque ita uel syllogismo ostendemus non esse definitum, uel definitionem reprehendemus; exempli causa, quoniam medium habens multipliciter dicitur: nam & numeri, & magnitudines medium habent, hoc igitur distinguentes uel syllogismo utemur ostendentes assignatam orationem non esse definitionem, quòd aliis etiam conueniat, uel reprehendemus non recte esse assignatam, eo quòd indistincte, & indefinite assignarit. secũda pars.

LOCVS SEXAGESIMVS SEPTIMVS.

Insuper si id, cuius quidam orationem assignarit. HIC locus talis est, si definitum ex entium numero sit, quod uero per definitionem explicatur, non sit ens, assignata oratio non erit definitio: neque enim possibile est, quòd ipsum, quid est esse, entis sit, non ens. Ita igitur male quis definiret album esse colorem igni admixtum, eo quòd definitum nempe album est: definitio uero non est. impossibile enim est incorporeum aliquid corporeo misceri. color igitur, cum sit quid incorporeum, non potest igni commisceri. locus sexagesimus septimus. exemplum.

HIC præcipue notandum est accidentia ipsa esse incorporea, nec non & illud, quod incorporeum corporeo non admiscetur: mixtio enim proprie est corporum, & eorum, quæ separata possunt etiam subsistere.

LOCVS SEXAGESIMVS OCTAVVS.

Insuper quicunque non diuidit in his quæ sunt ad aliquid: CONTEXTVS hic in tres partes diuiditur, in prima tradit locum, affert exemplum, & rationem, in secunda & tertia duabus rationibus soluit obiectionem quandam. Locus igitur est, si quis definiens aliquod relatiuum non assumat id, ad quod determinate refertur, sed assumat commune aliquod, sub quo plura comprehendantur, uel simpliciter, uel secundum quid peccabit. simpliciter quidem peccabit, si id, ad quod definitum determinate refertur sub eo, ad quod assignatum est, non contineatur, ut si quis definiens medicinam diceret ipsam esse scientiam concentus: sanitas enim ad quam medicina refertur, non cõtinetur sub concentu. Secundum quid autem peccabit, si id, ad quod definitum determinate refertur sub eo, ad quod assignatum est, contineatur, ut si quis definiens medicinam diceret ipsam esse scientiam entis: medicina enim est scientia alicuius entis, & alicuius non. eodem modo peccaret, qui diceret geometriam esse scientiam scibilis: id enim ad quod geometria refertur, sub scibili comprehenditur: quare autem peccet ille, qui definiendo relatiuum assumit tale aliquid, sub quo non continetur id, ad quod definitũ determinate refertur. prætermisit philosophus rationem afferre, quoniam scilicet conspicuum est id, ad quod relatiuum refertur, poni debere in eius definitione. locus sexagesimus octauus. tres huius loci partes. qui sit locus.

definitione: rationem autem affert, quando peccet ille, quem dixit peccare secundum quid. Ratio autem est, quoniam relatiuum, si referatur ad aliquod per se, non autem per accidens, debet ad omne illud referri, ut si medicina per se refertur ad ens, debet ad omne ens referri: & si geometria per se refertur ad scibile, debet ad omne scibile referri, sicuti patet in aliis relatiuis. duplum enim refertur ad omne dimidium, & scientia ad omne scibile. hoc enim necesse est esse, si debet fieri conuertentia. omnia autem relatiua ad conuertentiam dicuntur.

quare philosophus dixerit hæc uerba.

DIXIT autem philosophus, Nam si nullius entium medicina est scientia. Per hoc intelligens, si id, ad quod definitum determinate refertur, non contineatur sub eo, ad quod assignatum est, simpliciter peccabitur. In secunda parte philosophus obiectionem quandam dissoluit. Posset enim quis ex his, quæ dicta sunt occasionem obiectionis accipere, & dicere, quòd si medicina refertur ad ens, aut geometria ad scibile, non peccatur, licet non referatur ad omne, quoniam refertur ad ipsum per accidens, non autem per se. Hanc igitur obiectionem tollit philosophus dicens relatiuorum assignationem per accidens fieri non debere, quoniam sequeretur idem relatiuum ad plura referri: nihil enim prohibet, ut idem sit, & ens, & album, & bonũ, & alia plura.

secunda loci pars.

tertia pars.

IN tertia parte hanc eandem obiectionem alia ratione tollit, quoniam si fiat assignatio relatiui per accidens, ad unum, atque idem plura referentur, ut non solum medicina referetur ad ens, sed & aliæ plures scientiæ; non igitur talis assignatio erit propria definiti.

DIXIT autem philosophus non solum medicina, sed plures aliarum disciplinarum ad ens dicuntur, uel simpliciter per plures scilicet intelligens omnes alias disciplinas; uel hoc caute dixit propter sophisticam, quæ circa ens uersari non uidetur, ut in sophista ostendit Plato.

LOCVS SEXAGESIMVS NONVS.

locus sexagesimus nonus à definitione perfecti.

exemplum.

Quandoque autem definiunt non rem, sed rem bene se habentem. DESVMITVR hic locus à definitione perfecti: & est, si quis uolens aliquid in uniuersum definire, assignet definitionem eius, quod est perfectum in ea specie assignata, definitio non erit definitio. Hoc modo erraret, si quis definiret oratorem esse eum, qui in unaquaque re quid suasibile sit potest inuenire, & nihil prætermittere. hic enim non definitur orator, sed orator perfectus. nam & ille est orator, qui etsi prætermittat aliquid eorum, quæ fidem facere queant, propositi uult tamen omnia talia inuenire, & excogitare. Pariter errat, qui definit furem esse eum, qui clam surripit: hoc enim facit fur optimus, sed non minus ille est fur, qui uult quidem clam surripere, etsi hoc nequeat efficere.

LOCVS SEPTVAGESIMVS.

locus septuagesimus.

duæ loci partes.

Rursus si quod super se eligendum. DIVIDITVR hic contextus in duas partes, in prima tractat locum, & exemplum affert, in secunda obiectionem quandam soluit. Locus huiusmodi est, quod est eligibile propter se non debet definiri, ut actiuum effectiuum, aut quomodocunque, ut eligibile propter aliud: ita igitur male quis definiret iustitiam esse seruatricem legum, aut sapientiam esse effectricem felicitatis. In secunda parte obiectionem soluit, quæ talis est: cum quædam sint eligibilia propter se, & propter aliud quid prohibet,

secunda loci pars,

ut

ut eligibile propter ſe definiatur, ut eligibile propter aliud. Soluit philoſophus, quòd id, quod eſt in unaquaque re optimum, maxime eſt in eius ſubſtantia: ſed id, quod eſt eligibile propter ſe, eſt melius, quàm eligibile propter aliud. hoc igitur potius eſt in ſubſtantia quod utrunque habet: quare hoc potius debet per definitionem explicari, cum definitio uniuſcuiuſque rei ſubſtantiam explicet.

DVBITARET quis, quoniam uidetur philoſophus pugnantia dicere. in ſuperiori enim loco dixit, quòd non oportet eum, quod definit, aſſignare definitionem eius, quod eſt in ea ſpecie perfectum: nunc autem dicit id, quod eſt in unaquaque re optimum, maxime eſſe in eius ſubſtantia, & debere per definitionem explicari. Soluit Alexander, quòd quando utrunque ineſt omnibus contentis ſub definito, & optimum ſcilcet & minus tale, ſicut in prædictis, quæ ſunt & propter ſe, & propter aliud eligibilia, optimum magis eſt in ſubſtantia, & debet per definitionem explicari. quando autem optimum non omnibus ineſt, ſed extrinſecus acquiritur exercitatione, & diligentia, hoc non eſt in natura rei, neque in definitione eſt aſſumendum: & de hoc loquitur philoſophus in loco ſuperiori. dubitatio. ſolutio.

LOCVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS.

Conſiderandum autem eſt, & ſi his qui alicuius. DIVIDITVR hic contextus in quatuor partes. in prima proponit locum, in ſecunda ipſum probat per deductionem ad abſurdum, in tertia quoniam prius non uidetur abſurdum ad aliud deducit, in quarta oſtendit in quibuſnam præcipue uti poſſimus loco propoſito. Vt igitur locus intelligatur, ſciendum eſt, tripliciter aliquod totum poſſe definiri, uel definiendo ipſum eſſe. hæc, ut quòd domus ſit lapides, & ligna: uel quòd iuſtitia ſit temperantia, & fortitudo. ſecundo modo poteſt definiri, quòd ſit, ex his, ut quòd domus ſit ex lignis, & lapidibus; uel iuſtitia ex temperantia, & fortitudine. tertio modo poteſt definiri, quòd ſit hoc cum hoc, ut quòd iuſtitia ſit temperantia cum fortitudine, uel domus ſit cooperimentum cum lapidibus, & lignis: ita igitur tres locos ſecundum hos tres modos tradit philoſophus, quorum primus hic eſt, quòd non debet aliquod totum definiri per hæc. in ſecunda parte probat hunc locum per deductionem ad inconueniens, quoniam ſi iuſtitia definiatur, quòd ſit temperantia, & fortitudo, ſequitur duobus quibuſdam ineſſe iuſtitiam, & neutri eorum ineſſe iuſtitiam. ſi enim duo ſint, quorum alter ſit temperans, non etiam fortis: alter uero ſit fortis, non etiam temperans, ambo habebunt iuſtitiam, eo quòd habent temperantiam, & fortitudinem; non tamen neuter habebit iuſtitiam, quoniam neuter eorum habet temperantiam, ſimul & fortitudinem. in tertia parte oſtendit, quòd hoc forte nullum eſt inconueniens, quoniam ſi duo ſint, quorum uterque habeat dimidium minæ, tunc ambo habebunt minam, & tamen neuter eorum habent minam. ſed aliud ſequitur inconueniens, quòd ſcilicet contraria eiſdem inerunt. ſi enim iuſtitia eſt temperantia, & fortitudo; iniuſtitia erit intemperantia, & timiditas. ſi igitur duo ſint, quorum alter ſit temperans, & timidus, alter fortis, & intemperans: tunc ambo erunt iuſti, & ininſti. in quarta parte oſtendit, quòd in his præcipue uti poſſumus loco propoſito, in quibus poſſumus oſtendere partes non eſſe idem cum ſuo toto. qui enim hoc modo definit, dicit partes eſſe idem cum ſuo toto: in his autē manifeſte oſtendere poſſumus partes nō eſſe idem cum ſuo toto, ubi manifeſta eſt partium compoſitio, ut in domo, locus ſeptuageſimus primus. quatuor loci huius partes. tripliciter aliquid totū poteſt definiri. ſecunda loci pars. tertia loci ps. quarta loci pars.

& naui. in his enim non sufficit partes esse, ut totum sit, sed sequitur præterea debita partium compositio.

secundum inconueniens quomodo sit intelligendũ.

Hic præcipue obseruandum est secundum illud inconueniens, quod philosophus deducit, quòd scilicet impossibile est, ut duo contraria duobus insint, ita scilicet ut pars unius contrarii in uno sit, & altera pars in alio.

Notandum præterea, quòd totum non est idem cum suis partibus, quoniam præterea requiritur compositio: totum autem nihil differt à suis partibus simul compositis.

quomodo sit intelligenda hæc uerba.

Vbi dicit philosophus, Quemadmodum in domo, & aliis consimilibus. intelligit & aliis totis, quæ ex partibus heterogeneis constant, quæ scilicet idem nomen non habent cum suo toto.

LOCVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS.

locus septuagesimus secũdus ex definito ex his.

exemplum.

Si autem non est hæc, sed quod ex his. Proposuit in superiori loco philosophus, quod tripliciter potest aliquod totum definiri, per hæc, per ex his, per hoc, per hoc cum hoc, ac locum tradidit, quo destruatur definitio totius data per hæc: deinceps nouem locos tradit, quibus destruatur definitio totius data per ex his, ut si quis definiret domum esse ex lapidibus, & lignis: horum igitur primus est, si ea, ex quibus totum aliquod definitur, talia sint, quòd nihil ex ipsis fieri possit, assignata definitio non erit definitio. talia autem quædam esse patet, ex quibus nihil fieri potest, ut linea numerus, (immo addit Alexander & omnia accidentia, quod tamen suspectum est propter qualitates) male igitur quis diceret corpus esse ex numeris, & lineis; aut albedinem esse ex colore, & igne. ratio autem loci patet, quoniam aliquid non definitur per nihil.

LOCVS SEPTVAGESIMVS TERTIVS.

locus septuagesimus tertius.

exemplum.

Insuper si definitum quidem. Secundus locus, quo destruatur definitio totius data per ex his talis est, si definitum in aliquo primo esse natura sit aptum: ea uero, ex quibus definitur non sint nata esse in aliquo primo omnia, sed aliud in alio assignata definitio non erit definitio. si enim ita sit, patet, quòd compositum ex illis non erit idem cum definito, quoniam si essent idem, cum partes non sint in aliquo primo, sed in pluribus etiam totum non esset in aliquo primo, sed in pluribus. ita igitur male quis definiret prudentiam esse ex fortitudine, & temperantia. prudentia enim in primo est in ipso rationali: fortitudo autem est in irascibili: temperantia autem in concupiscibili. cum igitur partes non sint in aliquo primo, sed in pluribus, totum uero sit in aliquo primo, non recte igitur ex illis definitur totum.

LOCVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS.

locus septuagesimus quartus.

exemplum.

Si autem & partes, & totum in uno aliquo. Hic est tertius locus ad destruendam definitionem totius datam per ex his, qui talis est. si definitum in aliquo primo natum sit esse, ea uero, ex quibus definitur, nata quidem sint esse in aliquo primo, sed non in eodem assignata definitio non erit definitio. & ratio est, quoniam oportet, ut in eodem sint partes, & totum. ita igitur male quis definiret reuerentiam esse amorem cum continentia: etsi enim continentia, & amor sint in aliquo primo, nempe in concupiscibili; non tamen sunt in eodem,

dem, in quo reuerentia, quoniam reuerentia est in rationali.

Hos duos locos non recte uidetur exposuisse Alexander. priorem enim exponit hoc modo, quòd si definitum natum sit esse in aliquo primo, ea uero, ex quibus definitur, non sint nata esse in eodem, sed in alio, atque alio assignata definitio non erit definitio. secundum autem hoc modo intelligit, si definitum natum sit esse in aliquo primo, atque in eodem quoque nata sint esse ea, ex quibus definitur, sed non in eadem parte, assignata definitio non est definitio. arguitur Alexander in expositione horum duorum locorum.

LOCVS SEPTVAGESIMVS QVINTVS.

Rursum si cum toto corrumpuntur partes. Hic est quartus locus ex prædictis, qui talis est, si totum, quod definitur, tale sit, quòd eo corrupto necesse sit corrumpi: & ea, ex quibus definitur, assignata definitio non erit definitio. & ratio est, quoniam corruptis partibus necesse est corrumpi, & ipsum totum. toto autem corrupto non est necesse partes corrumpi. Hoc modo erraret, qui definiret corpus esse compositum ex superficiebus, uel superficiem esse lineis, uel lineam ex punctis. hac etiam ratione genus non potest definiri, quòd constet ex speciebus, neque ex diuisiuis differentiis, ut quòd numerus sit ex paribus, & imparibus. locus septuagesimus quintus. exemplum.

LOCVS SEPTVAGESIMVS SEXTVS.

Aut si totum quidem bonum uel malum. Hic quintus locus talis est, si totũ quod definitur bonum, uel malum sit. ea autem, ex quibus definitur neque bona, neque mala, aut si ea, ex quibus totum definitur, bona sint, aut mala, ipsum uero neque bonum sit, neque malum, assignata definitio non erit definitio. impossibile enim est, si partes non sint bonæ, aut malæ, quod ex his constat esse bonum, aut malum, sicut etiam impossibile est ex partibus bonis, aut malis aliquid fieri; quod sit neque bonum, neque malum. locus septuagesimus sextus.

LOCVS SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS.

Aut si magis quidem alterum bonum. Sextus locus hic ex numero eorum, qui destruunt definitionem totius datam per ex his, talis est: si eorum, ex quibus totum definitur, alterum est magis bonum, quàm alterum; & definitum non sit magis bonum, quàm malum, assignata definitio non erit definitio. ita igitur male quis definiret impudentiam esse ex fortitudine, & falsa opinione: cum enim fortitudo sit magis bonum, quàm falsa opinio malum, oportet, quòd etiam impudenti si ex ipsis sit, aut esse simpliciter bonum, aut esse magis bonum, quàm malum. Hoc dicto philosophus obiectionem quandam affert aduersus hunc locum, & superiorem, quòd scilicet non omnino uidetur necessarium, ut quod ex bonis compositum est, omnino bonum sit, neque quod ex malis compositum est, omnino malum sit, ut in superiori loco dictum fuit: sed neque quod ex magis bono fit, magis bonum esse oportet, uel quod ex magis malo magis malum. si enim ea, ex quibus aliquid fit, sit per se bona, aut mala, omnino necesse est, ut quod ex ipsis fit, sit bonum, aut malum. uirtus enim cum per se bona sit, cuicunque adiungatur, semper efficit bonum: si autem assumantur aliqua non per se bona, aut mala, uti sunt effectiua, hoc semper non contingit. multa enim sunt, quæ ipsa per se accepta non locus septuagesimus septimus. exemplum.

non sunt effectiua boni, sed mali potius. aliis autem admixta bonum efficiunt. sunt enim quædam medicamenta, quæ suapte natura non sunt sanitatis effectiua, sed deleteria potius, idest mortifera: aliis tamen admixta sanitatem efficiunt. sunt & alia, quæ per se accepta mala non sunt, quin potius utilia: aliis autem admixta sunt mali effectiua.

LOCVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS.

locus septuagesimus octauus.

Rursum si quid ex meliore. SEPTIMVS hic locus talis est, si aliquid definiatur ex duobus aliquibus, quorum alterum sit melius, & alterum peius, & non sit pro meliori peius, peiori uero melius assignata definitio non erit definitio. ita igitur quoniam continentia constat ex recta ratione, & prauo appetitu, ideo est prauo appetitu melior, recta uero ratione peior.

exemplum.

ADVERSVS hunc locum eandem affert obiectionem, quam attulit aduersus superiorem. in his, quæ per se bona sunt, aut mala, locus uerus est. in his autem, quæ sunt effectiua boni, aut mali non etiam uerus est. hæc enim in mutua compositione immutantur, ut nihil prohibeat, quod ex ipsis fit, & melius, & peius utroque esse, ut patet in medicamentorum compositione.

eadem aduersus hunc locus est obiectio, quæ etiã aduersus superiorem.

LOCVS SEPTVAGESIMVS NONVS.

locus septuagesimus nonus.

Insuper si uniuocum est. HIC est octauus locus, si ea, ex quibus definitur aliquod totum, uniuoca sint cum ipso, idest secundum eandem rationem habeant cum ipso, assignata definitio non erit definitio. erraret igitur, quid definiret uirtutem constare ex fortitudine, iustitia, & prudentia. unumquodque enim horum uirtus dicitur cum suo toto uniuoce. Affert autem exemplum philosophus, quòd sillaba non est uniuoca cum literis, quæ ipsam componunt. quod dictum difficultatem habet, quoniam in hac dictione, amo, hæc sillaba, a, uidetur uniuoca cum litera, ex qua constat: nam & litera, & sillaba dicitur, a. Dicendum est, quod sermo est, ubi totum constat ex pluribus partibus.

LOCVS OCTVAGESIMVS.

locus octuagesimus.

Præterea si non dixit modum compositionis. HIC est nonus, & ultimus locus, quo destruatur definitio totius data pro ex his. est autem talis, cum definitur aliquod totum, ex his, nisi addatur, modus compositionis, non recte definitur, quoniam uniuscuiusque compositi substantia non solum ex componẽtibus constat, sed ex certa quadam eorum compositione. definitio igitur, quæ substantiam rei debet explicare, hoc quoque debet comprehendere.

FINIS.

IN ACADEMIA VENETA.





colorchecker CLASSIC

calibrite